# DE CAESARIBVS GERMANICIS.

## LIBER I.

### CAROLVS MAGNVS.

Carolus antiquis Francorum regibus ortus,
Imperij meruit uindice sceptra manu,
Cum Desiderij fera: contudit arma tyranni,
Finibus Ausonijs qui metuendus erat.
Cumq; rebellantes per multos Saxonas annos,
Traiecto domuit flumine Mœne tuo.
Excisis Auarum compescuit urbibus Hunnos,
Gens quibus asperior cognita nulla fuit.
Condidit & septem deductis castra colonis,
Pæoniæ celsis aspicienda iugis.
Atq; Saracenos ab Iberi depulit undis,
Irrigat Hesperios huc ubi Bætis agros.
Astrorum cursus, & fata regentia mundum,
Scrutari solitus tempore pacis erat.
Addictusq; fuit concessa per ocia Musis,
Doctus in alternos cogere uerba pedes.
Carmina, morte quibus Rolandum fleuit ademptum,
Quattuor hæc eius nomine uulgus habet,
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis.
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris binos octo super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.





Teutones arctois etiam quibus utimur oris,
Nomina bissenis mensibus ipse dedit.
Cum quater, à decimo, tria lustra peregerat, anno
Vltima longæuum fata tulêre senem.

### LVDOVICVS PIVS.

Filius imperij cœpit Ludouicus habenas,
Nomen ab insigni qui pietate tulit.
Hic studium pacis cum bella perosus amaret,
Marte tamen clarus militiaq; fuit.
Cymbrica sedato pacauit regna tumultu,
Exitium fratri fratre mouente suo.
Compulit & sumptis absistere Britonas armis,
Stricta iubens sæua ponere tela manu.
Expulit Ausonios & Tybridis urbe Quirites,
Qui caput exortæ seditionis erant.
Fœlix, si sterili sobolem natura negasset,
Nullus & uxoris cognitus esset amor.
Quos genuit natos, crudeles repperit hostes,
A quibus heu captus uincula sæua tulit.
Mox tamen ereptus fatali carceris antro,
Cœpit honorata reddita sceptra manu.
Emeritam clausit supremo fine senectam,
Mogus ubi Rheni cornua miscet aquis.

### LOTHARIVS I.

Laude nihil dignum famaq; Lotharius egit,
Intulit iniustus fratribus arma suis:


I P N
1561

Menander.

Ἄριστόν ἐστι πάντ' ἐπίστασθαι καλά.

Optimu͂ est o͂ia scire pulchra.

Omniu͂ rerum satiabile verbum Dei;

Murus aheneus sana conscientia.

MGI.

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS POEMATA ET NVMERO LIBRORVM AVCTA, ET EMENDATIVS IMPRESSA, QVAM ANTEA FVERVNT.

LIPSIAE

IN OFFICINA VALENTINI PAPAE.

Anno

M. D. LVIII.

# CATALOGVS EORVM QVAE HOC VOlumine continentur.

Elegiarum libri VI.

Cæsares Germanici.

De nuptijs Regis Poloniæ carmen Heroicum, continens præcipuas omnium Polonicorum Regum historias.

Ecloga de Gallo ad Ticinum capto.

Ecloga de nuptijs illustrißimi principis Alberti Marchionis Brandeburgensis, primi Ducis Prußiæ.

Epigrammatum & Hendecasyllabarum libri II.

Liber carminum Adoptiuus.

Additæ sunt aliquot epistolæ, cum ipsius Sabini: tum Petri Bembi, aliorumq; eruditorum, et Caroli V. Imperatoris, de Sabino scriptæ.

# ILLVSTRIS-
# SIMO ET REVE-
## RENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO,

*Archiepiscopo Madeburgensi, Primati Germaniæ, administratori Halberstatensi Ecclesiæ, Marchioni Brandeburgensi, Stetiniensium, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum, & Crosnæ in Silesia Duci: Burggrauio Normbergensi, ac Rugiæ principi:*

GEORGIVS SABINVS

S. P. D.

VT alij motus heroici, quibus ceu flammis accenduntur excellentes uirtutes, sunt singularia Dei opera in hominũ natura, ut Herculis, Achillis, Alexandri fortitudo: ita nõ dubium est, uim ingenij excellentem ad fundendum carmen sonorum, co-

piosum, dulce mentibus auribusq; eruditorum, proprie Dei opus esse, ac singulare & mirandum naturæ humanæ decus. Lucet autem magis, cum res sapienter cogitatæ, & illustratæ uerborum luminibus, numerosa oratione exponuntur: quod sine multarũ artium ac rerum cognitione effici non potest. Quid enim excogitari pulchrius in natura humana potest tali seu musica seu poëtica, quæ instructa sapientia & cognitione rerum optimarum, fundit ceu flumen, illam magnarum rerum expositionem dulcissima harmonia numerosæ orationis. Talis est Homeri, Virgilij & Ouidij Poëtica: & fortassis talia fuerũt multorum aliorum excellentium uirorum scripta, Orphei, Amphionis, Lini, Musæi, Ennij: quorum etsi non extant integra uolumina, tamen cum tã honorifica de eis iudicia facta sint, ut alij feras, & saxa traxisse ferantur, alij summis uiris familiares fuerint, & fragmenta ostendãt eos res maximas

carminibus complexos esse: credibile est uim naturę in eis & sapientiam fuisse maiorem, quàm qualis est in mediocribus hominibus. Itaq; de uera Poëtica cogitans, magnum quiddam & diuinum, eam esse affirmare nō dubito. Ac sæpe doleo non solum Reges & principes, qui non sunt exculti doctrina, pulchritudinem huius facultatis non considerare: sed hos etiam quorum ingenia non abhorrent ab hac musica, adeo negligentes esse, ut naturæ facultatem nō studeant augere & ornare doctrina, & imitatione optimorum exemplorum, Aliqui etiā, uim ingenij in materijs indignis lectu, in maledictis, aut obscœnitate consumūt. Sed profecto aliqua est & principum in ea re culpa, qui si & eligerent, & fouerēt ingenia, plures ad uerum decus tenderent. Nam quantulūcunq; est, quod studio ad naturam adijci potest, tamen postulat tempus, ocium, animum uacuū sordidis curis, rerum multarum doctrinam, collati-

onem iudiciorum cum doctioribus, emendationem: nec quicquam præclarum ſubito naſcitur. Hæc autem fieri non poſſunt, niſi principum ſapientia & diſcernantur ingenia, & liberalitate adiuuentur. Cum ineptus quidam Poëta olim in conuiuio peteret ab Archelao Macedonum rege munus magni precij: in eodem uero conuiuio Euripides quoq; adeſſet: rex iubet mox afferri munus, ac dari Euripidi: addens ſui iudicij ſignificationem, his uerbis: iſte dignus eſt qui petat, Euripides dignus eſt qui accipiat. Si hoc modo & diſcernerentur & alerentur ingenia, tum literis tum reipublicæ melius conſuleretur. non haberet hæc ætas tam multum pernicioſorum librorum, qui ſpargunt errorum & ſeditionum ſemina, ſi graui autoritate ad diligentiam in ſcribendo bona ingenia inuitarentur, & naturæ diſtortæ, monſtroſæ, ſeditioſæ, uenenatæ, reprimerentur. Mores ciuitatum mutari dixit

uetu-

uetuſtas, mutata muſica: uerius eſt, quod nos uidimus, mores hominum mutari ſcriptis ſine delectu editis. Et ſępe fit, ut clamores tribunitij, quia alludunt ad populi adfectus, uincant. Huius rei cũ hęc ætas habeat inſignia exempla, commonefieri certe principes gemitibus bonorum omnium debebant, ut ſtudia doctrinarum maiore cura inſpicerent, & regerent: diſcernerent ingenia, inuitarent bonas mentes ad diligentiam, compeſcerent audaciam temere ſcribentium ſine cura ueritatis, & ſine cura publicæ ſalutis. Scio tantum autoritatis in oratione mea non eſſe, ut his tantis malis publicis mederi queam: nec profecto unus illam infinitam turbam malorum ſcriptorum pellere poteſt. Sed tamen cum hæc mea ſcripta ederem, dolor qui mihi cum omnibus bonis communis eſt, me impulit, ut hanc querelam effunderem. Equidem fateor me & amare & magnifacere Poëticam, &

optare ut eius pulchritudinem plures intelligerent: sed excellentibus scriptoribus nequaquam me insero, & propter ingenij imbecillitatem, & propterea quia in hac confusione temporum non licuit mihi tribuere huic arti tantum studij, quantum magnitudo rei poscit. conspici tamen in carminibus meis, & uoluntatem honestam & mediocrẽ diligentiam existimo: materias enim utiles sumpsi, & recte loqui studeo.

Cæterum hæc scripta, qualiacunque sunt, tibi dedico Sigismunde princeps illustrisime, propter memoriam tuorum maiorum, qua nihil tibi sanctius nihil antiquius esse debet. nam plerique eorum, à quibus paternum & maternum genus ducis, his ingenij mei monumentis celebrantur: nec dubito te, ut principem egregia indole præditum decet, imitaturum esse exempla uirtutum quas in tuo auo, patre, & agnatis laudo. Ferunt Q. Maximum Publium Scipionem, uehemen-

hementiſsime ad uirtutem incenſum fuiſſe conſpectis maiorum imaginibus: nec fieri poteſt, quin tuus quoq; animus uere generoſus ad uirtutem & gloriam incendatur lectis maiorum præconijs, quæ uerſibus mandaui. Cum uero in Germania (quod pace aliorum dixerim) magis à Marchionibus Brandeburgenſibus ornatæ ſint muſæ quàm ab alijs: præclare facies, ſi huius gloriæ hæreditatem conſeruaueris. Petiui olim iuueniliter à Cardinale Alberto, Archiepiſcopo Mogũtino Mecœnate meo ad quem extat prima elegia in his Poëmatis à me ſcripta, ἀντίδωρον: idq; ioco feci, non tam impudentia, à qua ingenium meum fuit ſemper alienũ, quàm ipſius facilitate & humanitate adductus: erat enim princeps omnium humaniſsimus, meq; inter aulicos & familiares ſuos ſingulari benignitate complectebatur. Sed nunc ætate prouectior, ſerio abs te hoc peto ac flagito, quo nihil honeſtius neq;

à me peti, neq; abs te præstari potest, nempe ut bonarum artium studia, quæ à plerisq; fastidiuntur, exemplo maiorum tuorum benigne ac liberaliter foueas: ea tamen ratione, ut (quemadmodum monui) ingenia discernantur.

Datæ Idibus Nouemb. Anno Christi M. D. LVIII. Francofordiæ ad Oderam.

GEOR-

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEGIARUM LIBER PRIMUS.

## AD LIBRVM, Elegia I.

PArue liber uiridi nobis confectus in æuo,
Quo procul à domino te iuuat ire tuo?
Hei mihi, quàm uereor, si limina nostra relinques,
Plurima ne tristi sorte dolenda feras.
Inuidiæ morsus, & acerbæ uulnera linguæ
Cogeris, populo te lacerante, pati.
Turpia non æquus faciet conuitia lector,
Et pedibus uitium dicet inesse tuis.
Culpatos numeros inducet mille lituris:
Ac tua suffusis polluet ora notis.
Forsitan infelix & proijcieris in ignem
Barbariæ critico te peragente reum.
At quæcunq; tamen sors euentura manebit
Te liber: ipse tuum non remorabor iter.
Vade bonis auibus: iuuenes totumq; per orbem
Consortes longæ posteritatis adi.
Ex his inuenies aliquos, qui forsan amabunt,
Gaudebuntq; suos te subijsse lares.
Nam quibus est præsens ætas minus æqua libellis:
Posteritas illis æquior esse solet.

At non

At non Sidonio te purpura uelat amictu:
Ex humeris pendet trita lacerna tuis.
Nec tibi sunt nummi, quorum uagus indiget hospes:
Sæpe laborabis frigore, sæpe fame.
" Hospitis esse grauem fuluo decet ære crumenam:
" Non bene longinquum carpit egenus iter.
Fallor? an expectas, ad principis atria cuius
More uiatoris pauper egentis eas?
Subsidiumq; uiæ, pro uersibus æra dicatis,
Ipse uerecundo sed tamen ore petas?
Est sacer Antistes, magnæ qui præsidet urbi,
Nobile cui nomen Mogus habere dedit:
Is licet ante tibi multum donauerit auri,
Eius adhuc largas experiere manus.
Nam uelut aërij manans è uertice montis
Præbet inexhaustam uena perennis aquam:
Sic largitur opes, & in illos munera confert:
A quibus æternæ munera laudis habet.
Ergo magnificas Antistitis huius ad ædes,
Ne dubita uultu supplice ferre pedem.
Cumq; tibi coram dicendi copia fiet:
Talia curuato poplite uerba refer.
Hos tibi magne leues elegos quos affero præsul,
Inuenies plenos laudibus esse tuis.
Nomina in his extant maiorum clara tuorum:
Sæpe tibi frater, sæpe legetur auus.
Musa sed in primis hic te mea laudibus effert:
Nobile crebra tuum pagina nomen habet.

Nam

Nam tua maiores uirtus quæ præterit omnes,
Altius in cœlum laude uehenda fuit.
Si quis Erythreas gemmas donarit & aurum,
Haud meliora tibi carmine dona dabit.
Carmine laudati uiuunt post funera reges:
Carmine notitiam posteritatis habent.
Quis nunc Aeacidæ mauortia nosset Achillis
Facta, nisi illustri carmine nota forent?
Dulichio nomen regi famamq; perennem
Smyrnæi tribuit nobile uatis opus.
Vt tua morte carens uiuat post funera uirtus,
Nostra tibi princeps & monimenta dabunt.
His mihi pro meritis quæ præmia digna rependes,
Gratia si Musis est referenda meis?
Hæc sacer audierit cum uerba precantia præsul:
Illo (ni fallor) munera dante feres.
Iamq; graues auro loculos ubi diues habebis,
Quo te cunq; iuuat pergere, carpe uiam.

## AD EOBANVM HESSVM de aduentu Caroli V. Cæsaris.

## ELEGIA II.

QVod legis, Augusta tibi mittit ab urbe Sabinus
Carmen, amicitiæ deditus Hesse tuæ,
Hinc, ubi uicinos Lycus irrigat alpibus agros,
Sueuaq; Boiorum separat arua solo.

Accipe,

Accipe, si qua tenet rerum te cura nouarum,
Quæ fuit hic isto pompa peracta die,
Carolus Ausonijs quo uenit Cæsar ab oris:
Digna quidem res est cognitione tua.
Concaua syderei quo tempore bracchia Cancri
Ceperat adductis urere phœbus equis,
Arctabatq; dies, noctis, longißimus, umbras
Sole Lycaonio iam propiore polo:
Et noua maturis instabat fructibus æstas,
Actaq; purpurei tempora ueris erant:
Cæsar ab Italia per Norica iugera tendens,
Mœnibus huc nostris adproperabat iter.
Vix bene contigerat præmissus nuncius urbem,
Certaq; Principibus fama relata fuit:
Mox coit imperij cum nobilitate Senatus,
Omnis in occursum turbaq; læta ruit,
Haud secus, ac uictis cum dicitur hostibus olim
Excepisse suos obuia Roma Duces.
Mille bis electi iuuenes è ciuibus ibant,
Nota quibus sæui prælia Martis erant:
Hi patriæ solito frameas de more gerebant,
Transuerso cincti militis ense latus.
Cætera cornipedum pars terga premebat equorum,
Ordine quæ ciues pone sequuta fuit.
Vrbs stat in excelso procul edita uertice montis,
Incola Fridburgum nomine turba uocat:
Campus odoratis nitidißimus adiacet herbis,
Mollis & aprico gramine terra uiret:

Obuius

8

*Obuius hic factus cum Cæsar euntibus esset,*
*Omnes, quotquot erant, desiluere Duces.*
*Tunc, tuus excipiens illum Moguntia præsul,*
*Hæc dedit ornatis uerba diserta modis.*
*Felix ille dies, nostris quo redditus oris,*
*Hesperio incolumis Cæsar ab orbe uenis:*
*Quo repetita tuos iterum Germania uultus*
*Conspicit, & fruitur numine læta tuo,*
*Tantus es inuicto qui pectore, tantus & armis,*
*Quantus ab Augusti tempore nemo fuit.*
*Nam mihi si rerum percurrere gesta tuarum,*
*Si licet hoc coram te memorare loco:*
*Insignes omni superas uirtute Monarchas,*
*Quos dedit, aut unquam Teutonis ora dabit.*
*Quæ toties Aquilas iniustis terruit armis,*
*Concidit ante tuos Gallia uicta pedes:*
*Captiuumq; pati conspexit uincula Regem,*
*Qui summus nostri nominis hostis erat.*
*Debellata tuis accessit Roma triumphis,*
*Iniussu quanquam capta sit illa tuo:*
*Quiq; suis orbem Tiberinus subdidit undis,*
*Te dominum domitis esse fatetur aquis.*
*Paret, & Adriacus stabili leo fœdere iunctus,*
*Cæsareas rapidis unguibus horret aues,*
*Qui pelago terraq; potens, hostilibus armis*
*Acriter imperio restitit ante tuo.*
*Sentit adhuc obsessa tuas Florentia uires,*
*Iamq; tibi uictas porrigit illa manus.*

Ergo tot aduersos cum debellaueris hostes,
Cognite laudato Carole maior auo,
Nos tibi gratamur reduci, superosq; precamur,
Tempora quo uitæ sint diuturna tuæ:
Victor ut à nostro depellas limine Turcas,
Teutona qui ualido milite regna petunt,
Mœstaq; dant sæuo grassantes funera ferro,
Pannoniæ miseros dum populantur agros.
Quod nisi crudeles tua dextera uicerit hostes,
Nos sumus infestis præda futura Getis.
At nisi me ueterum fallunt oracula uatum,
Sentiet ultrices impia turba manus.
Tempus enim Solymã quo castra locabis ad urbem
Adfore, fatidici præcinuere senes:
Quoq; Saracenum coges uictricibus armis
Subdere Cæsareo barbara colla iugo.
Hanc utinam nobis optato Lucifer ortu
Prouocet, hanc roseo mox uehat axe diem.
Talia facundo postquam dedit ore: sequutum
Vltima sermonis murmur equestre fuit,
Audijt ut quando Ciceronem Roma loquentem,
Clamoso fremuit concio tota foro.
Principibus uero paucis pro tempore uerbis,
Ipse suo grates nomine Cæsar ait.
Et quia se prono condebat lumine Titan,
Ocyus inceptum carpere pergit iter.
Iamq; propinquantes ut mœnia celsa subibant,
Pulsa sub aërijs turribus æra sonant:

Intonat

*Intonat ex altis & machina bellica muris,*
*Sulfureo rapidos quæ iacit igne globos.*
*Compita spectantis populi stant plena uiarum,*
*Angustumq́; frequens turba coarctat iter.*
*Saxoniæ proceres intrabant ordine primi,*
*Proximus his socios Marchio iunxit equos.*
*Pone sequebantur, latis quibus Heßia terris*
*Imposuitq́; suis nomina Rhenus aquis.*
*Quiq́; colunt patrijs flauentem sedibus Istrum:*
*Quiq́; tenent Francis ædita rura iugis.*
*Præterea celebri quos alluit amne Visurgis,*
*Vestphala cæruleis qui rigat arua uadis.*
*Quid tibi commemorem, qui nobile flumen Iberi*
*Diuitis & ripas deseruere Tagi?*
*Incomperta mihi quorum nec nomina constant,*
*His neq; conueniunt uersibus apta meis.*
*Innumeri iuuenes mixto clangore tubarum,*
*Quassabant agili tympana pulsa manu:*
*Binaq; Cæsarei gestabant sceptra ministri,*
*Imperij summos qui præiere Duces:*
*E quibus auratum septemuir prætulit ensem,*
*Saxoniam placida qui modo pace regit.*
*Hac igitur longa procerum stipante caterua,*
*Atq; Ducum tanta concomitante manu,*
*Ipse figurata picti sub imagine cœli,*
*Inuectus niueo Carolus ibat equo.*
*Omnis in hunc oculos defixos turba tenebat,*
*Omnibus hic populis solus in ore fuit.*

Inde Bohemorum qui regna uetusta gubernat,
Proximus à Diuo Cæsare frater erat.
Vltimus Orator Romani præsulis ibat,
Nomine Campeium se uocat ille suo,
Insignis Tyrio quem murice mula uehebat:
Mos ut in Hesperijs urbibus esse solet.
Tempora puniceus cingebat operta galerus,
Cardinei qualem nominis ordo gerit.
Tunc iter, Austriaci proceres Heduiq; sequuti,
Atq; Tridentinus continuabat eques:
Vindeliciq; suo redeuntes agmine ciues,
Qui prius egreßi mœnibus urbis erant.
Ardua sublimi spectatur culmine turris,
Hic ubi stat medio curia iuncta foro,
Quæ Germanorum ueteres ex ordine Reges,
Pictaq; clarorum continet acta Ducum.
Hic fera robusti miscent ubi prælia Cimbri,
Attonito pauidus milite Carbo fugit.
Nexa gerit Scaurus captiuo uincula collo,
Cæsus ex hostili Manlius ense cadit,
Impiger Arminius Romanos exuit armis,
Quo duce libertas nostra redempta fuit.
Parte alia Scythicis egressum finibus Hunnum,
Primus Otho forti pectore uictor agit.
Multus ad hanc turrim longo stetit ordine clerus,
Cæsare contigua prætereunte uia:
Omnibus abraso detonsi uertice crines,
Omnibus ex humeris candida uestis erat.

Inde

Inde sacram diuæ subeuntes uirginis ædem,
Carmine solenni concinuere preces.
Arboreis stabant decoratæ frondibus aræ,
Sparsaq; iactatis templa fuere rosis.
Interea toto subducta crepuscula cœlo,
Ortaq; roriferæ tempora noctis erant.
Dimißis igitur Ducibus, cum fratre subibat
Carolus hospitij tecta propinqua sui:
Atq; ita, quàm celebri res tota sit acta triumpho,
Omnia descriptis ordine rebus habes.
Cætera præsenti coram sermone loquemur,
Tempore quo repetam mœnia uestra: Vale.

## AD IOANNEM ET HENRIcum Silberborneros, de spectro Spirensi.

### ELEGIA III.

O Mihi præcipuos inter dilecte sodales,
O mihi Thesea cognite Iane fide:
Tuq; nouenarum studijs Henrice Sororum
Dedite: pars animæ dulcis uterq; meæ.
Ecquid adhuc memores ueteris remanetis amici?
Longus an è uestro pectore fugit amor?
Nos ad Saxonicum procul hic qui uiuimus Albim,
Immemores uestri non uidet ulla dies.
Siue soporiferis terræ nox incubat umbris,
Seu nitido Phœbus lumine lustrat humum:

Vestra meis præsens quasi uultibus hæret imago,
　Estq; frequens uestrum nomen in ore meo.
Plurima uobiscum studijs collata recordor,
　Plurima iucundis seria mixta iocis:
Quodq; dedi uobis mea carmina, quodq; dedistis
　Carmina iudicio uestra probanda meo.
Quarum nulla mihi uenient obliuia rerum,
　Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.
Vos utinam nostri memorem seruetis amorem,
　Semper ego hic uestri commeminisse uolo.
Atq; prius, Ligeri gelidus miscebitur Ister,
　Aruaq; cæruleis Gallica findet aquis,
Influet huc nostrum Rhenusq; bicornis Hauelum,
　Quàm meus in uobis diminuetur amor.
At procul hinc longa dum uos regione locorum
　Detinet à patrio terra remota solo:
Feruidus æstiuos ubi nuper Iulius ortus
　Mouerat, & flauæ tempora meßis erant,
Incomperta prius, res nostris accidit oris:
　Carminibus uobis nec reticenda meis.
Vrbs antiqua iacet, celebri contermina Rheno,
　Vangionum longe non ea distat humo:
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur:
　Sunt ibi Francorum busta quaterna ducum.
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
　Nomen ob id Graium, Spira uocata, tenet.
Hic humili modicis à stirpe parentibus ortus,
　Exiguæ quidam nauita puppis erat:

Qui calamo pisces linoq; madente solebat
  Fallere, iam radios sole tegente suos.
Is dum forte leues hamos ac retia tractat,
  Non procul à ripa lubrice Rhene tua:
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis,
  Obtulit ignoti se noua forma uiri.
Atro tectus erat monachum simulante cucullo,
  Vtq; solent, raso uertice tonsus erat.
Nauta propinquantem consueto more salutans,
  Ecquid agis sero tempore noctis? ait.
Ille sub hæc, adsum longinquis missus ab oris
  Nuntius, ipse tua me rogo lintre uehas,
Vt cito transmisso contingam flumine ripam:
  Dixerat, assumptum nauita lintre tulit.
Iamq; ferè medios cursus nox atra tenebat,
  Flexaq; lenta pigri plaustra Bootis erant:
Cum procul in uiridi uenientes margine ripæ,
  Quinq; cuculligeros rursus adesse uidet,
Exoptatq; illis piscator, ut ante, salutem,
  Quoq; uelint media pergere nocte rogat.
E quibus unus, ait, nos magna pericula cogunt,
  Obscura tutas carpere nocte uias.
Omnibus inuisi sumus: intentatq; nefandam
  Sacrificis nobis turba profana necem.
At te si quis amor, tangit si cura piorum,
  Transuehe nauigio corpora nostra tuo:
Vt tumidas lati superemus fluminis undas,
  Neue moraturis impediamur aquis.

Sic optata tuis fortuna laboribus adsit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit, & remo propellens nauita cymbam,
Mox iubet adducta scandere puppe ratem.
Sed mihi quis, dixit, soluet mercede laborem?
Alter ad hæc, nullas scis quod habemus opes:
Raraq; percipimus discordi munera uulgo,
Non tamen ingratos nos habiturus eris.
Si nos in solido rursus fortuna locabit,
Præmia pro tali digna labore feres.
Soluerat extremo piscator margine nauem,
Iamq; ferè medias illa secabat aquas:
Sydereas remouent subeuntia nubila stellas,
Præcipiti fertur puppis & icta noto.
Incipiunt nigris horrescere fluctibus undæ,
Sæuaq; tempestas imbribus orta furit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta, quid hæc, inquit, uult noua causa mali?
Nulla tamen pluuiæ uenturæ signa notabam,
Sol ubi flagrantes æquore mersit equos:
Nulla lacus usquam circumuolitabat hirundo,
Vlla nec est oculis ardea uisa meis.
Tum neq; Luna nigro surgebat pallida uultu,
Clarus & occiduo lumine phœbus erat.
Talia iactanti, disturbant uerba procellæ,
Impediuntq; graues ora loquentis aquæ.
Penè procellosi subuersaq; turbinis ictu
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.

Ardua

Ardua ſublatas tendens ad ſydera palmas,
A ſuperis orans nauita poſcit opem.
Quid facis? è monachis ait unus: & improbe dixit,
Deſine uoce tua ſollicitare Deum.
Moxq́; graui tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix quo prius uſus erat:
Illius hoc humeros pulſataq́; terga fatigat,
Cæſus ad extremam dum fuit uſq; necem.
Proditus eſt tandem peruerſi dæmonis aſtus,
Detectusq́; fuit fraude patente dolus.
Vana receſſerunt in inanes corpora uentos:
Manſit & ingratus naue relictus odor.
Mox quoq; purgato fugerunt nubila cœlo,
Et rediijt pulſis aura ſerena notis.
Territus hoc monſtro, gelidũ ſine ſanguine corpus
Tollit, & ad ripam nauita puppe redit.
Iſtic in uiridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eois ſol fuit ortus aquis.
Mane, ſub Oceanum pulſis Hyperione ſtellis,
Ducitur à puero prætereunte domum:
Omnia commemorans præſentibus æger amicis,
Clauſit adhuc illo fata ſuprema die.
Poſtera cum croceis fulgens aurora quadrigis,
Protulerat roſeas ore nitente genas.
Accidit & ſimilis diuerſo tempore caſus,
Acta ſed euentu res meliore fuit.
Summa procul radijs feriente cacumina Phœbo
Carpebat ſolus mane uiator iter,

Qui Nemetûm postquam digreßus finibus esset,
Primus ubi positus distat ab urbe lapis:
Aduentare nigro tectum uelamine currum
Conspicit, hic monachis currus onustus erat,
Ordine quem iuncti septem traxere iugales:
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quiq; manu flexas auriga tenebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte uiator,
Nec monachos illos, spectra sed esse uidet.
Euolat extemplo sublatus ad æthera currus,
Mixtaq; cum fumo flamma sequuta fuit,
Tristis & infaustum belli mortalibus omen
Horrida per nubes arma dedêre sonum.
Ille statim rediens, quæ uiderat indicat urbi:
Est ea res certa cognita uera fide.
Hæc igitur uobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti dæmonis ista uelint.
Effera Germanos agitat discordia reges,
Proq; cuculligeris impia bella parant.
Hæc, ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed Deus est nobis orandus, ut arma quiescant,
Ille precaturis mitia fata dabit.

 

## GERMANIA AD CAESArem Ferdinandum.

## ELEGIA IIII.

HAnc adflicta tibi Germania mitto salutem,
Quæ mihi non tribui, te nisi dante, potest.
Vsa diu rebus quæ sum tranquilla secundis,
Hoc iaceo multis tempore pressa malis:
De quibus ipsa tuum supplex cum numen adoro,
Ferre mihi solus qui potes, adfer opem.
Ecce uides rerum quàm tristis forma mearum,
Qualis & imperij sit status iste mei.
Omnia dißidijs sunt omnia plena tumultu:
Illa fuit quanti res mihi causa mali?
Seruiles acies sumptis heu uidimus armis
Nuper, & agrestes rure coisse manus.
Testis adhuc extat miserandæ Francia cladis,
Tota cadaueribus squalida facta suis:
Ipsaq; fertilibus laudata Alsatia campis,
Quæ fuit in multis cæde cruenta locis.
At pars ulla meo ne poßit abesse dolori,
Insuper externo nunc & ab hoste petor.
Turca ferox nostras descendere fertur in oras,
Alterius nobis altera causa mali:
Qui prope cuncta suis cum regna subegerit armis,
Posse suo sperat me quoq; marte capi.
Ergo si qua meæ remanet tibi cura salutis,
Adfer in aduersis his mihi rebus opem:

Ne toties claris quæ ſum prius aucta triumphis,
Hoſtibus hoc fiam tempore præda meis.
Nam tibi ſi rerum ſunt cognita geſta mearum,
Cognita quæ cunctis Regibus eſſe puto:
Semper adhuc inuicta fui, nulloſq; per annos,
Vllius inuenies me ſubijſſe iugum.
Roma ſuis totum domuit quæ uiribus orbem,
Nominis eſt nunquàm laudibus aucta mei:
Meq; laceßiuit quoties hoſtilibus armis,
Hanc liquet incepti pœnituiſſe ſui.
In me nil potuit uirtus animoſa Neronis,
Funere qui Rheni nobilitauit aquas.
Nil potuêre tuæ præſtantes Vare cohortes,
Quas meus Arminius depulit enſe ſuo.
Nec maris Adriaci tota cum plebe ſenatus
Noſtra ſuo potuit ſubdere colla iugo.
Deniq; nec magni potuerunt lilia Galli:
Lilia ſæpe mea languida facta manu,
Quin neq; Turcarum nos iam ſuperabimur armis,
Auxilio ſi me iuueris ipſe tuo.
Ducat in exemplum celebris te fama Camilli:
Nam patriæ uindex & fuit ille ſuæ.
Secula nulla tuum nomen uentura ſilebunt,
Inferiorq; tua laude Camillus erit:
Tu modo pro nobis & libertate meorum,
In Mahometigenas ſuſcipe bella Getas,
Eſſe redemptoris noſtri quos nouimus hoſtes:
Impiaq; aduerſus bella mouere Deum.

Hac

*Hac de gente fera, Danielis scripta Prophetæ*
*Multa canunt: paucis hic memoranda mihi.*
*Viderat is quatuor sub imagine regna ferarum:*
*Aspice, uera tibi, non ego ficta loquor.*
*Regibus Assyrijs, primis fera prima monarchis,*
*Altera sed Persis aßimilata fuit.*
*Tertia Graiorum referebat bestia sceptrum.*
*Quarta potestatem Martia Roma tuam:*
*Huius dira feræ facies truculentior illis,*
*Dißimilisq; tribus conspicienda fuit.*
*Ferratos dentes, bis cornua quinq; gerebat,*
*Et pedibus plodens concutiebat humum.*
*Exiguum uero cornu sub fronte latebat,*
*De medijs ortum cornibus illud erat:*
*In quo terrificis oculis, uultuq; minaci,*
*Humani capitis forma uidenda fuit.*
*Hoc cum cœlitibus diuis uiolenta gerebat*
*Prælia, blasphemos ore loquente sonos.*
*Turca ferox autem caput est immane, quod audis*
*Impia cœlesti bella parare Deo.*
*Hoc tibi frangendum caput est, hoc concute cornu:*
*Succumbat manibus bellua uicta tuis.*
*Ergo age, Rex, animo præsenti suscipe bellum:*
*Hei mihi quas pœnas impie Turca dabis.*
*Non tibi consuetæ mitti post terga sagittæ,*
*Non tibi uelocis proderit usus equi.*
*Aut ultra Tanaim patrijs eiectus ab oris,*
*Ludibrium cunctis gentibus exul eris:*

Aut

*Aut tua submittens iniectis colla cathenis,*
*Ante triumphales Regis obibis equos.*
*Inclyta gaudebit conuersis Græcia rebus,*
*Præbuit inuitas quæ tibi uicta manus:*
*Exultansq́; suis lætabitur amnibus Ister,*
*Quem tuus infestum reddidit ante furor.*
*Hoc precor esse ratum cœlesti numine Christus,*
*Hoc uelit omnipotens, Rexq́; paterq́; Deus.*
*At prius externos quàm progrediaris in hostes,*
*Certa tibi pax est constituenda domi:*
*Sedandiq́; graues de relligione tumultus:*
*Hoc Regem tantum, quantus es ipse, decet.*
*Nec minor ingenuas studijs florentibus artes,*
*Ac fouisse nouem sit tibi cura deas,*
*Quæ spretæ, sine honore iacent hoc tempore paßim:*
*Hac re nulla tibi gloria maior erit.*
*Tunc Deus indomitas, tibi Marte fauente, cohortes*
*Turcarumq; dabit uincere posse manus:*
*Tunc, quas nulla tibi poterit delere uetustas,*
*Laudes semper erunt, gloria semper erit.*
*Pluribus uberior ne crescat epistola uerbis,*
*Desino: tu felix incolumisq;, uale.*

## AD ILLVSTREM PRINcipem Magnum Ducem Megalburgensem.

## ELEGIA V.

Non

Non humili quanq; uirtus tua carmine Princeps
Sed grauiore mihi uoce canenda fuit,
Qua ueteri regum laudes de more solemus,
Dignaq; clarorum facta referre Ducum:
Grande tamen paruis Elegis committere pondus,
Me iubet ingenij conscia culpa mei.
Debilis in fulua sic ut gladiator arena,
Non leue difficilis cum mouet artis opus:
Si nequit inualidis contendere uiribus hastam,
Exiguo cautas instruit ense manus.
Attamen, ut spero, mea non ingrata uoluntas,
Officiumq; tibi carminis huius erit.
In magnis uoluisse sat est, & parua uidemus
Munera cœlestes sæpe probare deos,
Quos non icta magis taurorum corpora centum,
Quàm data sincero pectore thura iuuant.
Vnde sed incipiam dignas te Principe laudes?
Nomine quo meritum te super astra feram?
Si quis imaginibus, si nobilitate parentum
Clarus, ab antiquo sanguine iactat auos:
Non tibi nobilitas, non clarum nomen auorum,
Nec celebri dignum Principe stemma deest.
Quem fugit, insigni ueteres ab origine Cimbros
Gentis & authores sanguinis esse tui?
Quorum nota uiget terrarum fama per orbem,
Qua rubet Eoo candida sole dies:
Quaq; sub occiduo condens iubar æquore Titan
Aurea luciferis frena resoluit equis.

Non gens aërias transgressa potentior Alpes,
In Latium tantis uiribus arma tulit:
A q; tuos toties deuicit Roma Quirites,
Compulit in turpem uersaq; terga fugam.
Vix ubi conspexit uenientes Carbo cohortes,
Deseruit trepido castra relicta metu.
Manlius infausto committens omine pugnam,
Ante diem stygias penè subiuit aquas.
Degeneriq; suo captus cum milite Scaurus,
Comperit inuictas hostibus esse manus.
Diffugiunt Aquilæ, uestri formidine Tauri,
Martia qua torua cornua fronte tulit.
Sic, Lybici poterant quas non terrere leones,
Insolito pauidas terruit ille metu.
Iamq; bis à nostris duo secula condidit annis
Phœbus, & innumeri præteriere dies:
Cum domitis Asiæ populis, laudabile nomen
Maiores etiam promeruere tui.
Inq; Saracenos uictricia signa mouentes,
Gesserunt ualida prospera bella manu:
Atq; subegerunt euersis turribus arces,
Inq; peregrinis oppida multa locis.
Corneus infestis non profuit hostibus arcus,
Qui celer aut uentos uincere posit equus:
Non similes curuis Saturni falcibus enses,
Quæq; uenenoso spicula felle madent.
Sed quid longa tuæ repeto primordia gentis?
Sola quid immensis laudibus illa ueho?

Detineoq́; tuas priſcis annalibus aures?
  Cum ueſtræ memoro fortia facta domus:
Quæ ſi cuncta uelim dignis extendere uerbis,
  Ilias eſt operis longa futura mei.
Quin & multa tuus genitor uirtute peregit,
  Viua nec illius gloria laude caret:
Principe quo nemo longis prudentior annis,
  Nemo toga maior iuſticiaq́; fuit.
Hic ſine ui, mitis, regnum ſine cæde gubernat,
  Muneris officium certus id eſſe ſui:
Et niſi cum iuſtis delicta ulciſcitur armis,
  Commoda tranquillæ tempora pacis amat.
Sparſit adhuc nuſquàm funeſti ſemina belli,
  Turbauitúe ſuos irrequietus agros:
Vt pleriq; duces alij, qui ſanguine gaudent,
  Qui fera plus æquis legibus arma colunt.
Talis & ipſius memoratur gratia linguæ
  Eſſe, fuit Pylij qualis in ore ſenis:
Mœonij cuius perhibetur carmine uatis,
  Dulcior Hybleis ſermo fuiſſe fauis.
Te quoq; præterea matris commendat origo,
  Cuius ab Alberto gloria ſplendet auo:
Quo non læta minus ſe Francia iactat alumno,
  Ipſaq́; piſcoſis Marchia cincta uadis,
Quàm claro gaudens lætatur Apolline Delos,
  Quamq́; ſuperba ſuo Gnoſia terra Ioue.
Militiæ quiſquàm uix calluit aptius artes
  Cum fuit armata res peragenda manu:

Pluraq́;

*Pluraq; nemo suis commisit prælia signis,*
*Plus neq; diuerso laudis ab hoste tulit.*
*Belliger unde tuus Germania dictus Achilles,*
*Omnibus inuicto nomine terror erat.*
*Norica testatur memori respublica clade:*
*Illius hæc nouies milite uicta fuit.*
*Pallet adhuc trepidus fuluis Pegnesus arenis,*
*Mœnia qui gelida perfluit urbis aqua,*
*Cum subit hæc illi tristißima lucis imago,*
*Qua patrio totus sanguine tinctus erat.*
*Testis & est ueteri tellus regnata Borusso,*
*Prußia quæ nostro tempore nomen habet:*
*Hæc quoq; cæde sua lætos auctura triumphos,*
*Principis hostili concidit icta manu.*
*Illius ualidas experta Bohemia uires,*
*Sensit in Hercinijs nil opis esse iugis.*
*Diceris & supplex mœsto Pomerania uultu,*
*Ante triumphantis procubuisse pedes.*
*Fortia quid memorem facientes bella Polonos?*
*Strenuus in celerem quos dedit ipse fugam.*
*Silesias pulsis seruârit ut hostibus urbes,*
*Extat & in multis cognita fama locis.*
*Deniq; cœruleus qua flectit cornua Rhenus:*
*Turbidus immensis qua fluit Ister aquis:*
*Balthica finitimos qua Saxonas Amphitrite*
*Pulsat, & arctoam fluctibus ambit humum:*
*Vix locus est ullus, quo non uestigia Martis*
*Huius, in hunc restent & monumenta diem.*

Hic

Hic utinam uiuus, nostroq; superstes in æuo
Esset, & indigna non tumulatus humo:
Helladibus nobis non Turca minatus ab undis,
Austriacos esset depopulatus agros.
Non foret amissum Pelopis sine uindice regnum,
Captaq; crudeli nuper ab hoste Rhodus.
Iste suo diros cohiberet marte latrones,
Nos quibus hoc facti tempore præda sumus.
Aemonias arces, altasq; Propontidis urbes,
Subderet, infestis eriperetq; Getis.
Ergo tot egregijs maiorum clara triumphis,
Tam uetus & generis cum sit origo tui:
Editus illustri magnorum sanguine Regum,
Exuperas quosuis nobilitate Duces.
Se fortuna tuis etiam natalibus æquat:
Ampla pater censu diuite regna tenet.
Imperioq; iacet uestro quæ subdita tellus,
Omnibus utilium rebus abundat opum.
Fertilis uberibus gaudet Turingia campis,
Miratur fluuios Pannonis ora suos,
Altaq; se iactat proceris Hessia syluis:
Hessia montanis uix adeunda iugis.
At neq; fluminibus nemorumq; uirentibus umbris,
Læta nec agrorum fertilitate caret.
Irrigui passim labuntur murmure riui:
Tota paludosis amnibus uda madet,
Retibus unde trahunt uarios ad littora pisces,
Qui liquidis habitant rura propinqua uadis.

Florida per ripas depascunt prata iuuenci,
   Lanigeræ tondent fertile gramen oues.
Tum uirides circum pandunt sua brachia syluæ:
   Lignaq́; dant auidis materiemq́; focis.
Chaonis hinc duris curuatur glandibus arbor:
   Hinc uiret hirsutis pinus odora comis:
Nauibus hinc abies, hinc commoda fraxinus hastis
   Surgit, & irrigui fontis amica salix:
Atq; ubi cultus ager preßis renouatur aratris,
   Fertilibus uestit meßibus arua Ceres:
Et sua respondent operoso uota colono,
   Cum cadit immissa falce resecta seges.
His tua si terris non munera Bacche negasses,
   Omnibus hæc opibus terra beata foret.
Respicit ad gelidam qua parte Lycaonis Arcton,
   Vtile mutandis mercibus æquor habet.
Adde tot excelsis inuictas mœnibus urbes,
   Tot circumfusis oppida fluminibus:
Annua quæ uobis aut uectigalia soluunt,
   Aut patris agnoscunt sceptra uerenda tui.
Sed licet hæc habeas fortunæ dona secundæ,
   Sisq́; tot ac tantis dotibus auctus opum:
Nec tua uulgarem mereatur gloria famam,
   Plus tamen hoc uno nomine laudis habes,
Quod non ingenuas musarum negligis artes,
   Quod sacra Pegasei numina fontis amas:
Et celebres merito dignaris honore camœnas,
   Hoc rude quas odio tempore uulgus habet.

Quare sera tuum laudabunt secula nomen,
Et te posteritas omnis in ore feret.
Dumq; terunt alij sub inerti tempora luxu,
Plenaq; dum uanis ocia rebus agunt:
Hic dum gaudet equis, dum saltus ille ferarum
Lustrat, & immanes cuspide figit apros.
Alter ab occasu solis, dum solis ad ortum
Immensi siccat pocula plena meri:
Aut nocturna leues quassans ad lumina talos,
Damnoso patrias dum cane perdit opes:
Intendens animum studijs ac rebus honestis,
Ocia tu uitæ desidiosa fugis.
Tunc legis aut ueterum præclara poëmata uatum,
Aut uersas auida, scripta soluta, manu,
E quibus humanæ præcepta salubria uitæ
Discis, & ornato cultius ore loqui.
His quæ digna tuis reddam præconia factis?
Aut ita quem studijs incubuisse feram?
Terribiles inter lituos, sonitusq; tubarum,
Rex Macedûm legit carmen Homere tuum:
Fessaq; nocturna cum membra quiete leuaret,
Dicitur hoc stratis supposuisse suis.
Scipio, qui uicta meruit Carthagine nomen,
Fregit & Ausonia punica sceptra manu,
Sedulus in medio belli discrimine legit,
Quod Xenophon Cyri nomine scripsit opus.
Hos igitur Reges imitatus amore studendi,
Voluis & authorum perlegis omne genus:

Vt cum floriferis in odoræ uallibus Hyblæ,
Cecropiæ nitido uere uagantur apes,
Omnia nobilium populantur germina florum,
Ipſa parens rerum ſe quibus ornat humus.
Nunc Thyma delibant, nunc & Meliloton, & albas
Sanguine tinxiſti quas Cytherea roſas:
Atq; ſub aprico uernantia lilia campo,
Lilia Scythonia candidiora niue.
Auſonia quicquid retulerunt uoce camœnæ,
Ingenium ſolers callet id omne tuum.
Nec facunda deeſt Graiæ tibi copia linguæ,
Cognita quæ hic nullis Regibus ante fuit:
Quæ prius innumeros iacuit neglecta per annos,
Nuper ab obſcuro uix reparata ſitu.
Hinc ſunt nota tibi clarorum facta uirorum,
Nullaq; te priſci temporis acta latent:
Siue ſub Auguſto quæ Cæſare geſta leguntur,
Roma triumphati cum caput orbis erat.
Siue ſub antiquis cum Græcia floruit annis,
Cinxit & Hectoreas obſidione domos.
Quid loquar acceptas primis à patribus artes,
Quas quoq; noſſe tui muneris eſſe putas:
Qualia ſublimi niteant animalia cœlo,
Sintq; ſub æthereo lucida ſigna polo:
Scandere cliuoſum quo tramite Phœbus Olympum,
Aemula qua ſoleat currere Luna uia:
Et quibus emittat uentos Rex Aeolus antris:
Pertinet ad magnos hæc quoq; cura duces.

Tum uero ſtudijs adiungis ſacra prophanis,
Atq; Deum ſumma relligione colis:
Qui te diuitijs tantis & honoribus auxit,
Cuius habes ſolo munere quicquid habes.
Macte tuis animi uirtutibus inclyte Princeps,
Ingenij felix indole macte tui:
Cuius ob inſignem doctrinæ, gloria, famam
Laudibus implebit ſolis utranq; domum:
Cuius honos omni manſurus tempore uiuet,
Semper & æterno nomine clarus erit:
Dum uiridi doctæ ludent Helicone ſorores,
Dum fluet è ſacro Pegaſis unda iugo.
Tu modo perge tua quo te uocat indole uirtus,
Perge, nec à cepta dimoueare uia:
Quodq́; facis, doctas hoc aſſere tempore muſas,
Quæ ſine nunc omni prorſus honore iacent.
Aſpice nam quantis oppreſſæ cladibus artes,
Ingenij cultu depereunte, ruant.
Non fuit Aonidum maior contemptus ab illo
Tempore, cum cecidit culmine Roma ſuo.
Exulat ingratas facundia ſpreta per urbes,
Vlla nec ingenuis artibus aula uacat.
Ergo nouem uiridi præcinctas fronde puellas,
Hic te luminibus finge uidere tuis:
Cum fidibus cytharisq́; ſuis, à plebe fugatas
Procubuiſſe tui numinis ante pedes.
Hacq́; grauem querula teſtantes uoce dolorem,
In dubijs abs te poſcere rebus opem.

Si qua tuam nostri tangit miseratio mentem,
Vnica, dux, huius spesq; salusq; chori:
Respice contemptas studijs pereuntibus artes,
Quas odio cunctis gentibus esse uides.
Hac nisi tu solus nos tempestate iuuabis,
Humana prorsus destituemur ope.
Incertæ toto sine sedibus orbe uagamur,
Sorte nihil nostra durius esse potest.
Fraterna Eoi postquàm discordia regni,
Excitos patrio traxit ab orbe Getas,
Impius Argolicis nos expulit urbibus hostis:
Ausonis hinc nostra terra petita fuga est.
Sed nimis hic feruent dum tristibus omnia bellis,
Ceßimus hostili territa turba metu,
Inq; tuas tandem Germania uenimus oras,
Hic ubi iam nullo nos in honore sumus.
Tu nisi quod solus nostras amplecteris artes,
Ipse iacet nostri nominis omnis honos.
Pro quibus officijs tibi, præmia digna, rependent
Inclyte Dux grato carmina nostra sono:
Perpetuamq; tuis famam uirtutibus addent,
Quam poterunt nulli diminuisse dies:
Quæ tibi uenturos semper durabit in annos,
Donec erit cœlum, sydera donec erunt.
Omnia nam toto quæcunq; sub æthere mundus
Continet, exigua sunt peritura mora:
Legibus hæc atræ sunt omnia subdita mortis:
Sola sed extremo gloria fine caret.

Quæq;

Quæq; semel nostra celebrari uoce meretur,
Viuit & æterno tempore fama manet.
Sic Ithacus, sic Aeacides, sic Troius Hector,
Perpetuum nostro munere nomen habent:
In cinerem quamuis illos mutauerit ætas,
Ac tegat obducto cespite putris humus.
Perge fauere sacris igitur Dux inclyte musis,
Vt sublime tuum nomen in astra ferant:
Et quas, à teneris miratus es hactenus, artes
Nullius impulsu destituisse uelis.
Sic tua speratam contingat uita senectam,
Nestoreos superent sic tua fata dies.

## AD IOANNEM CARIONEM Principis Electoris Brandeburgensis Mathematicum.

## ELEGIA VI.

QVa pater excepit redeuntem Marchio natum,
Cum referenda mihi carmine pompa foret:
Et tamen istius non posse subire triumphi
Imbelles elegos grande uererer onus:
Inclyta quo memorant Heroum facta Poëtæ,
Mœonio cœpi nectere uerba pede.
Longa sed imparibus quæ carmina uersibus addit,
Nos affata leuis sic Elegia fuit.
Si duce me ueterum cecinisti prælia regum,
Qui sacra Cæsarea sceptra tulere manu;

Tunc neq; commisso magnarum pondere rerum,
Grande meas uires debilitauit onus:
Nil nisi quæ molles elegos cantare solebat,
Cur opus affectat nunc tua musa nouum?
Dixit, & imparibus numeris exorsa triumphum,
Apposuit longis uersibus ipsa breues.
Si mea principibus tamen hæc placitura putabis,
Commendata iuues scripta fauore tuo.
Hoc te, Pegasidum per numina casta sororum,
Per, quibus intentus semper es astra, rogo.

## DE REDITV IOACHIMI II. Marchionis Brandeburgensis depulsis Turcis. Anno M. D. XXXII.

## ELEGIA VII.

AVstriacis postquàm sæuissimus hostis ab oris
Auspice depulsus Cæsare Turca fuit:
Iamq; domum referens uictricia signa parentis,
Marchio uenturus cum Ioachimus erat:
Nuntia, quem belli ductorem, fama ferebat
Millia Turcarum multa dedisse neci:
Exultabat ouans animis, plausuq; fremebat,
Principis aduentu Marchia læta sui,
Vt cum magnanimos excepit Roma Quirites,
Si qua triumphandi gloria parta fuit.
Marchiacis fama iacet urbs celeberrima terris,
Quæ ducis Arminij nobile fertur opus:

*Vicinaq́; gerit præclarum nomen ab arcto:*
*Hic est Marchiaci Regia celsa Ducis.*
*Labitur irriguo per mœnia flumine Sueuus,*
*Vandalicum dictus qui Sprea nomen habet.*
*Magnificos nato pater exhibiturus honores,*
*Eductis illinc obuius ibat equis.*
*Ponè sequebatur cum fida plebe Senatus,*
*Pompa sacerdotum quos comitata fuit.*
*Fœmineus pariter chorus, innuptæq́; puellæ,*
*Florida quæ paßis serta tulêre comis.*
*Omnis at huc postquam progressa frequentia uulgi*
*Esset, ubi Princeps excipiendus erat:*
*Iamq́; propinquassent uictricibus agmina signis,*
*Agmina depulsis quæ rediêre Getis:*
*Desiliebat equo fulgentibus impiger armis*
*Filius, insidens quo faciebat iter.*
*Nec mora, quadrupedis descendens terga reliquit,*
*Militibusq́; pater frena tenenda dedit.*
*Fusus in amplexum post hæc tulit oscula nato,*
*Lætaq́; testatus gaudia mentis, ait:*
*O prædulce meum decus, o mea nate uoluptas,*
*O animi uotis mille petite mei,*
*Quo duce grassantes compescuit Austria Turcas*
*Nostraq́; libertas uindice tuta fuit:*
*Comprecor, hic fœlix aduentus ut auspice Christo*
*Sit tuus. Hæc postquam pauca locutus erat,*
*Effusis uultum lachrymis, & utrunq́; rigabat*
*Lumen, in humentes imbre cadente genas.*

*Astitit orator de sanguine natus equestri,*
*Dicere qui coram principe iussus erat:*
*Is sua facundis tum uocibus ora resoluens,*
*Hæc sermone graui uerba diserta dedit.*
*Anxia quod cupidis optabat Marchia uotis,*
*Incolumem gaudet te redijsse domum:*
*Huncq; tibi læto decernit honore triumphum,*
*Parta quod est belli gloria marte tuo*
*Laudibus auxisti patriam, famaq; perenni:*
*Notus ad Euxinas nomine factus aquas.*
*Nam licet adfuerint diuersa tot agmina regum,*
*Te confecta tamen res duce tota fuit:*
*Ore quod affirmant uno, quicunq; secuti*
*Prospera militiæ signa fuêre tuæ.*
*Scilicet Illyricis ubi iungitur Austria terris,*
*Et cohibent fines Pannona regna suos:*
*Norica qua summis æquant iuga nubibus Alpes,*
*Quæ niue perpetua frigoribusq; rigent:*
*Dicitur immani grassatus cæde tyrannus,*
*Funera crudeli sæua dedisse manu.*
*Dissecuit raptas ad stupra nefanda puellas:*
*Et quod adhuc multo plus feritatis habet,*
*Sæuior infixit pueros Busiride palis,*
*Cuncta quibus belli parcere iura solent.*
*At prope Cæsareus quamuis exercitus esset,*
*Ferre tot afflictis qui potuisset opem:*
*Quamuis iunctus erat forti Germanus Ibero,*
*Qua sita sublimi turre Vienna iacet,*

*Ex his,*

Ex his, nemo tamen uiolento restitit hosti,
Nemo, latrocinium qui foret ultus, erat,
Donec es eductas hortatus ad arma cohortes,
Et grauis exarsit pectoris ira tui.
Nanq; tot occidi miseros sine uindice ciues,
Totq́; puellarum millia capta trahi:
Funditus euerti crudelibus oppida flammis,
Haud poteras animo dißimulante pati.
Et quia bella gerit fugiendo, more latronum,
Confidens celeri Turcicus hostis equo:
Te cum militibus properantem, nulla quietis,
Nulla uoluptatum cura morata fuit.
Noctes atq; dies, per inhospita saxa, per alpes
Diceris aßiduam continuasse uiam:
Absq; cibo magnos potuq́; tulisse labores,
Ne fugiens retro uertere posset iter.
Turca propinquantes turmas ut uidit equestres,
Inclyte tu quarum Marchio ductor eras,
Conspexitq́; uiros, non quos nigra sole colorat
India, uel quales Græcia mollis habet,
Arma sed ex solido totum quibus ære tegebant
Corpus, & obductus caßide uultus erat:
Ipse Scythas quanquam secum Parthosq́; trahebat,
Versa repentino terga pauore dedit:
Inq́; latebrosas se territus abdidit Alpes,
Ceu lupus à præda quem cane pastor agit.
Nec tamen elabi trepidæ potuere cohortes,
Nil fuga, nil celeris profuit usus equi:

Sed quocunq; uagas pauor & metus acer agebat,
Faucibus occlusis non patuere uiæ.
Deniq; paucorum post interualla dierum,
Spes ubi, nulla fugæ, nulla salutis erat:
Barbarus ex latebris erupit, & aspera tecum
Prælia, funestas conseruitq; manus.
Tum uerò patuit sæuos tuus ardor in hostes,
Cum tibi pugnandi copia facta fuit.
Intrepidus dubij discrimina martis adibas,
Quæ cum militibus sunt adeunda duci.
Nec similes rigidis metuebas falcibus enses,
Nec quæ mortiferum spicula uirus habent.
Atq; tot inferior numero licet hostibus esses,
Tu conferre manus cum quibus ausus eras:
Hiq; tuerentur se fortibus acriter armis,
Tanquàm uita quibus marte tuenda fuit:
Interfecta tamen bis millia quina uirorum,
Ex Mahometigenis occubuere Getis:
Nec Germanus eques fuit ullus ab hoste peremptus:
Tam fortuna tuis partibus æqua fuit.
Victor ademisti captiuæ uincula plebi,
Hostili fuerat quæ peritura manu.
Hic tua cum multos seruârit dextera ciues,
Ciuica danda fuit iure corona tibi.
Iudice laudata est igitur tua Cæsare uirtus,
Qui tibi militiæ splendida dona dedit,
Auratas phaleras, auratum calcar, & ensem:
Quo tibi nil tribui maius honore potest.

Nuntia,

Nuntia, Turcarum fuit ut perlata tyranno,
Fama, trucidatos damna tulisse suos:
Exitioq́; datas à paucis esse cohortes,
Præcipuè quarum robore fisus erat:
Sic tua degenerem uictoria terruit hostem,
Vt dare sit uerso terga coactus equo:
Inq; Propontiacas sine laude recesserit oras,
Qui sua iuratus sceptra, deosq́; fuit,
Quod nisi castra prius Rheni mouisset ad undas,
Ipse relaturus non foret arma domum.
His tuus ex rebus pater, inclyte Marchio, gestis
Mille uoluptates, gaudia mille capit:
Exhibet ac reduci similes tibi lætus honores,
Vt proaui natis exhibuêre tui.
Sic patris exceptus pater est, ab Achille, Iohannes
Cum rediјt populo uictor ouante domum,
Arma Bohemiaci quo tempore fregerat hostis,
Et fera pugnacis robora Lusaciæ:
Silesiæq; suis adiecerat oppida terris,
Per quas irriguis Odera tendit aquis.
At plus una tibi peperit uictoria laudis,
Quàm tot auo gestæ res peperere tuo.
Nam quibus ille suos uictor compescuit hostes
Pro patrijs tantum ciuibus arma tulit.
A Mahometigena, tua dextra, tyrannide cunctos
Asseruit Christum qui pietate colunt:
Totiusq; feros prædones contudit orbis,
Nemo sua poterat quos cohibere manu.

Nominis æterna uicturus laude parasti
  Immortale tibi perpetuumq́; decus,
Nulla tuas unquàm uirtutes, nulla silebit
  Posteritas famam, sit modo grata, tuam.
Scilicet à magnis quoties Heroibus olim
  Clarorum fuerit mentio facta ducum,
Pro populo Christi, pro relligione tuenda,
  Qui pia gesserunt uindice bella manu:
Ex seris referens tua facta nepotibus unus,
  Non minor hic magno, dicet, Othone fuit.
Cæsare pugnaces hic contudit auspice Turcas:
  Armigeros Hunnos tradidit ille neci.
Sic tua uirtutum memorandaq́; gloria rerum
  Omnis in ore frequens posteritatis erit:
Historiciq́; tuas laudes annalibus addent,
  Qui patriæ condent facta legenda suæ.
Nunc tibi det plures utinam fortuna triumphos,
  Semper & in bellum sic rediturus eas:
Id pater, id cupiens cum plebe senatus, id optat
  Nobilitas, tota qui tibi mente fauent.
Hæc & plura graui fuit ut sermone locutus,
  Ista uerecundi uerba fuere Ducis:
Grata mihi læti patris officiosa uoluntas,
  Acceptus populi debet & esse fauor.
At quòd parta fuit nostro uictoria ductu,
  Gratia non nobis est sed habenda Deo:
Qui mihi Cæsareo pro nomine bella gerenti
  Affuit, & reduci prospera fata dedit.

His ubi respondit paucis: conuersus ad urbem
Cum patre, cum tota nobilitate, fuit.
Vulgus Io Pæan, omnesq; triumphe canebant,
Per loca, per cunctas uoce sonante uias.
Progrediens inter fratrem charumq; parentem
Marchio Turcarum uictor ouabat equo.
Innumeri circum custodes corporis ibant,
Bellica qui forti Gesa tulere manu.
Vt fuit ingressus portas exercitus urbis,
Tympana cum raucis signa dedere tubis.
Pendula sacratis in turribus æra sonabant,
Vndiq; sublatus plausus ad astra fuit.
Machina sulfureas iaciebat ahenea glandes,
Cuius humi sternens mœnia pulsat onus:
Vnde resultabat cœlum, ceu fulmine misso
Cum uenit æthereo magnus ab axe fragor.
Humida Nympharum perterritus atria Sueuus
Clausit & è medijs sustulit ora uadis.
Alga uirens barbam, crines uligo tegebat,
Densus in undoso corpore muscus erat.
Vt noua conspexit sed ouantis gaudia turbæ,
Et ducis agnouit signa relata sui:
Intorquens madido rorantia lumina uultu,
Fatidico tales edidit ore sonos.
Salue magnanimum genus armipotentis Achillis,
O decus ô patriæ spes Ioachime tuæ:
Vindice quo pulsus Thracum regnator ab Istro
Ceßit, & amisso milite terga dedit.

Olim

Olim tempus erit, Solymorum ductor ad urbem
 Cæsaris auspicio cum pia bella geres:
Et tua cum uacuas submittet ad arma pharetras,
 Tota triumphanti Turcia capta manu.
Dixit, & ima petens flauum caput abdidit antro:
 Vtraq; dissultans ripa fremebat aquis.
A leua geminas ubi separat alueus urbes,
 Fuluaq; conspicuum signat arena locum,
In quo nobilitas contendit equestribus armis,
 Ludicra cum ficto prælia marte facit:
Ardua spectantur bipatentis limina templi,
 Marchio Romanus condidit autor opus.
Huc ubi peruentum: sacra limina pompa subibat,
 Suntq; pijs precibus uota soluta Deo.
Ipse salutatus princeps est nomine cleri,
 Hic orante graui uerba latina uiro:
Callet enim geminæ discrimina Marchio linguæ,
 Ausonio nouit doctus & ore loqui.
Cum patre digrediens fuit hinc deductus in arcem,
 Non procul è templi quæ regione iacet:
Hic quoq; multiplici tormenta fragore sonabant,
 Sulphure fumantes eiaculata globos.
In media stabat comitantibus arce puellis,
 Ipsa sua coniunx obuia facta uiro,
Quæ reducem teneris ulnis complexa maritum,
 Principis è collo dulce pependit onus.
Taliter Andromache cum uirgineo comitatu
 Fertur in amplexum coniugis isse sui:

Priamides quando fugientibus Hector Achiuis,
Dardana conuersis tecta subibat equis.
Tum pater inuitans cum coniuge Marchio natum
Ad thalami duxit limina celsa sui.
Plaudere ceperunt ad tympana mota choreæ:
Atria festiuis perstrepuere tubis.
Mollia formosæ pro dono serta puellæ
Principis ornatis imposuere comis:
Quod pro fœmineo sexu, castisq; tuendis
Virginibus, belli grande subisset onus:
Totq; redemisset captiuæ millia plebis,
Quæ ferus exitio prædo daturus erat.
Hæc ita, cum uictis rediisset Marchio Turcis,
Ducta triumphanti Principe pompa fuit.

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEgiarum, Liber secundus.

## HODOEPORICON ITIneris Italici.

CYnthius emensus Nemeæi fulua Leonis
Terga, per Astreæ signa, regebat equos,
Italiam quando digressus ab urbe petebam,
A duce quæ Brenno condita nomen habet:
Cœruleus tardis ubi flexibus errat Hauelus,
Cuius ad instabiles mons iacet altus aquas,
Qui iuga pampineis adopertus summa racemis
Gignit arenoso dulcia uina solo:
Qualia spumantis Rheni producit ad undas
Vangionum pingui consita uitis agro.
Mœstus uterq; parens amplectebatur euntem,
Anxia mens quorum plena doloris erat:
Humida manantes lachrymæq; per ora fluebant,
Iam mihi cum uellent dicere: nate uale.
Vt loca contigeram siccis arentia glebis,
Saxones Albi tuum quæ prope flumen arant:
Vallata aggeribus me Vittenberga recepit:
Sol erat Hesperias tum subiturus aquas.

Protinus

Protinus ingenui me conuenêre sodales,
Cum fuit aduentus cognita fama mei:
Seraq; ducentes patrio conuiuia ritu,
Longa fefellerunt tempora mille iocis:
Arctophylax donec uertisset plaustra Bootes:
Inde toro fessus membra leuanda dedi.
Postera uix nitidos aurora reduxerat ortus,
Vmbra soporiferæ pulsaq; noctis erat:
Ingressurus iter, peronibus induo plantas:
Alligo ferratum calcar utriq; pedi:
Impono tegimen quod crinibus arceat imbres:
Armatum ualido cingitur ense latus.
Posthæc ingredior docti conclaue Philippi,
Discipulus pariter cuius & hospes eram.
Hunc, ubi facta fuit coram mihi copia fandi,
Alloquor: ac tales profero uoce sonos.
Quas tibi docte tua pro sedulitate Melanchton,
Pro meritis grates, hinc abiturus, agam?
Qui rude formasti, teneris præceptor ab annis,
Artibus ingenium per duo lustra meum.
Non hæc labra sacro perfusa liquore rigasset,
Pegaseæ fons est qui mihi potus aquæ:
Si mea non esset primæ lanuginis ætas
Tradita præceptis erudienda tuis.
Ardua conscendi Parnasi culmina montis
Te duce Nasonis molle secutus iter.
Ergo quod annumerat me Teutona terra poëtis,
Notaq; principibus quod mea musa placet:

Me debere tibi fateor, semperq́; fatebor,
Dum mea uitalis spiritus ossa reget.
Hinc sed ad Euganeam cum nunc Antenoris urbem,
Præceptore meo te cariturus eam:
Viue tuaq́; uale saluis cum coniuge natis,
O mihi uir chari patris amate loco.
Ipse sub hæc, pleno singultibus ore locutus:
Carpe Deo felix auspice, dixit, iter.
Quæ cum fatus erat pro tempore pauca: minister
Cornipedem frenis impediebat equum.
Tum formosa mihi patre nata Melanthone uirgo
Serta profecturo, matre iubente, dedit:
Castaq́; demittens pudibundo lumina uultu,
Hoc tibi sit nostri pignus amoris ait.
Dulcia suscipiens innuptæ dona puellæ,
Ipse resoluebam talibus ora iocis:
Mollia si dextro me sydere fata reducent,
Anna tori consors efficiêre mei.
Iam sed arenoso postquam digressus ab Albi
Attigeram ripas aduena Molda tuas,
Nomen ubi paruæ, quam præterlaberis, urbi
Campus & asperitas fecit amara loci:
Ecce coloratum signans in nubibus arcum,
Nuntia Iunonis concipit Iris aquas:
Carceribus clausos emittit & Aeolus austros,
Crebraq́; cum tonitru fulgura uentus agit.
Me fera tempestas & cœli compulit imber,
Rustica uicinæ tecta subire casæ.

Liminis horrebant atri fuligine postes:
Cespite gramineo stabat operta domus.
Excipiens madidis me uestibus exuit hospes,
Datq; fatigato pabula iussus equo.
Instructura dapes, riguo prope limen in horto,
Collectum folijs hospita truncat olus,
Atq; cauam lymphis implet fluuialibus ollam:
Admouet hanc plenam caulibus illa foco.
Tempus erat saturæ redeunt cum nocte capellæ,
Balantemq; solent claudere septa gregem:
Sternitur arte carens ac diuite mensa paratu,
Agricolæ qualis pauperis esse solet.
Sistitur è rigida tornatus cantharus orno,
Illitus hercinea qui pice totus erat.
Hunc neq; Rhenanus Bacchi neq; Francicus humor,
Cum lupulo coctæ sed liquor implet aquæ:
Nectare quo gelidam Boreæ spirantis ad Arcton,
Gens solet arentem pellere dura sitim.
Deniq; post epulas amor ut compressus edendi,
Fessaq; iam somno membra daturus eram:
In quibus ante focum sopitus nocte quieui,
Straminibus uilem composuere torum.
Ortus mane nouo cum sol dimouerat umbras,
E stipulis surgens ingrediebar iter.
Mons procul ostentat, Galilæi nomine Petri
Dictus, in excelso condita fana iugo.
Hunc ubi transieram, fumantibus Halla salinis
Cernitur, urbs oculis facta propinqua meis:

Cuius amœna uirent, ut Tempe, paſcua: cuius
Seminibus multis fœtus abundat ager.
Huc ubi peruentum: conſulti tecta ſubibam,
Hoſpitio cuius non ſemel uſus eram.
Dulcia ſecuris hic ocia rebus agentem
Continuos tenuit me mora quinq; dies.
Interea templum memorabile, celſaq; uidi
Principis egregium regia quidquid habet.
Scilicet ad zephyri flatus, ſolemq; cadentem,
Qua Sala contiguis mœnia ſtringit aquis:
Erigitur miris lapidum compagibus ædes,
Condidit Albertus nobile præſul opus,
Mauritio, diuæq; ſacrum, quæ uidit adorans
Prima, reſurgentis numen & ora Dei,
Quando ſub hortorum cultoris imagine Chriſtus
Ad tumulum flenti, quid lachrymaris? ait.
Veſtibulum ſculptis inſignibus, area templi
Strata pauimento uerſicolore nitet.
Cingitur aulæis paries feſtisq; tapetis,
Quæ gens artifici Belgica pinxit acu:
In quibus elucent fuluo radiante metallo,
Aurea ſolerti ſtamina ducta manu.
Organa marmoreo pendent ſub fornicis arcu:
Aemula cantantes hæc imitantur aues,
Ac ſi uere nouo frondentibus abdita ſyluis,
Mille daret uolucrum turba canora modos.
Hæc eadem raucis clangoribus æra tubarum,
Et referunt ſonitu tergora tenſa boum:

Tergora

*Tergora tenſa, quibus uiolentos incitat hoſtes,*
*Bellicus inſani martis ad arma furor.*
*Quid loquar inſignes, ad quas collata, tabellas,*
*Cedat Apellæo picta colore Venus?*
*Nulla ſed effigies iſtic obſcœna, nec ullum*
*Spurca locum turpis mater amoris habet.*
*Caſta repræſentat tabulis pictura, luerunt*
*Quàm graue ſupplicium turba profeſſa fidem.*
*Vtq; pia natus de uirgine rector Olympi,*
*Nos docuit ſummi iuſſa uerenda patris:*
*Et datus ipſe neci, genus hoc mortale redemit,*
*Quod uoluit precium ſanguinis eſſe ſui.*
*Qualis & extremo uenturus tempore mundi,*
*Ad nigra damnatos tartara Chriſtus aget.*
*Nec quod imaginibus tantummodo lumina paſcit,*
*Diues in hunc uſum talia præſul habet:*
*Inde ſed ut diſcant exempla ſequenda piorum,*
*Hiſtoriæ ſi qui cognitione carent.*
*Eſt locus in medio qua iactat ad æthera templo*
*Sedulus alterna carmina uoce chorus,*
*Ferrea cancellis ignobile ianua uulgus*
*Arcet, ibi magnæ conſpicuuntur opes.*
*Plenaq; collucent rutilis altaria flammis,*
*Fulget ut aſtrorum lucidus igne polus.*
*Omne quod argentum fodit, omne quod eruit aurum*
*Tota metalliferis Pannonis ora iugis:*
*Quodq; Tagus, diueſq; uehit Pactolus: in unum*
*Hoc ibi congeſtum dixeris eſſe locum.*

Aurea nam gazas & opes æquantia Crœsi,
Stant ſuper extructis hic ſimulachra tholis.
Carolus inſigni ſpectandus imagine Cæſar,
Hic ſtat, & Auguſtum fert diadema comis,
Quale gerit, ſumma cum maieſtate uerendus,
Regia principibus dicere iura ſolet:
Fulgentemq́; manu gladium, ſuſpenſaq́; collo,
Aurea phryxeæ uellera geſtat ouis.
Aſtat, & Albertus, qui talia ſumptibus emit,
Hæc quibus eſt ædes condecorata: ſuis.
Grandibus hic duplicem gemmis auroq́; coronam,
Fronte gerit, dextra pontificale pedum.
Talibus innumeris ſimulachris ara repletur:
Ara ter excelſos quattuor alta gradus.
At ſuper effigies argenteus eminet omnes,
Qui patrio ritu ſtat cataphractus eques.
Mauritijq́; refert procero corpore formam,
Cuius clauſa pij militis oſſa tenet.
Multus & extremo lapis hic oriente petitus
Eſt, in Erythreis lectaq́; gemma uadis.
Ictibus infragiles Adamantes: totq́; Smaragdi,
Quot uix diue tuus marce ſenatus habet.
Albaq́; concharum pretioſæ germina baccæ,
Eſt quibus ingentis forma rotunda globi.
Hæc ego defixis oculis dum ſingula luſtro,
Miror & immenſas obſtupefactus opes:
Principe magnificam pompam ducente ſacrorum,
Tympana cum lituis mota dedere ſonos.

Feſtus

Festus agebatur, qui te paritura tonantem,
Edidit in lucem, uirgo beata, dies.
Longa sacerdotum qua templum turba subibat,
Lato pandebat limite uulgus iter.
Ipse sub insigni preciosis tegmine gemmis,
Ductus regali præses honore fuit.
Intertexta, genus patrium trahit unde, nitebant
Inclyta Marchiacæ signa uidenda domus:
Terribiles aquilæ, formidandiq; Leones,
Et quos semiferos India Gryphas alit.
Magnanimos inter proceres, equitesq; secutos,
Quorum turba frequens ac populosa fuit:
Principis orando qui summa negocia tractat,
Vir celebri dictus nomine Turcus erat:
Cuius ab ore, uelut resoluti nubibus imbres,
Verba Periclæo culta lepôre fluunt.
Iste mihi uacuum monstrans ex ære sepulchrum,
Hæc ea sunt, dixit, quæ monimenta uides,
In quibus Antistes post ultima fata quiescet,
Tunc ubi uentura morte solutus erit.
Digna sacro tumbam sententia præsule signat
Quæ, quòd uita breuis sitq; caduca, docet:
Morte nec intereat uirtus, quæ sola perennis
Effugit extremi tristia fata rogi.
Talia iußit enim, Viuit post funera uirtus,
Grandibus inscribi uerba legenda notis.
Hæc ubi uidissem, culti sacraria templi
Ingredior docto me comitante uiro:

Pharmaca quo nemo miſcente peritius ægris
  Pæonia medicas applicat arte manus.
Innumeros calices hic aurea uaſaq; uidi,
  Apta miniſterijs, uſibus apta pijs.
Ac plures chlamides gemmis auroq; rigentes,
  Quàm quot luciferos integer annus habet.
Mollia prætereo quæ Seres uellera quondam
  Nêre, ſed Auſonides iam didicere nurus.
Nec refero tinctas concha Sidonide ueſtes:
  Nemo ſacerdotum quas numerare poteſt.
Aedituus decies centenis millibus auri
  Aeſtimat, hoc templum nobile quicquid habet.
At nihil in tantis opibus conſpectius ipſo
  Præſule, rem ſacram dum faciebat, erat.
Is pia ſolenni ſeu carmina uoce canebat,
  Siue precabatur ſupplice uoce Deum:
Omnes quotquot erant magnates, omne uideres
  Vulgus ad hunc oculos compoſuiſſe ſuos:
Nam quas principibus multis natura negauit,
  Innumeras dotes corporis unus habet.
Grandibus accedit facies Heroica membris,
  Qua uetus Heroum ſe genus eſſe probat:
Et patrijs magnum uirtutibus æquat Achillem,
  Egregia cuius laude ſuperbit aui.
Elucet pietas uultu: certiſsimus index
  Vultus enim taciti pectoris eſſe ſolet.
Nulla patent oculis metuendi ſigna tyranni:
  Mitior hoc unquam principe nemo fuit.

*Ipse suos populos sine ui, sine cæde, gubernat:*
*Aspera nec præfert laudibus arma togæ.*
*Huius adhuc semper ciuilia bella diremit*
*Cognitus in dubio tempore pacis amor.*
*Nec sibi diuitias & auarus poßidet aurum:*
*Largus habet promptas ad pia dona manus.*
*Fœlices ò Roma tuos omnesq́; futuros,*
*Ausonium quotquot nomen in orbe colunt:*
*Tempora triplicibus gesturus cincta coronis,*
*Si regat hic lacerum pastor ouile Dei.*
*Quæ modo palantes sine curatoribus errant,*
*Nullæ præda lupo destituentur oues.*
*Dura coërcebunt inclusum uincula Ianum,*
*Ne tristi reseret condita bella manu.*
*Aurea restituet solidam concordia pacem:*
*Priscaq́; falciferi secula regis erunt.*
*At prope delubrum foßis munita profundis*
*Arx stat, & aërium tollit in astra caput.*
*Bucchemerus erat qui me comitatus euntem,*
*Hanc quoq; uisuri, nunquid eamus? ait.*
*Nec mora, festino me duxit in atria gressu,*
*In foribus quorum picta tabella fuit,*
*Ambigua referens ipsius imagine uultus,*
*Qui regit immensi Carolus orbis opes.*
*Per teres inspicias nisi luminis orbe foramen,*
*Hanc similem curuæ dixeris esse rati.*
*Quin etiam nostris ignotam uidimus oris*
*Exiguam pennæ uersicoloris auem.*

*Hæc*

Hæc allata procul, Nabathæis uenit ab Indis:
A pedibus, quibus est orba, uocatur Apus.
Ipse gerit simili raras ex alite pennas
Thracius in coni uertice Turca sui.
In medijs aulæ penetralibus, ænea moles,
Pyramidis factum surgit & instar opus:
Id septena mouet reuolutis sydera sphæris,
Quæ uagus ambiguis cursibus error agit.
Talis erat stellas imitataq; machina cœlum,
Facta Syracusij quæ fuit arte senis.
Quid memoranda tibi referam simulachra deorum?
Quæ uetus artificum duxit in ære labor:
Et quibus exhibuit sacrum rude uulgus honorem,
Mundus adhuc expers cum pietatis erat.
Extrahit hærentem mœrens è uulnere spinam,
Indoluit fixum qua Cytheræa pedem,
Tunc ubi purpureum rosa, quæ fuit alba, colorem
Duxit, Acidaliæ sanguine tincta deæ.
Prompta pharetratus iaculatur tela Cupido:
Aegida cœlatam Gorgone Pallas habet.
Thyrsifero pendent Lenæo fronte corymbi:
Mercurius loculis condita lucra gerit:
Amplexiq; ligant spiris ingentibus angues,
Troia sacerdotem Laocoonta tuum:
Iliacos intra muros arcemq; locari,
Completum Danais qui prohibebat equum.
Aurea conspicias nec non Idola, neparum,
Quæ leuis aut formam papilionis habent:

Aut imitantur aues, dapibus quæ Phinea fraudant:
Hæc Anthropophagum gens simulachra colit.
Vidimus Arminij gladios ensesq; uetustos,
Quintilio Varo quæ peperêre necem.
Deq; rudi saxo factas lothoq; secures,
Dura quibus nudum prælia uulgus init.
Belliger extremo quod Iberus in orbe subegit,
Vltra gemmiferæ littora Taprobanes.
Ramus & Assyrij mihi monstrabatur Amomi:
Longaq; Niliaco canna resecta lacu,
Dulcia producens quæ condimenta ciborum
Intus natiui semina mellis habet.
Tum quibus unguntur magnorum corpora regum,
Pinguia Iudæo Balsama nata solo:
Exuuiæq; leues auium, quibus India uestit,
Membraq; feruenti sole perusta tegit.
Et quæ proueniunt hybernis poma diebus,
Tempore quo nullas educat hortus opes.
Scilicet extremo cum Bruma decembre reducit,
Annua natalis tempora Christe tui:
Nudaq; frigoribus pomaria Caurus adurit,
Aruaq; candenti sub niue tecta latent:
Qua uicina iacet lato Moguntia Rheno,
Fructus insolito crescere more solent.
Præterea clypeum cœlatum mille lapillis
Vidimus, ipse quibus nomina Turca dedit.
Is fuit Eoi gestamen nobile regis,
Diues ubi Phariam Nilus inundat humum.

Nauti'on

Nautilon & rarum sub nauis imagine piscem,
Qui secat æquoreas more triremis aquas:
Quæq; gerunt instar pictarum rostra uolucrum,
Nata procelloso monstra stupenda mari.
Regis Amynthiadæ quid prisca numismata dicam,
Ac tua, cornigero qui Ioue natus eras?
Quidue figuratam curuo delphine tabellam?
Cuius tale lapis carmen adesus habet:
Dedicat æquoreis ereptus Lutius undis
Scæuola, Neptuno munera uota deo.
Est quoq; gemma, potest in qua depicta uideri
Vrbs uetus, à Drusi coniuge dicta ducis.
Olim uisa fuit res mira, quod esset Homeri
Ilias exiguo tegmine clausa nucis.
Tanta sed ingenijs nunc est solertia nostris,
Ampla quod angustum mœnia claudit opus.
Deniq; ne pergam describere singula, uidi
Conspicuum tota quidquid in arce fuit.
Inde salutatos nos ad conuiuia duxit,
Clarus ab antiquo sanguine natus eques:
Inclyta magnanimi quo regia principis ullum
Vix habet ingenio candidiore uirum:
Quiq; minus doctos, & honestas oderit artes,
Ex equitum numero quas modo rarus amat.
Nam præferre solent uirtutibus arma togatis,
Qui genus à magna nobilitate trahunt.
At iam regificis epulis cum functus, & illic
Totos ipse dies quinq; moratus eram:

Quadrupedis frenans iniectis ora lupatis,
　Rurſus iter cogor,rurſus inire uias.
Poſt ubi tranſieram Mauortis habentia nomen
　Mœnia,uelocis tergore uectus equi:
Diues opum ſera me Lipſia nocte recepit,
　Lubricus humectat cuius Eliſter agros.
Hic mihi tres fidos iunxit fortuna ſodales,
　Euganeam mecum qui petiere ſcholam:
Aſſyrij regis gaudentem nomine Belum,
　Ac te Minguitiæ gentis Eraſme decus:
Baldaſaremq; uetus Syluani nomen habentem,
　Cuius fida mihi pectora iunxit amor:
Cuius & Auſtriacis fortiſsima nuper in oris
　Dextera Turcarum cognita ſtrage fuit:
Turrigeræ pugnans ad mœnia quando Viennæ,
　Cæſaris in caſtris ære merebat eques.
Vſta ſed hinc poſtq̃ Neopyrgi mœnia flammis,
　Irriguasq; Salæ tranſieramus aquas:
Ingredimur populoſa tuas Erphordia portas,
　Hic ubi Tyrigetæ pinguia rura colunt.
Et quia deuexo caput inclinabat olympo
　Phœbus,in hac noctis traximus urbe moram.
Mane ſalutantes uatem conuenimus Heſſum,
　Cuius ut eſt dextræ dextera iuncta meæ:
Laus erit Heſſe mihi,ſummum uidiſſe poetam,
　Atq; tuam,dixi, me tetigiſſe manum:
Primus ab Aonio qui ſacras uertice muſas
　Ducis in arctoo ſubdita regna polo:

Quemq; uehens amplis Germania laudibus effert,
 Vt solet Andinum Mantua ferre senem.
Sic ego: sic contra doctißimus incipit Hessus:
 Hessus Apollinei maxima fama chori.
Dulcis amicitiæ mihi mutua fœdera tecum,
 Dum concessa mihi uita manebit: erunt.
Edita nam primum tua quando poemata legi,
 Ausa loqui de te sic mea musa fuit:
Me nisi fama chori uatum uulgata fefellit,
 Gloria Pieridum prima Sabinus erit.
Omnibus idcirco connitere uiribus hortor,
 Vt sis, iuditio qui potes esse meo.
Hæc ubi respondens Eobanus uerba dedisset,
 Ocyus inceptum nos celeramus iter.
Vt procul à tergo lapidosi flumen Hieræ,
 Tyrigetum nobis urbsq; relicta fuit:
Ilicibus piceisq; frequens stabulisq; ferarum
 Imus in Hercinium per iuga celsa nemus.
Huius ad ima cauæ subsidunt tartara ualles,
 Quas radijs nunquam Phœbus adire potest,
Siue rubescentis patefecerit ortus Olympi,
 Gemmea puniceis atria plena rosis:
Siue laborifero conscenderit æthera curru,
 Siue sub Oceanum lumine pronus eat.
Per nemus antra colunt immanes unguibus ursi
 Et loca sunt multis plena latrocinijs.
Sæpe sub arborea reperitur fronde uiator,
 Dextera prædonum quem dedit ense neci:

Vermibus aut plenum taboq́; fluente cadauer,
 Ilicis è ramo flebile pendet onus.
Huius ut emensi per mille pericula syluæ,
 Horribiles saltus densaq́; lustra sumus:
Vitiferumq́; caua traiecimus arbore Mœnum,
 Irriguas cuius Francia potat aquas:
Francia quæ tribuit tibi nobile Gallia nomen,
 Subdidit inuicta cum tua regna manu:
Venimus huc sacro coniunx ubi diua sepulchro
 Cœlitis Henrici regis humata iacet.
Hæc ueteri genuit claraq́; è stirpe creatum
 Vrbs Camerariadum te Ioachime decus,
Cecropias æquat facundia cuius Athenas,
 Argolicosq́; refert inclyta musa sonos.
Hic aliquot fessi post tedia longa uiarum,
 Substitimus noctes, substitimusq; dies.
Dulcibus intraui cultum radicibus hortum,
 Quas alibi nusquam Teutona gignit humus.
Lustrauiq; sitas in apricis collibus arces,
 Templaq́; frondosis non inamœna iugis.
Hinc undose tuam Pegnese petiuimus urbem,
 Gens sata quam forti Norica marte colit.
Hæc sibi congesto circumdedit aggere muros,
 Qui superant moles urbs Patauina tuas.
Ardua consurgunt quadrato mœnia saxo,
 Mœnia bellaci non capienda manu.
Tota licet Scythicas adducat Thracia uires,
 Teutonibus diram sæpe minata necem.

Amplas huius opes, excelsaq; tecta referrem,
Ni cantata tuis uersibus Hesse forent.
Splendida magnorum nam siue palatia regum,
Siue quis artifices, siue requirat opes:
Siue peregrinas merces, ac dona Canopi,
Quæ procul Aegæum per mare nauta uehit:
Non habet his ullam Germania mœnibus urbem,
Tota nec arctoo terra sub axe, parem.
Nuper at intulerat canis Erigonëius ægris
Pestifero miseram ciuibus igne luem.
Egrediens quocunq; pedem, quocunq; ferebam
Lumina, funestus nil nisi luctus erat.
Hic affecta graui languebant corpora morbo,
Funeris extremam mox obitura diem:
Illic tristis erat deplorabatq; parentem
Natus, & extinctum fœmina mœsta uirum.
Me trepidum uitæ discrimine luridus horror
Occupat, & gelidus concutit ossa tremor.
Namq; ibi correptus uiolenta peste timebam,
Hospes in ignota ne tumularer humo.
Nec pauidos tenuit minus anxia cura sodales,
E quibus attonito pectore Belus ait:
Hinc procul ô procul hinc, dũ uescimur ætheris au=
Dum sumus incolumes, arripiamus iter: (ra:
Vtile paruimus socio rectumq; monenti,
Peste acrem nobis incutiente metum.
Iamq; dies alterq; dies iterauerat ortus,
Pulsaq; bis gelidæ sydera noctis erant:

Huc

Huc Pegnese tua cum uenimus urbe fugati,
Sunt ubi Danubij mœnia iuncta uadis.
Susceptura mouet quoties Germania bellum,
Inq; Getas sæuo concita marte fremit,
Arbiter imperij solet hic lustrare cohortes,
Vsibus armorum conueniente loco.
Danubij uero postquam traiecimus amnem,
Amnis in Euxinum qui mare fertur aquis:
Vindelicæ portas & celsa subiuimus urbis
Quæ uetus Augusti mœnia nomen habent.
Hic nitidas auro, pictasq; coloribus ædes,
Ac solido tectas uidimus ære domos:
Regia quæ poßint æquare palatia Romæ,
Hinc aliquis magnas æstimet urbis opes.
Nec formosa tibi dubitem conferre puellas
Tyndari, Vindelicæ quas peperêre nurus:
Summus Agenorea pro uirgine Iuppiter optet
Has, magis & rapta Gnoside Bacchus amet.
Ignea sydereis contendunt lumina stellis:
Purpureas uincunt ora colore rosas.
Collatum flauis hebetatur crinibus aurum:
Scythoniam superant candida colla niuem.
Tanta puellares commendat gratia formas:
Tantus inest castis uirginibusq; decor.
At nouus his quando succedit mœnibus hospes,
Qui genus à priscis nobile ducit auis:
Aut quicunq; caput per honestas extulit artes,
Principis aut aliquod nomine munus obit:

*Hoſpes ut aduentum primoribus indicet urbis,*
*Legibus ædiles conſtituêre ſuis.*
*Ergo ſalutatos cum nos exceperat hoſpes,*
*Sanguine quo nati ſimus, & unde, rogat.*
*Audit ubi claris nos eſſe parentibus ortos,*
*Conſulibus quales ſimus & unde: refert.*
*Ad nos continuo mißis de more Senatus*
*Vina ſatellitibus multa ferenda dedit.*
*Duximus ad mediam læti conuiuia noctem,*
*Siccaq; perluimus pectora noſtra mero.*
*Clara rubeſcentis patefecerat atria cœli,*
*Quadrijuges iungit quæ dea lucis equos:*
*Hinc, Lycus undoſo qua gurgite fertur, ad Alpes*
*Tendimus æquantes nubila ſumma iugis:*
*De quibus in præceps tantum uallesq; ſub imas,*
*Ardua ſuſpectus quantus ad aſtra, patet.*
*Grando cacuminibus nixq; indurata recumbit,*
*Semper in his acri frigore ſæuit hyems:*
*Atq; reſoluuntur nimbi, cauriq; furentes*
*Importuna nigro turbine bella gerunt:*
*Auulſasq; ferunt ornos & fragmina montis,*
*Fragmina quæ tanto lapſa fragore cadunt,*
*Ac ſi uaſta ruat ſublimis machina cœli:*
*Attulit incautis ſæpe ruina necem.*
*Sæpe uiatores æſtiuis menſibus illic,*
*Gorgone ceu uiſa diriguere gelu:*
*Sæpe per anguſtas fauces oppreßit euntes,*
*Labentis moles conglomerata niuis.*

Nec

Nec minus innumeri decurrunt Alpibus amnes,
Grandia qui rapido uortice ſaxa rotant,
Quaq; uolutatur per adeſas ſpumea cautes,
Proruit inſani gurgitis unda uias.
Exhalant nebulas imæ fumosq; cauernæ,
Hi loca cæruleis nubibus apta petunt:
Protinus inq; niues abeunt imbresq; ſoluti,
Aërij montis cum tetigêre iugum:
Aut ſaliente mouent cum grandine fulminis ignes,
Icta repercuſsis Alpibus aura fremit.
Hos igitur montes altoq; minantia cœlo
Saxa, fatigatis dum peragramus equis:
Indurata genis mihi ſtiria ſæpe pependit,
Algentesq; gelu diriguêre pedes.
Vicimus interdum mordentia frigora curſu,
Et tepido calidas fecimus ore manus.
At pede calcanti duras mihi ſæpe pruinas
Orta ſub alliſa puſtula calce fuit.
Iamq; tenebamus, qua ſpumifer æſtuat Oenus,
Ardua carpentes ſub iuga montis iter,
Cuius in abrupto per noctem uertice Cæſar,
Diue tuus quondam Carole ſedit auus:
Sylueſtres quando capreas Damasq; bicornes
Auſus in aëria figere rupe fuit:
Culmen & aſcendit iuuenis temerarius, unde
Cum uellet potuit non reuocare gradum.
Inde Tridentinæ portas intrauimus urbis:
Hoſpita nos illic excipiebat anus,

Quæ iam facta licet rugosa senilibus annis
  Esset, adhuc scortum Thaide peius erat.
Hæc ad amatorem ueniebat adultera noctu
  Contemerare suis coniugis ausa torum.
Atq; ita, nescio quô discessit ab urbe profectus,
  Vir meus, ante diem non rediturus: ait.
Dum locus ergo datur, cupidisq; occasio furtis:
  Præbeat hoc nobis gaudia nocte Venus.
Dixerat, ingreditur thalamos, ultroq; sequentem
  Turpis amatorem duxit amica suum.
At simul in Venerem, somnosq; fuere soluti,
  Criminis exigitur uindice pœna Deo.
Vir procul à laribus quem discessisse putabant,
  Tecta gradu strepitum non faciente subit.
Vidit ut ingressus temerati crimina lecti,
  Crimina cordato non patienda uiro:
Intumuit iustaq; fremens expalluit ira,
  Vltrici gladium corripuitq; manu.
Conscia mens scelerum formidine terruit ambos:
  Attoniti gelido stantq; pauentq; metu,
Iratumq; uirum precio precibusq; fatigant:
  Cum precio uanas respuit ille preces.
Fulmineoq; petens meretricia pectora ferro,
  Perforat infidæ coniugis ense latus,
At se præcipitem dedit ex bipatente fenestra,
  Legitimi thalami qui uiolator erat.
Fugerat elapsus metuendi tela mariti,
  Sed non iudicium fugerat ipse Dei:

Nam

Nam loca nocturnis tenebris dum cæca pererrat,
    In puteum fato mortis agente cadit.
Sic ubi præterijt uitatæ monstra Charybdis,
    In Scyllam stolidus nauita tendit iter.
Reddidit hic animam sontem, culpamq; piauit:
    Talia sed fatus, cum moreretur: ait,
Hei mihi quanta fero proiecti damna pudoris:
    Res est insani plena furoris amor.
Alterius uiolare torum qui coniugis audes,
    Hoc scelus exemplo disce cauere meo.
His actis: postquàm nox importuna receßit
    Lucifero clarum iam retegente diem,
Nos iter ingressos rapidorum cursus equorum,
    Huc, Athesis lato qua fluit amne: tulit
Cuius, ubi bello Veneti petiere Tridentum,
    Perdidit ad flauas signa Robertus aquas
Stirpe Seuerina natus: uitamq; sub undis
    Edidit, effusus cum raperetur equo.
Sunt ibi ruricolæ, magni quibus uberis instar,
    Crebra sub inflato gutture struma tumet:
E pulmone prius nisi suspiratibus haustis,
    Nulla locuturi promere uerba queunt.
Trans Athesim, sese demittunt molliter Alpes,
    Diues & Italiæ terra patescit agris.
Mitius hic raro tristatur frigore cœlum,
    Læta bis hic grauidis frugibus arua uirent.
Nec densæ sterili surgunt hic arbore syluæ,
    Quales Mœnalio terra sub axe gerit:

*Sed pingues oleæ, sed onustæ uitibus ulmi,*
*Altaq; fatidico laurus amata deo:*
*Citrus & amittit quæ nunquam frondis honorem,*
*Et prope labentes consita ficus aquas:*
*Malaq; dependent curuatis punica ramis*
*Lucida sub quorum cortice grana rubent.*
*Salue terra ferax Cereris dulcisq; Lyëi,*
*Omnibus optatis terra referta bonis.*
*Non ager Aegypti pinguißimus ubere glebæ,*
*Laudibus aut certent rura beata tuis:*
*Quamuis illa quidem natas sine semine fruges,*
*Agricola bobus rus nec arante ferant.*
*Salue magna parens doctorum altrixq; uirorum,*
*Exculti qua nos erudiente sumus.*
*Induit ingenuos per te Germania mores,*
*Doctrinæq; tuis fontibus hausit opes.*
*Quàm te magnificæ decorant urbesq; potentes?*
*Maius terra tuis urbibus ecquid habet?*
*At postquam gelidas à tergo liquimus Alpes,*
*Contigimus patriam docte Catulle tuam.*
*Vasta Gigantei moles hic Amphitheatri*
*Cernitur, annoso facta caduca situ:*
*In quo magnanimus pugnas Gothus edidit olim*
*Italiæ præses cum Theodricus erat:*
*Contudit audaci sæuos qui marte Tyrannos,*
*Bella quibus cordi, pax odiosa fuit.*
*Vt Vicentinam nos inde petiuimus urbem,*
*Conscia funestæ quæ loca cladis habet,*

*Cernere cura fuit ueteris uestigia pugnæ:*
*Squalidus hic multis oßibus albet ager.*
*Teutonicus miles qui Cæsaris arma secutus*
*Italiam ferro iam populatus erat,*
*Versa Tridentinas cum signa referret ad Alpes*
*Iussus ab Euganeo castra mouere solo:*
*Liuiades magno fortißimus agmine ductor,*
*Hostibus occlusum præpediebat iter.*
*Esse putabatur non anceps alea Martis,*
*Inferior numero Cæsarianus erat.*
*Læta sed in tristes abierunt gaudia luctus:*
*Dura graui Venetus uulnera clade tulit.*
*Vrbs procul inde iacet crudeli diruta bello,*
*Adriacus pelago qua premit arua sinus:*
*Mestrum nomen habet, cultißima mœnibus olim*
*Diuitibusq; potens ciuibus illa fuit.*
*Nunc ibi rara tenent inopes magalia nautæ,*
*Vela per æquoreas qui moderantur aquas.*
*Hinc ab arenoso soluentes littore cymbam,*
*Carpimus insuetas per uada salsa uias.*
*Insurgunt nautæ remis, & cœrula uerrunt:*
*Vncta per impulsas labitur arbor aquas.*
*Apparent Venetæ medijs in fluctibus arces:*
*Vt quas Aegeum, Cyclades, æquor habet.*
*Quas ubi uidissem, nullos ego mœnia, dixi,*
*Arbitror hæc homines, sed posuisse deos.*
*Ambit aquis Nereus pro muro spumeus urbem,*
*Fluctibus est omni tutus ab hoste locus.*

Nec minus excelsis in mœnibus æstuat æquor:
Per medias agitur remige cymba uias.
Arcibus æquandas urbs inclyta continet ædes:
Principis est magni regia quæq; domus.
Plenaq; diuitijs sunt atria, cernitur illic
Quicquid habet tellus, æquora quicquid habent.
Quid magnos referam proceres, amplumq; senatum?
Mille Senatorum continet ordo patres,
Splendida regali quos purpura uestit amictu:
Talis prisca tuus Roma senatus erat.
Templa sed in primis diuiq; palatia Marci,
Ingentes Venetum testificantur opes,
Condita Tænario quæ marmore, plenaq; gemmis
Intus & aurato fornice culta nitent.
Quattuor alta tenent summi fastigia templi,
Qui similes uiuis conspiciuntur equi.
Maximus imperij iurauerat arbiter olim,
Infestus Venetis qui Fridericus erat:
Quod foret ê templo stabulum facturus equorum,
Adriaci caperet mœnia quando maris.
Acre sed in longos bellum cum duceret annos,
Nec Venetæ posset frangere gentis opes:
Hos ibi iussit equos in summo culmine poni,
Nominis extarent ut monumenta sui.
Area lata patet Marci contermina templo,
Illo turba frequens itq; reditq; loco.
Non audita mihi quæ uisa nec ante fuerunt,
His oculis & sunt auribus hausta meis.

Marma-

Marmarides ibi Psyllus erat, quem posse ferebant
 Nescio qua nocuum tollere uirus ope:
Ille uenenatam suspenderat aspida collo,
 Et lambenda nigris anguibus ora dabat.
Hic quoq; cantabat Venetæ primordia gentis
 Thuscus ad auratam Musicus ore chelyn.
Iliacis olim referebat sedibus actos
 Adriacum Venetos incoluisse sinum:
In medijsq; nouam fundasse paludibus urbem,
 Cum ferus Illyricis Attila terror erat,
At quæsisse diu uictum prædantibus hamis
 Humida consuetos ducere lina manu:
Regna Lyburnorum, fœcundaq; rura Timaui,
 Publica res armis donec adepta fuit:
Atq; triumphatas Insubribus abstulit urbes:
 Talia cantabat dulcibus ille modis.
Hinc ad Græcorum nos uexit nauta sacellum,
 Forte dies illo tempore festus erat.
Argolicos ritus cognoscere, meq; iuuabat
 Mutua cum Graio præsule uerba loqui,
Sciscitor unius cur tantum Græcia diui,
 Cætera diuorum nec simulachra colat:
Torquet in immanem qui tela Georgius hydram
 Solus habet sacra pictus in æde locum.
Ad mea non durus respondit uerba sacerdos:
 Atq; ita, picturæ te latet usus, ait,
Non uestro colitur nobis pro numine ritu,
 Officij Reges admonet acer eques.

Ipse

Ipse sed haud temere cataphractus pingitur heros,
Conuenit armatas principis esse manus:
Vt cum bella tument, sæuitq; licentia ferri,
Vltor ab iniusto protegat hoste suos.
Impia uindicibus rex arma coërceat armis,
Iustáq; pro populi bella salute gerat.
Tunc ego: cur rigidi non ergo Georgius, inquam,
Militis, at nomen rura colentis habet?
Ille refert, pax arua colit, pacemq; tuetur
Dulcia qui læti commoda ruris amat:
Hicq; uiget mitis pietas, ubi curuus aratri
Vomer, & augusta pace fruuntur agri.
At fera securam rumpunt ubi bella quietem,
Martia soluuntur corda timore Dei:
Proq; ligone trucis fert militis arma colonus,
Asper & incultus sentibus horret ager.
Ergo pij seruent reges ut fœdera pacis,
Agricolæ gaudet nomine fortis eques.
Dic age cur figit sed cuspide terga Draconis?
Duraq; pro molli uirgine bella gerit?
Hæc afflicta malis, ait, est Ecclesia Christi,
Horridus immani quam petit ore Draco.
Bellua significat diuini nominis hostem,
Quo, sacra relligio, damna nocente facit:
Qualis, pestiferæ teterrimus hæresis autor,
Arrius, Eumenidum sanguine cretus, erat.
Qualis & est, sanctum qui nomen Acynace Christi
Persequitur, toruo sæuior angue Getes.

Hos decet à magno configi rege Dracones:
    Regibus est Christi nanq; tuendus honor.
Hactenus hæc: nobis de ritibus inde sacrorum
    Facta per alternas uerba fuêre uices.
Quos tamen, aiebam, sacros ecclesia ritus,
    Vestra quid antiqui Græcia moris habet?
Ille sacramentum specie sub utraq; ministro,
    Cœna redemptoris cum celebratur, ait.
Cætera conueniunt cum ritibus omnia uestris,
    Est nisi quod lecto fœmina iuncta meo.
Quisq; sui gaudet thalami consorte sacerdos,
    Vlla mihi non sunt iura negata tori.
Vnica sed postquam fato concesserit uxor,
    Tunc mihi legitimus non iteratur Hymen.
Plura locuturo peregrinus ab Hellade ciuis
    Nescio de tristi quæ noua clade refert.
Interea nauem conscendere iussus, abibam:
    Hospite sermones impediente meos.
Deniq;, dum totam uagus omnia lustro per orbem,
    Me uidet, ac saluum Bomphius esse iubet.
Is non exiguo mihi consuetudinis usu
    Bomphius Augustæ cognitus ante fuit:
Tunc ubi de magnis cum Cæsare rebus agebat,
    Ad quem pontificis nomine missus erat.
Ipse mihi summum quo testaretur amorem,
    Carpere me secum remige iußit iter:
Meq; diserte tuas Hieronyme duxit in ædes,
    Nomen Aleandro cui sacra Musa dedit:

Plurima

Plurima qui calles uariæ discrimina linguæ,
Et clario plenum numine pectus habes:
Sacrarumq; datas rerum moderaris habenas
Post ipsum Veneta summus in urbe Ducem.
Hic per Apollineas mihi ianua protinus artes
Esset amicitiæ cum patefacta tuæ:
Tu mea cingebas Daphneide tempora lauro,
Inuitoq; mihi nomen equestre dabas.
At iam Phœbus erat permensus Virginis astrum:
Libraq́; solares excipiebat equos:
Cum nos inde caua trabe rursus arauimus æquor,
Plenaq́; spumantem uela tulêre ratem:
Huc ubi Medoacus pelago se turbidus infert,
Adriacasq́; suo flumine miscet aquas.
Nobis Euganeæ tum succedentibus urbi
Est iter & longæ meta peracta uiæ.
Hic firmata nouo cinguntur mœnia uallo,
Splendida portarum marmore claustra nitent:
Nec minus Euganei sunt propugnacula muri
Vasta, Semiramiæ quàm Babylonis erant.
Multa uetustatis, clarorum multa uirorum
Omnibus hic extant & monimenta locis.
Quattuor hos tumuli scriptos in marmore uersus
Troius Euganeæ conditor urbis habet:
Inclytus Antenor, post eruta Pergama bello,
Stranstulit huc Henetum, Dardanidumq́; fugas:
Expulit Euganeos, Patauinam condidit urbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

Artibus at claros homines opibusq; potentes
Protinus ardebam conciliare mihi.
Hæc igitur misi facundo carmina Bembo,
Quo non est Latio maius in orbe decus.
Quid ferat ignotæ miraris epistola dextræ,
Redditur imparibus quæ tibi scripta modis:
Hanc tibi qui mittit, doctißime Bembe, Sabinus
Optat amicitiæ fœdus inire tuæ.
Nã procul huc patrijs, ubi nunc agit hospes, ab oris
Quòd graue difficili tempore fecit iter,
Non, ut perspiciat longinquas aduena terras,
Causa fuit: quamuis hæc quoq; causa fuit.
Sed magis ipse tuum nomen famamq; secutus
Venit, ut optato poßit amore frui,
Cuius in extremis Germania finibus audit
Docta Lycaonio scripta sub axe legi:
Laudat & eloquium, uiuo Cicerone probasset
Ipsa quod in medio Roma diserta foro.
Ergo prius si quem dignatus amore fuisti,
Qui tibi non usu cognitus ante fuit:
Se petit ipse tuos ut quemlibet inter amicos,
Ex animo cum te diligat: esse uelis.
Attica Romuleæ Bembus facundia linguæ,
Vt digitis legit uerba notata meis,
Omne suum studium mihi pollicitusq; fauorem,
Dixit, amicorum tu mihi summus eris.
Nec, schola quo gaudet celebri Patauina magistro,
Lazarus obscure me Bonamicus amat.

Me

Me Baptista suos Egnatius inter amicos,
Praeditus & summa uir pietate colit.
Se mihi quin etiam per amanter Coelius offert,
Coelius Aonia clarus in arte senex:
Imparibus numeris qui culto digna Tibullo,
Dignaq; Peligno carmina uate canit.
Nec iuuenis, quo se domus Augerspergia iactat,
Me secus, Euryalum Nisus ut alter: amat,
Cuius Caesareo pro nomine fortibus ausis
Bella sub his geßit moenibus acer auus.
Inter at haec, quae uisa mihi sunt digna relatu,
Carmine fons debet nomen habere meo:
Qui calidis hic fumat aquis, ubi crebra sub alto
Euganei frondet montis oliua iugo.
Est Apono nomen fonti: praesentius aegris
Nil, ubi Paeoniae deficit artis opus.
Corporis haec reparat mortalibus unda uigorem,
Attulit acre quibus noxia damna gelu.
Cuius iners stomachus sumptas male digerit escas,
Languidus haec intret balnea sanus erit.
Quae steriles uteri non reddunt pignora nuptae,
Concipiunt Aponi quando lauantur aquis.
Foelices nimium fortunatosq; colonos,
Proluit hic quorum feruidus humor agros,
Non aliquo miscent aegroti pocula succo,
Vlla machaonia damna uel arte leuant:
Simplicibus curantur aquis, obnoxia morbo
Cum grauis illorum corpora languor habet.

Pandite,

Pandite, noſtis enim Libethrides omnia diuæ,
Vnde ſit hæc medicæ uena ſalubris aquæ.
Minciadæ ſacro celebratus carmine uatis
Tros fuit, Iaſides dictus Iapis erat.
Noſſet ut herbarum uires, uſumq; medendi,
Numinis ille tui cultor Apollo fuit:
Troianumq; ducem curauit, arundinis ictu
Saucius à Rutulo uulnus ut hoſte tulit.
Mœſta ſed arceret cum fata potentibus herbis
Euganei peragrans hoſpita rura ſoli:
Iuppiter indignans Parcarum fila teneri,
Torſit in illius tela triſulca caput.
Condidit extinctum Phœbus, Nymphæq; perennem
Quo ſitus eſt uenam ſuppoſuêre loco.
Feruidus emanat fons pumice, uimq; medendi
Seruat adhuc: Aponus ſed modo nomen habet.
Hæc apud Euganeos in amœno luſimus horto,
Cantantes liquidis uocibus inter aues:
Plurima frondet ubi Pœneæ uirginis arbor,
Ac tuus humectat Bembe Pluicus agros.
Dulcia ſi uacuum conceſſerit ocia tempus,
Nos id quod ſupereſt conficiemus iter.
Aequantem ſummis iuga nubibus Apenninum,
Muſa per abruptas ſcandet itura uias:
Ad uada Sebeti, uiridiſq; cacumina Gauri
Tendet, & ad flauas hinc Anienis aquas.
Nunc pertæſa uiæ pedibus procedere claudis
Ex Antenorea longius urbe nequit.

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEgiarum, Liber tertius.

## AD CLARISSIMVM VIRVM Petrum Bembum patritium Venetum de natali suo.

### ELEGIA I.

Hæc sacra Bembe dies, uicta qua morte redēptos
Christus ab inferno carcere duxit auos,
Nascenti mihi prima dedit cunabula uitæ,
Memnonis orta nigri tunc ubi mater erat.
Aurea cum Geminis Venus ascendebat Olympum,
Quos peperit summo cognita Læda Ioui.
Inde sequebatur, testudineusq; subibat
Splendida magnarum limina Cancer opum.
Illic Herculei fulgebat stella Leonis,
Qua patet extremi cardinis ima domus.
Erigone martem gremio complexa fouebat:
Is male falcifero cum sene iunctus erat.
Iuppiter in sexta morborum sede premebat,
Dira uenenatæ signa timenda Nepæ.

Hæmo-

Hæmonio ſtabat Chiron Phillyrius arcu,
Veſper ubi liquidis exerit ora uadis:
Aegocerumq́; procul telo feriente petebat,
Auſpice quo capiunt Phœbus & annus iter.
Alta uehebatur nitido Latonia curru,
Hic ubi cœleſtes urna tenebat aquas.
Cœca per æthereos piſces fortuna meabat,
Quæ mihi ſe facilem, non odioſa, dedit:
Solis agebantur, per tauri ſigna, iugales:
Qua domus à mœſto carcere nomen habet.
Ales ab auroræ nitido Cyllenius ortu,
Luciferos ibat pone ſecutus equos.
Hæc ita fulgebant ſubterlabentia cœlo
Sydera, natalis tempore Bembe mei.
Euentura dedit ſuper his reſponſa petenti
Talia fatidico Gauricus ore mihi.
Haud obſcura ſacros inter tua fama poëtas,
Si quid habent ueri ſydera dixit, erit.
Nam quibus in primo naſcentibus affuit ortu
Lucida cum gemino Caſtore iuncta Venus:
Et quibus utiliter poſitos caducifer ignes
Præbuit, eloquij qui dator eſſe ſolet:
His faciles dictant blandiſsima carmina muſæ,
Carmina Peligni qualia uatis erant.
Nec te deficient fortunæ grata benignæ
Munera, nec paucas accumulabis opes:
Id tibi promittit nitidi ſoror æmula Phœbi,
Quæ ſtetit in medio, culmen adepta, polo:

Quæq; per æthereos fecit uestigia pisces,
  Vecta uolubilibus lubrica diua rotis.
Alta frequentabis magnorum limina regum,
  Digna tuo quorum carmine facta canes.
Hinc tibi diuitiæ, seros hinc nomen in annos,
  Magnaq; continget gloria, magnus honor.
At procul externas urbes & regna uidebis,
  Immensæq; feres tædia longa uiæ.
Italiam per mille petes discrimina rerum,
  Carpere difficili tempore iussus iter,
Non ut militiæ studium, uel castra sequaris,
  Ferrea proq; tuo Cæsare bella geras,
Acriter Insubres dum fortibus asserit armis,
  Et Lygurum captas marte tuetur opes:
Inde sed ut ducas gelidam rediturus ad arcton,
  Virgineo castas ex Helicone deas.
Adriacam, ueniens istuc, miraberis urbem,
  Inq; procelloso mœnia iacta mari.
Nec non, Eugeneis quos aduena fertur in oris
  Antenor, positos constituisse lares.
Hinc, caput imperij Romam uisurus, abibis
  Per quam cærulei Tybridis unda fluit.
Parthenopenq; petes, docti quæ sacra Maronis
  Ossa, sub herboso condita monte, tegit.
Italiæ uero postquam lustraueris urbes,
  Ignibus accendet cor Cytherea tuum.
Tunc tibi (ni fallunt me conscia sydera fati)
  Subdola lascíuus retia tendet amor.

Hic, ubi Saxoniam lapidosus perfluit Albis,
In thalamos uirgo crescit itura tuos.
Talia fatidico mihi Gauricus ore canebat,
Ipse mei quando principis hospes erat:
Quæ referenda tibi doctißime Bembe putaui,
Tempore natalis conueniente mei.

## AD PETRVM Bembum.

## ELEGIA II.

Missa salutatum te longis uenit ab oris
Littera sermonis nuntia Bembe mei
Hinc, ducis Arminij ueteres ubi poßidet urbes,
Lataq; Septemuir Marchio regna tenet:
Flauus & arua secat Sueuus, densisq; palustres
Voluit arundinibus creber Hauelus aquas.
O utinam dextro Tithonia sydere coniunx,
Hunc mihi felicem proferat orta diem:
Venturis iterum quo te semel alloquar annis,
Ac tua conspiciam uultibus ora meis.
Nam tua quando mihi subit officiosa uoluntas
Immemorem nunquàm me sinit esse tui.
Me fueris quanto complexus amore recordor,
Dum tuis in Pataui mœnibus hospes eram.
Sæpe sub effictà contemplor in imagine uultus,
Est manus artificis quos imitata, tuos:

Hos ego mente colens amplexor, ut Aemonis olim
  Coniugis effigiem Laodameia sui.
His ego pallentes hederas, floremq; marini
  Roris, & è molli baccare serta fero.
Te quoq; uatis adhuc illic meminisse Sabini
  Duco, nec oblitum nominis esse mei.
Ipse sed à uestris longe cum finibus absim,
  Forte quid hoc rerum tempore, quæris, agam.
Deditus incumbo studijs quibus ante solebam:
  At sua me captum sub iuga traxit amor.
Scilicet Euganea cum nuper ab urbe reuersus
  Huc, ubi populifer labitur Albis, eram:
Aligerum ducens ad me dea Cypria natum
  Venit, & his blandis uocibus usa fuit.
Matris Acidaliæ puerum charißime uates
  Suscipe, discipulus debet is esse tuus.
Nolo Machaonias discat, quas odimus, artes:
  Iura nec insani ligitiosa fori.
Sed tua miratus facundæ carmina musæ,
  Discat in alternos cogere uerba pedes.
Compensabo tibi iusta mercede laborem:
  Basiolum merces erudientis erit.
Dixerat: intueor puerum, matrisq; rogantis
  Accipio pacta conditione preces.
Vtq; daturus eram præcepta magister amori,
  Non tulit imperij frena Cupido mei.
Eduxit pharetra sed acutas ille sagittas,
  Nostra quibus postquàm pectora fixit, ait,

Hoc graue uirgo tibi patre nata Melanchthone uul-
Leniet, indomitus quod tibi fecit amor. (nus
Protinus ingenti succensus amore puellæ,
Ardet ut inducto sulfure tæda, fui:
Nec secus ambiui precibus connubia, fessus
Quàm gelidi ceruus fluminis optat aquas.
Obtestabar amans illam, uerbisq; rogabam
Talibus: ô uirgo quæ mihi sola places,
His precor æqua meis ardentibus annue uotis
Sponsis ut amplexu perfruar Anna tuo.
Me dignare toro, nec amantem despice, quamuis
Sit tua candidior corpore forma meo.
Claudicat ac tristi fuligine Mulciber horret,
Illius ipsa tamen gaudet amore Venus.
At mutata nigrum duxit mea forma colorem,
Haud adeo nuper fuscus & ater eram.
Lampade me phœbus, me frigore Caurus adußit,
Acer adhæc sæua me face torret amor.
Dotibus ipse tamen magnis hæc parua rependo
Damna, Meduseæ gloria dicor aquæ:
Sunt mihi Pieridum felicia dona sororum:
Vxor es ingenio clara futura meo.
Inferius Coa nec Battide nomen habebis,
Si dignata tuo nos eris Anna toro.
Sic ego: uirgo meos postquàm cognouit amores,
Tu meus, aiebat, mutuus ardor eris.
Sol ubi iam uero Nepheleia signa tenebat,
Certam coniugij spem mihi nupta dedit.

Aſtrinxere fidem nobis data pignora dextræ:
Factáq; ſolenni ſponſio more fuit.
Scribere plura libet, ſed deſino, ne qua legendi
Offendant animum tædia Bembe tuum.

## AD PETRVM Bembum.

## ELEGIA III.

CLaudicat alterno diſpar quod epiſtola uerſu,
Aſpera læſit hyems, & uia longa, pedes.
Nam ſuſcepit iter, feruentis tempore brumæ,
Cum fuit in rigidis Alpibus acre gelu.
Reddita læticiam faciunt mihi ſcripta legenti,
Quæ teſtantur adhuc te meminiſſe mei.
Carmen & ipſe meos quo ſum complexus amores,
Id non iudicio diſplicuiſſe tuo.
At mihi ſunt longe gratiſsima uota, quod optas
Sit meus ut felix & ſine labe torus.
Euganeis utinam contermina finibus eſſet
Marchia, Sarmatico terra propinqua ſolo:
Te meus ambiret precibus ſocer ipſe Melanchton,
Huc ut ſuſciperes Bembe rogatus iter,
Cum mihi conſortem uitæ, ſociamq; cubilis,
Legitimo pactus fœdere iunget Hymen.
O quibus officijs, ſi tunc optatus adeſſes,
Hic animum uellem demeruiſſe tuum.

Scilicet

*Scilicet ad cytharas & fila sonantia, tecum*
*Nostra iuberetur ducere sponsa choros:*
*Patriciaq; tibi pro nobilitate daretur*
*Et locus, & Rhodio milite dignus honor.*
*Ante sed, Autumnum quàm Plëias orta reducet,*
*Nulla mei possum gaudia ferre tori.*
*Nam duo compleuit nondum septennia uitæ*
*Quam mihi coniugij tæda pudica dabit.*
*Ob teneros igitur dilectæ uirginis annos,*
*Cogimur ingratæ tædia ferre moræ,*
*Donec ab occiduo fugientes orbe recedent,*
*Quæ fera Pygmæis bella minantur aues:*
*Maturasq; leget serus uindemitor uuas:*
*O desiderio tempora longa meo.*
*At sacra Pieridum miles ne signa relinquam,*
*Me tua postremo littera fine rogat.*
*Ingenuas olim desertor Apollinis artes*
*Legibus, atq; foro posthabiturus eram.*
*Nam rude pangentem me carmina uulgus adibat*
*Talibus, ecquid iners carminis autor agis?*
*Vana relinque nouem delyramenta sororum,*
*Inq; foro tristes iure tuere reos.*
*Diuitis ampla feret tibi munera Bartolus auri,*
*Musa nihil præter nomen inane dabit.*
*His ego motus eram uerbis, animusq; ferebat,*
*Aoniæ numquàm tangere plectra lyræ.*
*Iamq; uoluminibus iuris, studioq; forensi*
*Deditus, ipse tuus Bartole miles eram.*

*Blanda sed addictum me noluit esse seueris*
*Legibus, inq; suum Musa retraxit opus.*
*Cur placet, ô demens, tibi sollicitumq; probatur*
*Virgineo, dixit, plus Helicone, forum?*
*Et quibus Heroum prius inclyta facta canebas,*
*Cur tua prostitues turpibus ora reis:*
*An quia Causidicis, quàm Vatibus, amplior est res,*
*Diuitias animi dotibus ante feres?*
*Dispereant, quæstus quicunq; cupidine ducti*
*Ingenuas artes utilitate probant.*
*Vatibus obijcitur, quod iniquæ sortis Homerus,*
*Aonia nullas arte pararit opes.*
*At bona Mæonides quanto meliora reliquit?*
*Immortale suo carmine nomen habet.*
*Quam non omne potest largiri Regibus aurum,*
*Attalicas superat fama perennis opes.*
*Vilius hoc studium si legibus esse uidetur,*
*Artibus his magni cur studuere Duces?*
*Nescit ab Augusto quis amatos Cæsare uates:*
*Cultor Apollinei numinis ille fuit.*
*Victor Amynthiades qui Persica regna subegit,*
*Dignas esse nouem duxit honore Deas:*
*Inter tela quibus, dubijq; negotia martis,*
*Quicquid erat uacui temporis omne daret.*
*Stratus & ipse super quo nocte iacebat, Homeri*
*Nobile puluino subijciebat opus.*
*Ergo relinque forum, doctisq; operare Camœnis:*
*Quod reges decuit, nec tibi turpe puta.*

Talibus

*Talibus auscultans monitis, legesq; perosus,*
*Cum uestro, dixi, iura ualete foro.*
*At maiore sacras studio complectar ut artes,*
*Iam tua Bembe mihi littera calcar erit.*
*Vnde decus summumq; mihi promittis honorem*
*Numina Pegasei fontis amabo: uale.*

## AD ANDREAM CRITIVM
*Archiepiscopum Gnesnensem.*

## ELEGIA IIII.

*TEmpore Sarmatici quo regis in urbe Sabinus,*
*Quæ tenet à Graccho cōdita nomen, eram*
*Est ubi iucundæ mihi consuetudinis usu,*
*Ianua noticiæ Præsul aperta tuæ:*
*Blanda mihi læto declarans gaudia uultu,*
*Talia gratanti pectore uerba dabas.*
*Cum noua ducetur cupido tibi nupta marito,*
*Quæ promissa toro dicitur esse tuo,*
*Et sacra, legitime quibus astringuntur amantes,*
*Coniugio dulcis uincula nectet Hymen:*
*Tunc ego ne dubites, aliquo si carmine fiam*
*Certior, ipse tibi Critius hospes ero.*
*Hæc & plura dabas animo promissa benigno,*
*Quæ retinens memori condita mente gero.*
*At iam tempus adest, cum nata Melanchthone uirgo*
*Est thalami consors Anna futura mei.*

*Nanq; ubi maturo curuantia pondere ramos,*
*Diuitis Autumni munera carpet hyems,*
*Percipienda feram conceßi gaudia lecti*
*Sponsus, & optato lætus amore fruar.*
*Ergo per hos elegos me certior indice factus,*
*Non potes huc quanquam carpere Præsul iter*
*(Regia namq; procul noſtris tua diſtat ab oris*
*Nomen honorati Principis unde geris )*
*Illic uota tamen pro ſponſi concipe tædis,*
*Vt ſint coniugij proſpera fata mei.*
*At ſi carminibus licet addere triſtia lætis,*
*Accipe mœrori quæ tibi præſul erunt.*
*Suſtulit indigno mors funere nuper Eraſmum:*
*Perdidit ô quantum Teutona terra decus,*
*Illius aſſeruit nobis facundia laudem,*
*Roma prius uiuo quam Cicerone tulit:*
*Barbariemq; rudem noſtro quibus expulit æuo,*
*Inuicto calamo ſcripta diſerta dedit.*
*Illius ubertas, & diuitis aurea linguæ,*
*Inſtar inexhauſti copia fontis erat.*
*Hei mihi quanta nouem fecerunt damna ſorores:*
*Publica res quali concidit orba uiro.*
*Ille beatorum ſed uiuit ſede receptus,*
*Et capit in Chriſti gaudia uera ſinu,*
*Cuius magna ſacri pandens oracula uerbi*
*Reddidit eloquio lucidiora ſuo.*
*Tutus ab iniuſtis eſt detractoribus illic*
*A quibus infando multa dolore tulit.*

Deſpicit

Deſpicit inuidiam, nouitq; quod æquius olim
  De ſe iudicium poſteritatis erit.
Proſequar hæc alio ſed tempore fata querelis:
  Me noua læticiæ iam dare ſigna decet.
Condita non triſti gratetur epiſtola uerſu,
  Amplior acceßit quod tibi nuper honos:
Quodq; ſuprema tenes ſacræ faſtigia ſortis,
  Inclyta Sarmatiæ Rex ubi ſceptra gerit.
Euehit indignos fortunaq; tollit in altum,
  Sæpe malis amplas cæcaq; præbet opes.
Hæc, tua ſed meruit pietas, hæc præmia, uirtus:
  Nemo magis tanto dignus honore fuit.
Nanq; Lycaoniæ quæ ſubdita uirginis Arcto
  Terra Boryſthenidis limite iuncta iacet,
Te uehit inſigni pietatis laude, fatetur
  Se nihil ingenio maius habere tuo.
Comprecor his felix ut honoribus ergo fruaris:
  Quæ mea ne careant pondere uota, Vale.

## AD CHRISTOPHORVM TVRCVM Alberti Cardinalis, Archiepiſcopi Moguntini Cancellarium.

### ELEGIA V.

Mœſtus eram, nemorũq; dolens ſecreta petebã:
  Sæuus amor mœſti cauſa doloris erat.
Triſtia flebilibus iactans ibi uerba querelis,
  Cur mea, dicebam, uota moraris amor?

Ante duos annos mihi quæ capienda fuerunt,
Coniugij capiam gaudia quando mei?
Fruge carens an meßis erit mea ſemper in herba?
Quid iuuat agricolam non reſecanda ſeges?
Aut ego currentis conuertam uela carinæ:
Tu minus aut longa me puer ure mora.
Hæc ubi queſtus eram, pharetratus mœſta querentis
Audijt à tergo uerba ſecutus amor.
Atq; ita reſpondens, animo cur angeris? inquit,
Haud procul à portu iam tua nauis abeſt.
Sextus ubi gelido uenturi menſe Nouembris
Lucifer, Auroræ mane reducet equos:
Cinctus Hymen ſerto redolentis tempora myrti,
Tunc tibi lucentem præferet igne facem.
Hactenus: & celeres mouit, quibus utitur, alas:
Eq; meis oculis præpes abiuit amor.
At mihi quando tori iam fœdera ſponſus inibo,
Nullus amicorum gratior hoſpes erit,
Quàm tu, dulce meum decus, ô carißime: nemo
Plura uoluntatis quo mihi ſigna dedit.
Ardua quæ nunquàm tetigiſſem limina regum,
Auſpice ſunt muſis te patefacta meis.
Ob tua complexus ſtudia immenſumq; fauorem
Me fuit Albertus præſul amore ſuo:
Quo generoſa nihil Germania principe maius,
Nec ſacra Romanæ Curia ſedis habet.
Te meus expectat ſocer, & quicunq; frequentant
Saxonicæ docti culta Lycæa ſcholæ.

Quin

Quin & Apollineæ nectunt Daphneide Lauro
    Florida uenturo iam tibi serta deæ.
Si uacat, ergo tua precor ut cum coniuge lætus,
    Ad thalami uenias gaudia Turce mei.

## AD CHRISTOPHORVM Carleuitium Georgij Ducis Saxoniæ Præfectum.

## ELEGIA VI.

BLanda coëgit amor teneræ me uerba puellæ
    Dicere, coniugio nupta fruêre meo.
Iamq; uocatus Hymen aderit, dulcisq; pudicum,
    Coniugis intrabit sponsa cubile sui:
Lux ubi, quam toties ego spe uotisq; petiui,
    Orta pruinosi sexta nouembris erit.
Missus ab Alberto legatus præsule Turcus
    Pars erit hic pompæ spero, decusq; meæ.
Nec minus has cupio, iuuenis clarißime, tædas
    Ornet ut insigni splendor honore tuus.
Iure sodalitij primis tibi iunctus ab annis,
    Hic quoq; Franciscus Vimariensis erit:
Inter amatorem qui me, nuptamq; puellam,
    Legitimi sanxit fœdera casta tori.
Dulce nec hinc aberit Charitum decus atq; lepôrum,
    Grande saginati Cario uentris onus:
Qui uaga scrutatus reuoluti sydera cœli,
    Coniugij dicet fata futura mei,

An Ve-

An Venus, & nostro sit Iuppiter æquus amori:
Inspicietq; cauæ signa notata manus.
Ergo meos inter conuiua futurus amicos,
Huc ades, utq; queas sospes adesse, Vale.

## AD DAMIANVM A Gois, Lusitanum,

## ELEGIA VII.

QVæ tibi missa ferunt aptatam uerba salutem,
Condita sunt numeris hic Damiane meis,
Pandit ubi doctis hederæ cultoribus Albis,
Sacram Gorgonei flumine fontis aquam.
Si fortasse tuas nondum peruenit ad aures,
Hinc procul ex aliquo nuntia fama loco:
Dulcibus illecebris captum, formaq; puellæ,
Me tener uxorem ducere iussit amor.
Quid tibi legitima cum coniuge forsitan inquis:
Nil nisi fœmineus iurgia lectus habet.
Libera me Veneris sine munere uita iuuabat,
Et sacra coniugij iura perosus eram.
Ante meos oculos adducto constitit arcu
Prompta ferens dextra tela Cupido manu.
Cumq; meum uolucri fixisset arundine pectus
Tunc ita, cur uitam cœlibis, inquit, agis?
Solus an odisti connubia? solus amorem?
Nulla tenet sobolis, te neq; cura tori?

At ne sacra meæ contemnas numina matris,
En graue traiecto pectore uulnus habes.
Risit: & ostendens forma præstante puellam,
Hæc tua, dicebat, si cupis, uxor erit.
Illico corripuit mihi subdita flamma medullas,
Inq; meo sedit corde receptus amor.
Deniq; succensus sic igne Cupidinis arsi,
Feruida Trinacrijs ardet ut Aetna iugis.
Difficilem cupido nec se præbebat amanti:
Annuit optatis uirgo rogata meis.
Sexta pruinosi cum lux erat acta Nouembris
Dulcia percipiens gaudia nocte tuli.
Tunc, mihi despondit quam pronuba Iuno, puellam
Legitimo functus munere iunxit Hymen.
Quid lætos referam plausus, aut glorier, illo
Tempore contigerit quàm mihi magnus honor.
Ad mea Legatos misit connubia Princeps
Nobile qui Mogi nomen ab urbe gerit.
Quiq; uetusta potens Sueuorum regna gubernat,
Ampla dedit sponsæ Marchio dona meæ.
Nec minus egregio testati munere uates,
Læticiæ nobis signa dedere suæ:
Per quos Argolicis & uocibus usa latinis
Musa meo cecinit carmina digna toro.
Mollibus hæc elegis tibi significanda putaui,
Esset ut ardoris cognita flamma mei.
Cætera de nostris scitabere rebus ab isto
Qui procul aduenie ns hæc tibi scripta tulit.

Summos ille mihi fuit intimus inter amicos,
Omnia deq; meis cognita rebus habet.
Longior à nobis uenisset epistola, si non
Scribenti calamum surripuisset amor.

## AD ERASMVM EBNERVM Noribergensem, de Cometa qui mense Augusto conspectus est, Anno M. D. XXXI.

## ELEGIA VIII.

HAec tibi Saxonicis Ebnere Sabinus ab oris,
Imparibus mittit condita uerba modis
Hinc, ubi fulgenti ripas interlitus auro
Albis ad arctoas cornua flectit aquas.
Mensis agebatur, Nemeæi terga leonis
Quo rapidis feruens Cynthius urit equis:
Terribilem diro cum uidimus igne cometen,
Nubibus infelix exeruisse caput.
Se negat huic similem uidisse prioribus annis
Tota Lycaonio subdita terra polo.
Solis ab occasu flammas spargebat ad ortum,
Bis spacio denos conficiente gradus:
Nec rutilo solitum ducebat ab igne colorem,
Mixtus in ardenti corpore pallor erat.
Tempore quo surgunt uariantia sydera cœlum,
Horrida diffusis extulit ora comis.

Postq;

Postq́; duas imo caput æquore condidit horas,
 Quo solet occiduos mergere Phœbus equos.
Illinc, octipedis feruent ubi brachia cancri,
 Præcipiti motus turbine fecit iter:
Longaq́; fumoso tulit huc uestigia passu,
 Aequat ubi nocti pendula libra diem:
Hic Astræa tuo geminas cum sydere lances
 Ambustumq́; suo torruit igne Iouem.
Præuia ueloci cursuq́; sequutus in Austrum
 Terga recedentis martis ab axe fuit:
Donec in obscuras moriens euanuit auras,
 Lumine sopitas destituente faces.
Exitus ostendet quibus hoc fatale minetur
 Sydus, & ingentis conscia stella mali.
Aut procul adductos Germania sentiet hostes:
 Principis aut magni funere tristis erit:
Aut proprio tinctas fœdabit sanguine dextras,
 Motaq́; ciuili bella furore geret:
Nuper ut agresti cum sanguine rura madebant,
 Ortus & insana plebe tumultus erat.
Semper adhuc diri quoties arsêre cometæ,
 Certa secuturi signa fuere mali.
Vertat in immanes utinam Deus omina Turcas,
 Qui noua Pannonicis gentibus arma parant:
Rursus & Austriacas bellum meditantur ad oras,
 Marte subacturi Teutona regna suo.
Quod nisi falsa mouent uatum præsagia mentes,
 Haud procul optatam suspicor esse diem,

Germano domitos qua marte uidebimus hostes,
Ferrea captiua uincula ferre manu:
Atq; triumphatas Helles Athamantidos urbes,
Mite sub inuicti Cæsaris ire iugum.
Hæc precor eueniant optatis omina rebus:
At quoq; uestra noui Gallia si quid habet,
Huc ferat à Ligeri flauentes Albis ad undas
Nuncia sermonis littera missa tui.

## AD CARDINALEM Petrum Bembum.

## ELEGIA IX.

NVntius Ausonia qui uenit ab urbe Quirini,
Huc tua Bembe mihi uerba legenda tulit,
Vrbs qua Danubij flauentibus adiacet undis,
Veliuolæ clarum nomen adepta ratis:
Nunc ubi sceptrigeri diuo cum Cæsare Reges,
Pax ut in Europa constituantur, agunt.
Non ita gaudebat qui tristia carmina uates
Ad maris Euxini condidit exul aquas,
Dulcibus accipiens ab amicis quando salutem,
Legit honorati uerba diserta uiri:
Vt iucunda mihi diffudit epistola uultum,
Non dubiam fecit quæ mihi lecta fidem
Nomen inoblito te pectore ferre Sabini:
Ex animo necdum me cecidisse tuo.

*Infinita dedi iucundæ basia chartæ,*
*Læticiam gestu testificante meam:*
*Atq; ita, dispeream tristi modo funere, dixi,*
*Hac mihi grata magis littera siqua fuit.*
*At quod agis mecum, fera dum discordia serpit,*
*Quæ summi lacerum carpit ouile Dei:*
*Ne grauer afflictis fidei succurrere rebus:*
*Et placidæ studium pacis ut ipse iuuem:*
*Non his sufficio quamuis ego rebus agendis,*
*Estq; meis impar uiribus istud onus,*
*Omnes docte tamen conatus Bembe parabo*
*Ipse quibus paci consuluisse queam.*
*Vulnera dißidij qua conuenit arte leuabo:*
*Summaq; cura mihi relligionis erit.*
*Ac nisi restituat concors modo gratia pacem,*
*Obruet heu nostrum quanta procella caput?*
*Sentiet hostilem discors Germania Turcam,*
*Et magni amittet nominis orba decus.*
*Quin hæ dißidijs labefactæ tristibus artes,*
*Funditus euersa cum pietate ruent.*
*Iam mea, quæ uario celebrabat carmine Reges:*
*Territa fatali tempore Musa silet:*
*Vt, Notus insano syluas ubi turbine perflat,*
*Daulias occluso gutture mœret auis,*
*Atra sed obducunt non semper nubila cœlum,*
*Ire solet pulsa nube serena dies.*
*Horrida tempestas nec tempore sæuiet omni,*
*Quæ modo perturbat commoda nostra malis.*

Hos Deus optata sedabit pace tumultus:
Cæsare tranquillos efficiente dies.
Musica tum rursus me tangere plectra iuuabit:
Carmina quæq; legas, his meliora, canam.

## AD LVDOVICVM BECCAtellum Bononiensem.

## ELEGIA X.

SOl duodena regit qui signa uolubilis anni,
Signiferi medium penè peregit iter:
Ex quo Danubij gelidum flauentis ad amnem,
Hic procul à patria sede remotus ago.
Iam desiderio me flebilis afficit uxor,
Pignore quæ nostri dicitur orba tori,
Tristibus & lachrymis natam lugere sepultam:
Eius ab uberibus quam fera parca tulit.
Ergo ubi roriferæ noctis dimouerit umbram
Candida lucifero cras oriente dies,
Hospita Boiorum discedens arua relinquam:
Et patriæ repetam dulcia rura meæ.
Cæsar inutilibus terat hîc conuentibus æuum:
Tædia me cogunt longa redire domum.
At mihi quem concors animorum gratia iunxit,
Doctæ sodalitij pars Ludouice mei:
Quēq; uelut Pyladen Agamemnone natus, amaui:
Iamq; dolens tristi corde relinquo: uale.

Diuidi-

 

Diuidimur uaſtis terrarum tractibus ambo:
Viuere quam uellem nos propiore loco.
Nubifer his longe iacet Appenninus ab oris,
Sub gelidis cuius natus es ipſe iugis:
Aemilioq; nimis diſtat procul Odera Rheno:
Odera flauentes accolo cuius aquas.
Forte Lycaoniam nunquam rediturus ad arcton,
Conſpicies oculis lumina noſtra tuis.
Ecquid enim ueteri regnata Tuiſtone tellus,
Huc retrahat gelidam te quod ab arcton, habet?
Non, ut in Italia, cultis hic myrtus in hortis,
Non citrio fragans ſpirat odore nemus.
Frondea creſcenti tentoria ſurgere buxo,
Eq; maris nuſquam rore theatra uides,
Cerea ſed tantum uel pruna, uel educat uuas,
Si quis habet raras cultior hortus opes.
Tu quoq;, magna licet Romæ mihi cura uidendæ:
Vix oculis poſthac conſpiciêre meis.
Non ego ferre graues æſtus ſub ſole recuſo:
Non me longinquum carpere tædet iter:
Nec calcare niues piget: aëriasq; per alpes
Inuia præruptis ſcandere ſaxa iugis.
Sed thalami conſors, ſed dulcia pignora lecti,
Me procul à patrijs ſedibus ire uetant.
Ante tamen uiuus mea ſpiritus oſſa relinquet:
Abſentis nequeam quam meminiſſe tui.
Ipſe meos inter numerabere primus amicos:
Vſq; adeo tecum uiuere dulce fuit.

Redde uicem, & longe tepidũ ſubmotus ad auſtrum,
Tu memori noſtrum pectore nomen habe.
Inciderit quoties & mentio facta Sabini:
Ille mihi eſt fratris iunctus amore: refer.
Quin & ubi dominam uenies ad Tybridis urbem,
Præſtantes habitant qua tot in urbe uiri:
Auſonios uates mihi conciliabis amicos.
Carminis autores carminis autor amo.
Fronde triumphali redimitum tempora Vidam:
Quem tulit Eridani iuncta Cremona uadis.
Blandaq; Naſonis referentem carmina Molſam:
Cuius habet ſimiles uix Elegia modos.
Nec non Flaminium, cuius lepidiſsima uatis
Omnes inſigni carmina laude ferunt.
Inprimis uero Bembum ſaluere iubebis,
Inclyta quo gaudet Flamine Roma ſacro.
Adriacæ Bembum gentis decus: attica cuius
Verba, uelut dulci nectare tincta, fluunt:
Hiſtorico cuius calamo pater Adria tantum
Ob populi debet facta legenda ſui:
Tybridis urbs quantum Patauino debet alumno,
Romuleos calamo qui celebrauit auos.
Anglorum ueteri natumq; propagine Polum,
Cui triplicem linguam docta Minerua dedit.
Et Ciceronæo Sadoletum more loquentem,
Facundo Charites cuius in ore ſedent.
Ac tot Aleandrum linguarum dotibus auctum,
Cinxit Apollinea qui mihi fronde comas.

Omnia

Omnibus his igitur me commendabis: & horum
  Ipse salutabis nomine quenq; meo.
Mollia sic ducant gelidas te fata per Alpes:
  Sic patriæ sospes restituare tuæ.

## AD CHRISTOPHORVM Turcum.

## ELEGIA XI.

ECquid adhuc sæua correptus febre laboras?
  Torret ut ardenti quæ tua membra foco:
Horror & algentes tibi frigore concutit artus?
  Mox ubi destituit feruidus ossa calor.
Bis cessante suas finiuit uoce querelas,
  Cecropis Ismarium quæ gemit ales Itym:
Bisq; seges demessa fuit: cum languidus ægro
  Semper & affecto corpore Turce taces.
Iamq; senescenti tabescis, ut audio, morbo:
  Robur & ætatis concidit omne tuæ.
O utinam pro te quantumuis dura liceret
  Fata per alternas sustinuisse uices:
Ipse libens aliqua morbi te parte leuarem,
  Ne tantis æger conficerere malis.
Namq; uoluntatis mihi talia signa dedisti,
  Vt tua sit potior uita salute mea.
At tu, quarta tribus furijs soror addita, tandem
  Ipsa fatigato corpore febris abi,

*Quid iuuat insontem crudelibus urere flammis?*
*Supplicium hoc debent, qui meruere, pati.*
*Non hunc, Enceladi ducis impia castra secutum,*
*Constat in æternos arma tulisse deos.*
*Cur genus humanum nullo discrimine torques?*
*Si tibi fas, homines perdere: perde malos.*
*Illos conficias, Epicuri scita professi,*
*Ludibrio nomen qui pietatis habent.*
*Vos ô Pierides, uos si medicamina nostis,*
*Quæso laboranti ferte salutis opem.*
*Pæoniæ crescunt in odoris uallibus herbæ,*
*Celsus ubi gemino mons petit astra iugo:*
*Emanatq; sacro fons ex Helicone salubris,*
*Fecit Abantiadæ quem pede regis equus.*
*Illinc Pegasei uos pocula ferre liquoris,*
*Plenaq; odorato flore canistra decet.*
*Ah prohibete nefas mites prohibete puellæ,*
*Afferat ægroto ne fera parca manus.*
*Vester honos agitur: uestros hic iuuit alumnos,*
*Officio semper demeruitq; suo:*
*Qui si conciderit, morboq; peribit acuto:*
*Nobis Mecœnas uatibus ecquis erit?*
*Omnibus ex hedera uoueo thymbraq; coronas*
*Si uestra incolumis restituetur ope.*
*Hæc si uota tuæ nil prosint Turce saluti,*
*Attamen optati signa fauoris habent:*
*Declarantq; meum, quo te complector, amorem:*
*Meq; tuam tristi mente dolore uicem.*

*Et licet, affecto dum corpore deficis æger,*
*Sit tibi conditio sortis acerba tuæ:*
*Fer tamen hanc animo non indignante ruinam,*
*Quam tua concussa uita salute facit.*
*Ortus es, ut mundi subiectus casibus esses:*
*Nullus in hoc expers funeris orbe fuit.*
*Vel cito uel sero, uitam mors omnibus aufert.*
*Quæ tibi sunt æqua mente ferenda, feras.*
*Adde quod egisti melioris tempora uitæ:*
*Nostraq; sunt tantis sæcula plena malis.*
*Aerumnas hominum si quis consideret omnes,*
*Triste sit ut nobis uiuere: dulce mori.*
*Aspice, quæ Regum discordia: respice surgat*
*A male pacatis quanta procella Getis.*
*Te Deus in tanto uult hoc discrimine rerum,*
*Forte secuturis eripuisse malis.*
*Ergo ualetudo tibi non erit ægra dolori:*
*Te Deus hinc poscens ad meliora uocat.*
*Afferet æternam uitæ iactura salutem:*
*Flebilis optatum mors tibi munus erit.*
*Illud quin etiam de me solamen habebis:*
*Post obitum, si non utile, dulce tamen:*
*Quod non decedes ex hoc inglorius æuo,*
*Prosequar æterno funus honore tuum.*
*Soluit ut erepto Pelignus iusta Tibullo*
*Naso, soluturus sic tibi iusta feram.*
*Neu quis prætereat tua nescius ossa uiator,*
*Extabunt elegis saxa notata meis.*

*Verum*

Verum, ſiue graui morbo releuaberis æger:
(Namq; Deus morbo te releuare poteſt)
Siue (quod auertant ſuperi) ſpes nulla ſalutis
Reſtat, & eſt uitæ meta peracta: Vale.

## AD GERMANIAM, ELEGIA XII.

QVo tua bellatrix abijt Germania uirtus?
Diſsimilis noſtro tempore facta tui.
Vindelicis olim pepuliſti finibus Hunnos,
Imperium magno cum ſub Othone fuit.
Ad Solymas arces uictricia ſigna tuliſti,
Sceptriger imperij cum Fridericus erat.
Nunc procul à Tanai ducentes agmina Turcæ
Danubij ferro depopulantur agros:
In tua graſſatur terrarum uiſcera prædo,
Auſa nec hoſtiles es cohibere manus.
Te quibus oſtentas, nunc utere grandibus haſtis,
Et quibus in Circo ludicra bella geris:
His animoſa pias haſtilibus aſſere gentes,
Si quid in audaci pectore martis habes.
Ah pudeat Scythicis egreſſum finibus hoſtem,
Militiæ nobis præripuiſſe decus.
Mollia dum ſequimur nos deſidis ocia uitæ,
Aſpera bellator prælia Turca facit.
Dum cane uenamur lepores: aut cuſpide damas
Figimus, ille ſuo milite regna capit.

Deniq; nos tantum ſine ſanguine ludimus armis,
 Ille gerit forti ſeria bella manu.
At generoſa tuis Germania conſule rebus,
 Coge pharetratos uertere terga Getas.
Ipſa tuas urbes è faucibus eripe lethi,
 Et uetus imperij marte tuere decus.
Si ſecura mali non profligaueris hoſtem,
 Triſtia crudeli uulnera clade feres.

## AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Ioachimum II. Electorem, Marchionem Brandeburgenſem de inſtaurato Gymnaſio Francofordiano.

## ELEGIA XIII.

HOſpes ab exilio reuocatas Odera Muſas,
 Inſtaurare ſua gaudet in urbe choros:
Vnde fugata nouem cum Phœbo turba ſororum
 Nuper, barbarie regna tenente: fuit.
Nam modo tempus erat, doctas profitentibus artes
 Nullus habebatur quando deabus honor:
Ingenioſa rudi ſordebant carmina uulgo,
 Spreta Meduſæi numina fontis erant.
Tunc procul excedens hac Delius urbe receßit,
 Vertit & exilio turba nouena ſolum.
At res iſta tibi magnum Iochime dolorem
 Attulit, Heroi nec toleranda fuit.

Ac pa-

Ac patriæ postquàm tibi tradita cura regendæ,
 Artibus ingenuis est reuocatus honor.
Barbaries dedit acta fugam: dulcesq; Camœnæ
 Auspicijs princeps huc rediere tuis:
Iamq; frequentatur schola, quæ deserta iacebat,
 Aonias docta pube colente deas.
Nec studiosa cohors, Heliconiadesue puellæ,
 Hospitio poterant commodiore frui.
Summa racemifero uestit iuga collis amictu,
 Sub quo Pieridum colle theatra iacent.
Talia nimirum loca sunt gratißima Musis,
 Quæ uiridi cinctus palmite Bacchus amat.
Nec liquidi desunt fontes, qui murmure rauco
 Per iuga frondenti consita uite fluunt.
Actus ab umbrosa per acernos ualle canales
 Fons ruit, ac dulces eiaculatur aquas:
Inde quod erumpens pulchre fluat unda, uocauit
 Calliroë fontem nomine Nympha suo.
Nec minus hausta sacros hæc efficit unda poëtas,
 Quam uel Gorgonei fons celebratus equi.
Hanc Eobanus aquam bibit Hessus: & acer eodem
 Dicitur Huttenus fonte leuasse sitim.
Fontibus adde lacus, & stagna uirentia musco,
 Innumero quorum pisce natantur aquæ.
Labitur obliquis hic flexibus Odera, cuius
 Altera lenæo palmite ripa uiret:
Frondibus umbrosæ prætexitur altera syluæ:
 Vtraq; montanis undiq; cincta iugis.

Odera,

Odera, quo nullus piscosior irrigat amnis
Teutona Vandalico rura propinqua solo:
Perspicua sub cuius aqua, uitreoq; profundo
Humida formosæ Naiades antra tenent.
Quid molles referam uiridanti gramine campos?
Florida qui certant uallibus Enna tuis?
Hic iuuat æstiuum captare sub arbore frigus,
Igneus Erigones cum canis urit agros:
Et uolucrum dulces audire per auia cantus,
Pulsa quibus mœsti cura doloris abit.
Floribus hic texunt operosæ serta Napææ,
Hic agitant Satyri læta per arua choros.
Vrbs quoq; diues opum: uarias huc aduena merces
Sulcato æratis puppibus amne uehit.
Accedit populi cultus, non qualis ad Arcton
Esse, sed Italica qualis in urbe, solet.
Incola nec similes habitat magalibus ædes:
Magnificæ ostentant ardua tecta domus,
Quarum summa gerunt tales fastigia pinnas,
Quales magnorum prisca theatra ducum.
Hectorei uero posuerunt mœnia Franci:
A quibus urbs clarum nomen adepta tenet.
Ergo quod hic dulci frondent iuga consita baccho,
Lætaq; fontanis arua rigantur aquis:
Vrbsq; uiris opibusq; potens, quod rebus abundat
Omnibus: ac turpi rusticitate caret:
Gratior exulibus, magis optatusq;, Camœnis
Nullus in arctoo contigit orbe locus.

Friuola

Friuola quin etiam nisi sunt oracula Phœbi:
Gymnasium magni nominis istud erit.
Inclyta nam reduces Musæ cum templa subirent,
In quibus hic artes turba professa docet:
Ipse futurorum non inscius augur Apollo,
Tales ore dedit uaticinante modos.
Soluite mœstitiam, tristes iam ponite curas,
Quæ sacra liquistis Phocidos arua deæ:
Non minus hæc olim clarum loca nomen habebunt,
Ardua Parnaßi quàm iuga montis habent.
Innumeros iuuenes terrarum ex omnibus oris
Alliciet sedes huius amœna loci.
Hæc procul auroræ roseo surgentis ab ortu
Dulcia uisuri Pannones arua petent.
Nobilis insignes huc Istula mittet ephœbos:
Huc Rheni properans accola carpet iter.
Baltica permensi uenient huc æquora Cimbri:
Quiq; bibunt flaui Saxones Albis aquam.
Deniq; uix capient studiosos atria cœtus:
Ad mea concursus limina tantus erit:
Hauriet hic uarias artes linguasq; iuuentus,
Rite colet numen quæ uenerata meum.
Aut celebres discet uates æquare canendo,
Quos olim Latium, Græcia quosq; tulit:
Aut sontes grauibus legum compescere pœnis,
Ciuica pro trepidis armaq; ferre reis.
Aut medicaminibus tristes depellere morbos:
Aut uaga siderei noscere signa poli.

Omnia

Omnibus hæc ſtudijs ſchola ſic florebit, ut olim
  Cæcropis urbs ſtudijs floruit aucta meis.
Talia fatidico Latonius edidit ore:
  Quæ rata non dubiam ſunt habitura fidem.
Scilicet externis procul è regionibus ingens,
  Confluit huc doctas turba ſecuta deas.
At tu macte tuis uirtutibus optime Princeps,
  Dulcia qui muſis otia agenda facis:
Propagasq́; artes, quibus emolleſcere mores,
  Et fera duriciem ponere corda ſolent.
Sic melius tota de poſteritate mereris,
  Aonidum reparas quod Ioachime decus:
Alter ab Heſperidum quàm ſi Tirynthius hortis
  In patriam referas aurea mala tuam.
Quare magnificis extollent laudibus omnes,
  Immenſoq́; tuum nomen in orbe canent.
Omnibus à doctis celebrabere, Tuſcus ut olim
  Mœcenas atauis regibus ortus eques.
Viue nouenarum columen Ioachime ſororum:
  Vtq́; diu florens ſit ſchola noſtra: Vale.

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEgiarum, Liber quartus.

## AD CARDINALEM Petrum Bembum.

### ELEGIA I.

ILle Sabinorum qui gaudet nomine uates,
Te procul à Viadri Bembe ſalutat aquis
Cuius ad algentes ludit modo carmina ripas
Aoniæ tangens plectra ſonora lyræ.
Si fortaſſe rogas, quibus amnis hic erret in oris:
Teutona Vandalico ſeparat arua ſolo:
Quemq; alias Viadrum Germania nuncupat, idem,
Dictus ab indigenis Odera nomen habet.
Sed moror ipſe tuas longis ambagibus aures:
Accipe noſtra procul quid tibi Muſa ferat.
Annua forte dies aderat, cum priſca biformem
Tybridis urbs Ianum deuenerata fuit,
Prouidus ut cœli cuſtos emittere pacem,
Et rigida uellet condere bella ſera.
Mœnibus exieram ſolus, uinetaq; luſtrans,
Per niue candentes ingrediebar agros:

Verſabamq;

Versabamq́; graues mœsto sub pectore curas,
 Temporis expendens tristia fata mei:
Vt iuga Dalmatiæ, ripasq́; binonimis Istri,
 Turca Pelethronijs depopuletur equis.
Arma nec Europæ capiant ultricia reges:
 Effera gens quorum marte domanda fuit.
Ergo trahens imo suspiria corde, fremebam:
 Hæcq́; dabam gelidis uerba ferenda notis.
Nunc ego Dircæus uates, fidibusq́; canoris
 Inclytus Oeagri filius esse uelim:
Non ut aues, rigidasq́; feras, nec saxa, uel ornos
 Ducere, sed regum corda mouere, queam.
Dicite summa quibus rerum concessa potestas,
 Vestra quis ignauus pectora torpor habet?
Quod non indomitum bello compescitis hostem,
 Cuius Pannoniam dextera cæde replet.
Me miserum, quantas clades hic barbarus orbi
 Intulit: est quarum commeminisse dolor.
Aeoliæ domitis mare Thracibus abstulit Helles:
 Captaq́; Byzanti mœnia uictor habet.
Phœnicum uastauit agros, quæq́; altus opacat
 Florida palmifero uertice rura Thabor.
Cædibus impleuit septemplicis oppida Nili:
 Ac te Carpathio marmore cincta Rhodos.
Sæuit in Istricolas iam nunc, Budaq́; potitus
 Austriacis prædam finibus hostis agit.
Ne fera prædonis uictoria longius iret,
 Cura pijs ducibus suscipienda fuit.

*Græcia si rapta Menelai coniuge bellum*
*Geßit, & est hostem fortiter ulta suum:*
*Cur cœlestis erunt Christi sine uindice gentess?*
*Nullus an innocui sanguinis ultor erit?*
*Proq́; tot abductis hominum, cæsisq́; piorum*
*Millibus: Europam sumere bella piget?*
*Heu quanto miseri gemitu suspiria ducunt,*
*Dirripuit quorum barbara turba lares:*
*Quiq́; manus uincti duris post terga cathenis,*
*Verbera coguntur tortaq́; lora pati:*
*Quod non sacrilegi Mahometi numen adorant,*
*Te sed adorantes optime Christe colunt.*
*Ah si fata darent reduces hoc tempore reges,*
*Francia quos olim, Sueuia quósue tulit:*
*Non ita falcato sæuiret acynace paßim,*
*Mœstaq́; crudelis funera prædo daret.*
*Fortibus indomitos Auares compescuit armis*
*Magnus ab Hectoreis Carolus ortus auis:*
*Atq́; Saracenis, qui Betica regna tenebant,*
*Hesperij captas orbis ademit opes.*
*Primus in Armenia Fridericus castra locauit:*
*Ad Solymos alter trans mare signa tulit.*
*Hac decus Heroes quondam sibi laude parabant:*
*Insitus hic animi regibus ardor erat.*
*Non ut dißidijs ciuilibus arma mouerent,*
*Exitioq́; suos marte furente darent:*
*Sed procul arcentes ut auitis sedibus hostem,*
*Pro patriæ gererent bella salute suæ.*

*At modo*

At modo nulla gerunt nisi bella domestica reges:
Sustinet ex ducibus prælia nemo foris.
Alter in alterius sic uiscera sæuit, ut olim
Gens quæ Cadmæo semine nata fuit.
Efferus interea grassatur Turca per orbem,
Qui contundendus fulmine martis erat:
Templa prophanatis & disijcit impius aris,
Stupraq́; cum sæua cæde nefanda facit.
Non sic acta furit rabie Gangetica tigris,
Si qua uel est catulis orba leæna suis:
Nuper ut ille furens, uiolentis sæuijt armis,
Hic ubi Pannoniam Noricus Ister adit.
Sepibus infantum suffixa cadauera pendent:
Vbera matronis ense resecta iacent.
Nec tamen è summis Europæ regibus ullum
Afficit, & clades hæc miseranda mouet.
Fœlices animæ, nostro quibus attulit æuo
Funeris extremam mors properata diem:
Ne Geticos metuant arcus, poßintq́; ruentis
Excidium patriæ triste uidere suæ.
Hæc ubi uerba leues iactabam questus ad auras,
Iamq́; petiturus mœnia rursus eram.
Ecce bifrons, alto delapsus ab æthere, Ianus
Astitit: ancipiti territus ore fui.
Vtq́; tremit uentis agitata palustris arundo,
Sic mea concußit luridus ossa pauor.
Illi Scythonia candens niue barba rigebat,
Aegoceri tectum uellere corpus erat:

*Dextera gestabat baculum manus: inq; sinistra*
*Clauis, qua superûm panditur aula, fuit.*
*Vtq; niues humeris gelidos excußit & imbres,*
*Anteriore loquens hos dedit ore sonos.*
*Desine mirari solos, quos Francia reges,*
*Quosue potens olim Sueuia marte, tulit.*
*Nondum tota iacet uirtus extincta: supersunt*
*Hoc fera quos acuent tempore bella Duces.*
*Ecce suis quæ nunc Germania dißidet armis,*
*Concordi iunget fœdera pace domi:*
*Proq; focis, arisq;, & libertate tuenda,*
*Sumpta pharetratis inferet arma Getis.*
*Affectum miseris tot cladibus asseret Istrum,*
*Graiaq; barbarico subdita regna iugo.*
*Inde citam ducens longinqua per æquora classem*
*Figet Idumæo clara trophœa solo.*
*Non est fractus adhuc rex Ferdinandus, & alter*
*Augusti titulum qui modo frater habet.*
*Hic aget Hesperiæ fortes in prælia gentes:*
*Ille Bohæmorum robore bella geret.*
*Ergo pone metum, tristes ac siste querelas:*
*Quem metuis posthac non metuendus erit.*
*Dixit, & in tenues euanidus exijt auras:*
*Et mea conijciens sparsit in ora niuem.*
*At non uana mihi cœlestis ianitor aulæ*
*Rettulit, imperij iam coiere Duces:*
*Et modo confirmant æterno fœdere pacem:*
*Omnibus inq; Getas uiribus arma parant.*

*Martia*

Martia terribili feriuntur tympana pulsu:
Tolluntur medio bellica signa foro.
Ex ducibus uero, quos pugnæ accincta sequentur
Agmina: septemuir Marchio, primus erit.
Marchio Teutonici pronepos animosus Achillis,
Virtutis specimen qui dedit ante suæ,
Austriacis cum te grassantem depulit oris:
Vertit & in celerem sæue Tomita fugam.
I, decus imperij, patriæq; tuere salutem:
I tua quo uirtus te Ioachime uocat.
Te pridem cupidis expectat Achaia uotis,
Vt semel excutiat triste redempta iugum.
Mœnalus inclinat prona tibi rupe cacumen:
Gaudent aduentu Pindus & Ossa tuo.
Nec metuas enses, nec spicula tincta ueneno:
Prospera suscipies auspice bella Deo.
Ille tuus protector erit: partoq; triumpho
Vt lætus redeas uictor ab hoste dabit.
At Romana pio quo Flamine curia gaudet,
O sacer Aonidum nobile Bembe decus:
Te decet hortari Venetos, populumq; Quirini,
Quos tua dulce loquens flectere lingua potest:
Omnibus inuadant ut eundem uiribus hostem:
Subsidio nobis, neu superemur, eant.
Nam uelut accurrunt exciti sedibus omnes,
Cum uagus incensa Mulciber urbe furit:
Sic quoq; uos sumptis accurrere conuenit armis,
Ne rigidis simus præda cruenta Getis.

Græcia ſuppetias olim ſi Thracibus iſſet,
　Subdita Turcarum non foret ipſa iugo:
Nec modo lugeret ſuperatus ab hoſtibus Iſter,
　Pœona ſi Danais terra tuliſſet opem.
Quare ueſtra niſi uicinos arma iuuabunt,
　Triſtia (crede mihi) uos quoq; fata manent.
Nec minus alternæ diſcordia ſemina litis
　Tollere, Bembe tuæ pars pietatis erit:
Et ſedare graues motus, quos tempore noſtro
　Turbata populus relligione facit.
Nam cum præcipue latij ſacer ordo ſenatus
　Te colat, inq; oculis urbs Tyberina ferat:
Optimus aſſertor fidei, paciſq; ſequeſter,
　Vulnera fomentis noſtra iuuare potes.
Reſpice quas hominum reddẽs pro crimine mortem,
　Abluit ipſe ſuo ſanguine Chriſtus oues:
Optatamq; gregi paſtorum confice pacem,
　Quorum diſsidium triſtia damna parit.
Nam fera dum motis certamina litibus inſtant,
　Excubias nullus pro grege paſtor agit.
Deſtituuntur oues & ruptis ſepibus audent
　Vndiq; raptores in pecus ire lupi.
Summus in illuſtri Deus hac te ſede locauit,
　Ingeniiq; tibi flumina larga dedit:
Vt tua conciliet mitem facundia pacem:
　Et ueræ partes relligionis agat.
Ergo tuos Venetos hortare, tuoſq; Quirites,
　Vt ſua nobiſcum iungere caſtra uelint:

Imma-

Immanemq; iuuent armis excindere gentem,
 Quæ nos exitio, sit nisi fracta, dabit.
Effice concilium simul ut solenne uocetur,
 Elucescat ubi gloria uera Dei.
Id cupit, id uotis ardentibus optat, id unum
 Expetit, & Christi te pia sponsa rogat.

## AD IOACHIMVM II. MARchionem Electorem, in expeditionem contra Turcas proficiscentem.

### ELEGIA II.

SIc tibi laurigeros uictoria læta triumphos,
 Sic tibi conuerso terga det hostis equo:
Suscipe militiæ princeps fortißime curam,
 Pro patria duri suscipe martis onus.
Et uelut, ultorem quem sensit Amilcare natus,
 Vnicus Aeneadum Scipio murus erat:
Acer ut opposuit se fortibus Hector Achiuis:
 Sic patriæ murus sis Ioachime tuæ.
Excitet æternæ te laudis ad arma cupido,
 Qua solet Heroum mens generosa trahi.
Namq; duces ualido patriam qui marte tuentur,
 Hos ut Semideos cernis in orbe coli.
Exacuant etiam te sæua pericula, nobis
 Instant à trucibus quæ metuenda Getis.
Hoc agitur patriæ non solum gloria bello,
 Sanguine maiores quam peperere suo:

Sed quoq; libertas, quàm si Germania perdet,
Impia sacrilegi serua latronis erit.
Scilicet impuris cogetur dedita sacris,
Veri ludibrio nomen habere Dei.
Aspice Pannoniam, quæ nunc subiecta tyranno,
Cogitur in templis multa nefanda pati.
Ante colebat ubi Christum solennibus aris:
(Heu scelus) ipse locum nũc Mahometus habet.
Eripe nos igitur crudelibus eripe Turcis,
Iustaq; pro patrijs suscipe bella focis:
Assere Christiadum cum libertate salutem,
Atq; redemptoris templa tuere tui.
Hoc rogat, hoc series exoptat longa nepotum,
Quæq; cupit nasci, libera quæq; mori.
Clarorum hoc animæ poscunt manesq; uirorum,
Pro patria uitam qui posuêre suam.
Deniq; captiui tensis ad sydera palmis,
Hoc mœsto gemitu, nocte dieq; petunt.
Hinc procul à nostris abductos finibus atrox
Quos instar pecudum fustibus hostis agit.
At tu magnanimi ducis annue fortibus ausis,
Aeterni soboles unica Christe patris.
Non fera bella gerit scelerati more tyranni,
Pro populo uindex induit arma tuo.
Illius à cunctis uitam defende periclis,
Quæ dubij præceps alea martis habet.
Tu ualidas illi uires, animumq; ministra,
Frangat ut audaci barbara tela manu:

Qualiter

Qualiter inuictus cœlesti robore Sanson,
Mota Philisteis contudit arma uiris.
Sacrilegis uero Turcis immitte pauorem,
Quo dent in celerem terga cruenta fugam:
Non secus Isacidis ac bella gerentibus hostes
Versa repentino terga dedere metu.
Quod precor, eueniet: neq; enim sine numine, tantus
Prosequitur populi te Ioachime fauor,
His in dißidijs patriæq; tumultibus, omnes
Vnanimes gaudent quod tua castra sequi.
Tanta Mycæneus non agmina duxit Atrides,
Concidit Argolica quo duce Troia manu,
Quantas ipse equitum turmas, peditumq; cateruas
Maximus imperij nomine ductor agis.
Teutonico cuius langore ferocia creuit,
Nunc tibi Turcarum gens scelerata caue.
Iam uideo Scythici fluuios undare cruoris,
Corpora squalenti cæsa iacere solo:
Inq; potestatem redigi durißima Thracum
Regna, ferus quorum sceptra tyrannus habet.
Vos & io tristi nunc soluite pectora luctu,
Quos in compedibus barbara turba tenet.
Vltor adest, qui uos dominorum cæde redemptos
Liberet, ac uinclis eximat, ultor adest.
O quos ille dies plausus, ô quanta uidebit
Gaudia, quæ nullum sunt habitura modum,
Aspera finieris lætis ubi bella triumphis,
Vindice tutatus nos Ioachime manu:

Cumq;

Cumq; cathenati reges proceresq́; Scytharum
  Ante tuos ibunt inclyte uictor equos.
Aureus hanc utinam properantibus adferat horis
  Lucifer, & celeri Cynthius axe, diem.
At iam tempus adest, ut agas in bella cohortes,
  Te fera cum lituis tympana pulsa uocant.
I fœlix, auibusq́; moue tua castra secundis:
  Excidat imperio te duce Turca suo.

## CVR SERPENTES exuant senectutem.

## ELEGIA III.

IVppiter imperium quo tempore cœpit Olympi,
  Et superis pulso iura parente dedit:
Sanguine taurorum faciebat sacra Tonanti
  Vulgus, agebatur festus in orbe dies.
Iuppiter his motus sacris quodcunq; rogarent,
  Id fore, iurabat per sua sceptra, ratum.
Coueniunt hominum cœtus, omnesq́; iuuentam
  Lædere quam posset nulla senecta, petunt.
Annuit omnipotens, tardumq́; uocabat Asellum,
  Quo senior Bacchi uectus alumnus erat.
Hæc age dona pijs, dixit, mortalibus affer:
  A Ioue mandatum munus Asellus obit.
Quid tibi cum tali, pecudum turpißima, dono?
  Te graue lignorum dignius esset onus.

Ecce sitim fessus dum colligit inter eundum
Flectit ad irrigui flumina fontis iter.
Quadrupedem uidit qui talia dona ferentem
Seruator liquidi gurgitis Hydrus ait,
Fluminis huius erit tibi copia nulla bibendi:
Ni mihi, quæ portas tergore, dona dabis.
Heu pecus ignauum, cœlesti nectare munus
Nobilius, uili uendit Asellus aqua.
Anguibus exuitur mutata pelle uetustas:
Tristia nos senio fata premente manent.
At rudibus caueat ne quid committat Asellis,
Qui bene curatas res uolet esse suas.

## DE PVELLA FRANcofordiana.

## ELEGIA IIII.

Torrida cum rapidis arderet solibus æstas,
Flauaq; maturis frugibus arua forent:
Virgo sub arborea capiebat fronde quietem,
Cespitis in uiridi gramine, propter aquam,
Hic ubi uitiferos allabitur Odera colles:
Fessaq; dum placido membra sopore leuat,
Clara quiescenti uox est audita puellæ,
Surge, tibi magnæ, surge, dabuntur opes.
Surgit, & attollens excusso lumina somno,
Haud procul insignis conspicit ora uiri.

Hic ita, uirgo tuum si me dignaris amantem,
Diuitijs, dixit, sola fruêre meis:
Thesaurosq́; tibi magnos tellure recludam,
Illa sub hæc, noster quisquis es, inquit, eris.
Cumq; fidem uerbis his astrinxisset amanti,
Pristina mutatur forma repente uiri.
Grandes igne micant oculi, frons torua minatur
Cornua, semicaper qualia Faunus habet.
Concipit, his uirgo perterrita, mente furorem,
Fertur & humanis sensibus orba domum.
Nunc ea compedibus duris & uincta cathenis,
Se Stygij gazas promere ditis ait.
Exhibet argentum custodibus, exhibet aurum,
Dextera signato nec uacat ære manus.
At nisi præripiant aurum, dextramq́; præhendant,
In sua per buccam uiscera condit opes.
Fallor? an insolito sunt plena quod omnia luxu,
Admonet hæc auri prodigiosa fames?
Quodq́; Dei spreto, mortalia pectora, uerbo
Sola parandarum cura fatigat opum?

## AD CHRISTOPHORVM TVRcum, de oratione Isocratis ad Philippum Regem Macedonum, ex græca à se conuersa.

## ELEGIA V.

Cum

CVm tua facundæ mihi gratia cognita linguæ
Esset, & ingenij dextera fama tui:
Nec meus auderet sine Mecœnate libellus
Solus ad ignotas principis ire fores:
Commendata tuo mea scripta fauore putabam
Posse sacro tanti præsulis ore legi.
Ergo uir eloquij clara celeberrime fama,
Te puer his supplex uersibus oro meis,
Hic liber ingenuo tibi si candore probatus
Dignus honorato principe uisus erit:
Vt nostra exhibeas illi non noxia scripta,
Mollia cum fandi tempora nactus eris.
Hæc noua quæ Latijs oratio reddita uerbis,
Græca sed, à summo rhetore scripta, fuit,
Suadet ab Herculeo Macedûm rex natus Amynta,
Aduersus patriam ne ferat arma suam:
Vertat in externas sed bella domestica gentes,
Subdat & Argolico Persica sceptra iugo.
Sic tuus hoc utinam discordi tempore princeps,
Cæsaris ingenium flectere mite queat:
In patria gratæ conseruet ut ocia pacis,
Bellaq; cum diro iusta latrone gerat,
Qui ducis Austriaci tot cladibus afficit urbes,
Vastat & hostili Pannona regna manu:
Seq; triumphato moturum uictor ab Istro,
Ad liquidas Rheni castra minatur aquas.
Si mea (quod spero) te iudice scripta placebunt,
Atq; uidebuntur præsule digna tuo:

Quem

*Quem damus augusta precor hunc de pace libellum,*
*Vt tua propenso lingua fauore iuuet.*

## AD ALBERTVM CARDInalem, Archiepiscopum Moguntinum & Madeburgensem.

## ELEGIA VI.

*ANte, tuas gelidis qui fluctibus alluit urbes,*
*Ad fontem uersis Sala recurret aquis:*
*Arctousq́; retro tepidos fluet Albis ad ortus,*
*Vnde uehit nitido lucifer axe diem:*
*Quàm tua pro misso mihi munere gratia Princeps,*
*Et meriti fama est interitura tui.*
*Si uictura meæ iuuenilia carmina musæ,*
*Digna uetustatem posteritate ferent:*
*Nullius immemorem me temporis arguet ætas,*
*Proq́; tuo semper munere gratus ero.*
*Inclyta Marchiacæ referam primordia gentis,*
*Multaq́; te summo Principe digna canam:*
*Vt genus antiqua ducas ab origine Regum,*
*Nobilis illustri sanguine natus aui*
*Bellica quem magno uirtus æquauit Achilli,*
*Istius intexam laudibus acta tuis.*
*Vtq́; sacerdotum tibi suffragante senatu*
*Contigerit triplex pontificalis honor,*
*Vix ubi transieras teneræ lanuginis annos,*
*Eq́; rudi puero factus Ephebus eras.*

Innumeras alias & persequar ordine laudes,
Clara quibus fiet nominis aura tui.
Interea memorem testantia carmina mentem
Accipe, tantisper dum meliora dabo.

## AD CARDINALEM PEtrum Bembum.

## ELEGIA VII.

SI te prisca iuuat cognoscere nomina regum:
Hos oculis numeros excute Bembe meos.
Illic Sarmaticosq; duces, ignotaq; Romæ
Bella, Licaonio gesta sub axe, leges.
Nemo sed Arctoas, quas educat Istula, gentes
Pierijs celebres reddidit ante modis:
Et mihi difficile his peregrinis addere rebus
Lumen, in obscuro quæ iacuere, fuit.
Ergo meæ ueniam dabis, ignoscesq; Camœnæ,
Si minus hæc forsan carmina lucis habent.
Dura nec offendant te regum nomina quædam,
Haud satis in teneros molliter acta pedes.
Nam licet excellant animi uirtute Poloni,
Barbara Vandalico nomina more tenent.
Quin & disparibus tentans syluestria cannis
Sibila, de Gallo carmen agreste dedi,
Qui fuit obsessam Ticini captus ad urbem,
Cum Iouis armigero dum fera bella gerit.

Hæc rogo ſcripta legas, nobisq́; cupita uicißim
Ingenij mittas ut monimenta tui:
Nempe leues elegos, quos pubeſcentibus annis
Te iuuenem blandus ludere iußit amor.
Horum ſi fuerit mihi copia facta legendi,
Non erit ulla magis res mihi grata: uale.

## DIALOGVS VENERIS ET CVpidinis, ex Luciano.

Cypria cōpellans pharetratum mater amorem
Flebilis audita eſt talia uerba queri:
Venus. Dic age qui fiat dulcißime nate Cupido,
Omnes cum timeant numinis arma tui,
Humanumq́; genus, manes Erebiq́; profundi,
Sollicitent ſuperos & ſimul illa deos:
Sola tamen doctis quæ præſidet artibus, omne
Effugit imperium caſta Minerua tuum?
Iuppiter immenſi moderator & arbiter orbis,
Ipſe tuas ſenſit captus amore faces:
Senſit & æquoreis Neptunus uictus in undis,
Iunoq́; furtiuo ſæpe reperta toro.
Vt taceam reliquos, & tu quoq; nate parentem
Iura pudicitiæ me uiolare iubes.
Degener an ſolam quo Pallada uincere poßis,
Extinctus nullam uim tuus ignis habet?
Cupido. Deſine diua parens mirari, & quærere cauſam,
Hanc mea cur nequeant tela ferire deam:

Cumq́;

Cumq́; potestati sint omnia subdita nostræ,
Sola meas spernat cur tamen illa faces.
Hanc ego perculsus metuo, cum lumine tantum
Aspicit, aut uultu me truculenta notat.
Sed tamen aggressus sumptis quandoq́; sagittis,
Cum dea non esset caßide tecta, fui,
Cælauiq́; meum perplexis artibus ignem,
Ne tacitos posset prodere flamma dolos.
Nemo sed occultum quantumuis cælat amorem,
Ipse meo semper proditus igne fui.
Insidias igitur postquàm cognouit apertas,
Me procul in celerem depulit illa fugam.
Concita tum quoties galeam dea uibrat & hastam? Venus.
Pectore cuncta mihi membra pauente tremunt.
Quid galeam metuis? quid acutæ cuspidis hastam?
Nate tuo uanos excute corde metus.
Marte quid asperius fuit, aut quid durius ipso:
Succubuit regnis trux tamen ille tuis.
Qui prius indomitus tibi tela necemq́; parabat,
Nonne dedit uictas in tua uincla manus?
Mars deus armorum nobis se dedidit ultro, Cupido.
Ipse nec impositum ferre grauatur onus.
At quoties oculis me conspicit improba Pallas,
Quas iracundo non iacit ore minas?
Quam gerit horrendam magna ui concutit hastam:
Taliaq́; insano dicta furore refert.
Ne mihi tela puer, mihi ne puer arma mineris:
Erras, haudquaquàm nos tua turba sumus.

*Si tamen accedes, nec me ſinis eſſe quietam,*
*Noſtra tibi ſæuas afferet ira manus.*
*Aut ego te pedibus rapiens ad tartara mittam,*
*Aut tibi transfiget lancea noſtra latus.*
*Hoc pater ipſe Deûm cuius ſum uertice nata,*
*Iuppiter: hoc Erebi Rex mihi teſtis erit.*
*Tales quando refert irato pectore uoces,*
*E manibus nobis tela faceſq́; cadunt.*
*Præterea anguicomæ geſtat caput illa Meduſæ,*
*Cuius ad aſpectum lumina noſtra pauent.*
*Hoc ubi prætendit, fugio ceu cerua leonem,*
*Aut fugit infeſtum territa dama lupum.*
*Venus.* *Siccine tu metuis conterrritus ægide diuam?*
*Magnanimi curas qui Iouis arma nihil.*
*At quoq; contemnunt quare tua ſpicula Muſæ?*
*Imperiumq́; fugit turba nouena tuum?*
*Num galeas uibrant etiam, aut haſtilia torquent,*
*Dira ue prætendunt Gorgonis ora tibi?*
*Cupido.* *Aonides uultu ſunt, ô Cytherea, pudico:*
*Vnice & illarum numina ſancta colo,*
*Artibus hæ ſemper, ſtudijsq́; tenentur honeſtis,*
*Iuris in his igitur nil meus ignis habet.*
*Cantibus inuigilant, ducuntq́; per arua choreas:*
*Luxuria uero deſidiaq́; uacant.*
*Adde quod illarum captus dulcedine uocis*
*Sæpe uoluptates, gaudia ſæpe fero.*
*Venus.* *Deniq; caſta manet quare Dictinna, nec ullum*
*Vulnus habet iaculis ſaucia facta tuis?*

*In nullo*

In nullo manet illa loco, cursúq; pererrans Cupido.
Omnia, conatus effugit illa meos.
Nunc iuga montis adit, curuis nunc uallibus errat,
Aut nemorum saltus irrequieta tenet.
Nunc ibi ueloces sequitur per deuia ceruos,
Subdola nunc alibi retia tendit apris:
Suspensúmq; humeris arcum gestatq; pharetram,
Armat & illius cuspidis hasta manum.
Hæc, super Aonio cœtu, castisq; deabus,
Arcitenens matri uerba Cupido dedit.
Quisquis at insani uitare Cupidinis arcum,
Ignibus & uacuum pectus habere cupit,
Numina Pieridum, uenatricémue Dianam,
Aut colat armigeram Pallada: tutus erit.

## EPITAPHIVM MAGDALEnæ, filiæ Georgij Ducis Saxoniæ, coniugis Ioachimi II. Marchionis Brandeburgensis.

Hospes ad hoc uenies casu quicũq; sepulchrum,
Quæ fuerint uitæ perlege fata meæ.
Ipsa sub hac capio quæ mole sepulta quietem,
Marchiaci quondam principis uxor eram:
Et uetus à magnis ducibus genus orta trahebam,
Protegitur quorum Saxona terra manu.
Acer erat bello genitor meus: acrior armis
Aspera cum Phrysijs prælia fecit auus:

Cæſareumq; ſua iuuenem uirtute redemit,
Is cum Brugi tua captus in urbe fuit.
Nec minus illuſtris materno glorior ortu:
Mater Sarmatici filia regis erat,
Sæpe rebellantes cuius uictoria Moſcos
Compulit impoſito ſubdere colla iugo.
Vix egreſſa fui ſextæ trieteridis annos,
Quo domino nupſi tempore ſponſa meo.
Hoc ſine labe duo cum coniuge luſtra peregi
Legitimi ſeruans fœdera caſta tori.
Quinq; mares, formaq; duas præſtante puellas
Ex ipſa coniunx me pariente tulit.
Quin & in hoc numero natos enixa gemellos,
Gloria fœcundæ rara parentis eram.
Qui ſuperant, columen regni dominosq; futuros,
Hos precor ut ſeruent numina ſumma patri.
Viuaq; ſinceræ cultum pietatis amabam,
In te ſpesq; meæ Chriſte ſalutis erat:
Cuius ut in gremio nunc morte ſoluta quieſcam,
Summa animi ſemper uota fuêre mei.
Concedes igitur cœleſtis munere uitæ,
Vt poßim tecum maxime Chriſte frui.

## EPITAPHIVM IOANnis Carionis.

HAec tibi poſt obitũ ſtatui monimenta Sabinus,
Nominis ut uiuat Cario fama tui:

Hiſtoriæ

Historiæ quamuis extant operumq́; tuorum
Multa uetustatem quæ monimenta ferent.
Cum tuus æthereos animus conceperat ignes,
Thestorides nostri temporis alter eras:
Sæpe graues belli motus instare canebas,
Veraq́; fatidico pectore uerba dabas.
Florida languescent, dicebas, lilia Galli:
Sentiet hostiles captaq́; Roma manus.
Gallus ab Augusto magni Iouis alite uictus:
Roma triumphato præsule capta fuit.
Et procul à scythico uentura Borysthene nobis
Agmina Turcarum uaticinatus eras:
Pannona uastarunt uicinaq́; regna Tomitæ:
Omnia sunt nostris cognita uera malis.
Sed tibi propterea ruperunt stamina parcæ,
Funere sublatum teq́; dedere neci,
His maiora latent quæ nos arcana futuri,
Inditio fierent ne manifesta tuo.
Non tamen Elisijs in uallibus umbra uagaris,
Nec te cæca nigri regia Ditis habet:
Quæ prius ipse tua scrutari mente solebas,
Lucida sub pedibus conspicis astra tuis.

## EPITAPHIVM ALberti Turci.

QVisquis ad hoc elego signatum carmine marmor,
Deplorata gemens corpora, tendis iter:

Sic tibi longa neant ducentes ſtamina parcæ,
Ne pigeat uitæ diſcere fata meæ.
Chriſtophori claro genitoris ſanguine Turci
Cretus eram, ſummi quem coluere duces.
Dictus ab Alberto ducebam præſule nomen,
Magnificas huius qui tenet urbis opes.
Is me luſtrauit perfuſum rore ſalutis:
Gaudebatq; mei compater eſſe patris.
Qui tenet Henricus Brunonis mœnia princeps,
Me quoq; de ſacræ fonte leuauit aquæ.
Aequaſſem uirtute meum famaq; parentem,
Si conceſſa mihi debita uita foret.
Sed mea ruperunt fatales penſa ſorores,
Ingreſſus uitæ uix ubi limen eram.
Nona, ſequebatur læti quæ gaudia partus,
Triſtibus exequijs lux fuit atra meis.
Ne uixiſſe tamen me poſtera neſciat ætas,
Inuida quem fato mors properante tulit:
Mœſta mihi ſtatuit pater hæc monimenta ſepulto,
Omnibus ut uiuat nomen in ore meum.

## EPITAPHIVM ILLVSTRISſimi Principis Ioachimi I. Electoris Marchionis Brandeburgenſis.

HIc Ioachime tui ſita corporis oſſa quieſcunt
Marchio, qui primus nominis huius erat.

Nullus

Nullus in imperio fuit obſeruantior æqui:
Nec patriæ rexit mitior alter opes.
Sanguine cum paſcant animos & cæde Tyranni,
Quos fera plus hominum bella ſalute iuuant:
Publica tranquillæ tu commoda pacis amaſti,
Nulla tuo ſtrages edita marte fuit.
Cum tamen ulciſci tua dextera debuit hoſtem,
Acer eras: quanquam bella peroſus eras.
Autor es, infeſti quod non timet arma latronis,
Per tua qui carpit regna uiator iter:
Nam conſueta diu prædis ac uiuere rapto
Te graue ſupplicium uindice turba dedit.
Quin etiam facundus eras: Germania nouit,
Eloquij fuerit gratia quanta tui.
Neſtoris es linguæ dulcedine nomen adeptus,
Vt tuus Aeacidæ nomen Achillis auus.
Marchia, Cæſareis te legibus auſpice gaudens,
Suſtulit è patrio barbara iura foro.
Gymnaſiumq; recens fundaſti, docta iuuentus
In quo pieridum dulcia plectra mouet.
Ergo prius Sueuus mutabit & Odera curſum,
Per tua qui liquidis regna feruntur aquis:
Cœruleusq; retro ſua cornua flectet Hauelus,
Quàm uirtutis erit fama ſepulta tuæ.
At pia nunc animæ concedat gaudia Chriſtus,
Qui tibi confugium ſpesq; ſalutis erat.

# EPITAPHIVM EIVSDEM

*Authore Matthia Illyrico.*

Ἐνθάδ' ὁ Μαρχιόνων πρῶτον κληθεὶς Ἰωαχῖμος
Κοιμᾶται, τὸ ἑὸν κάλλιπε σῶμα θανών.
Αὐτὰρ ἐς οὐρανίους αὐτὸς κενεῶνας ἀπῆλθε,
Κεῖθι παρεζόμενος ταῖς θαλίῃσι θεῶν.
Ἀλλὰ μαθεῖν ποθέεις, τοῦ εἵνεκα, ἤτι ποθ' ἔρξας
Ἀΐδιον μακάρων τοῖον ἔκυρσε γέρας:
Τοὔνεκα εὐσεβέως θεοῦ φιλέεσκεν ἐφετμὰς,
Καὶ διὰ παντὸς ἑῇς φρεσὶ πέποιθε θεῷ.
Τοὔνεκα εὐνομίαν πρόφρων, νέμεσίν τε τίεσκε
Πᾶσι δίκαια νέμων, οὔποτε δωροφάγος.
Εἰσὶ καὶ ἄλλ' ἀρεταί, ταῖς γὰρ θνητοῖσι κέκασο,
Ἐκ πολλῶν δ' ὀλίγους σύνθεο τάσδε νόῳ.
Ἦν ἀγανὸς κάρτα, πραπίδεσσι καὶ αἴσιμα εἰδώς,
Ὧν κρατέων λαῶν ἤπιος ὥστε πατὴρ
Οὔποτε χειροδίκης, οὐθ' αἵματι χεῖρα μιαίνων,
Οὐδέ τιν' ἀνστήσας τοῦ κακόχαρτον ἔριν,
Ἀλλὰ δίκης ἐράσας καὶ εἰρήνης ἐρατεινῆς,
Τοὺς σφέας ἀσφαλέει ἀμφίεπ' ἀγλαΐῃ.
Οὐ μὴν τ' αὖ βρομέων ὡς ἀπτόλεμος καὶ ἄκικυς,
Αἴ ποτε δυσμενέων ὕβρις ἄασε κακή.
Αὐτὰρ ἐσάντα ἰὼν, τίσων κρατερόφρονι θυμῷ
Ἀνστορέσας κεφαλὰς ἤρετο εὐρὺ κλέος,
Τῷ καὶ ἐξελάσας χώρης δηλήμονας ἄνδρας,
Ἀτρομέως ἀνά μιν θῆκεν ὁδοπορίαν.

Ἔσκε καὶ ἡδυεπὴς, μάλα τε πεπνυμένα βάζε
  Αὐδάζων λιγυρῶς πᾶν κατὰ μοῖραν ἔπος.
Νέστορα λέξειας γ᾽, εὖτ᾽ αὖ γηρύοιτ᾽ ἐπακούσαις,
  Ἡδὺ μάλ᾽ ἐξεχέειν νέκταρ ἀπὸ στόματος.
Καὶ γὰρ ἔην περὶ μὲν βουλῇ περὶ καὶ ἀγορεύειν,
  Καὶ φρεσὶ χρῆτ᾽ αἰεὶ πευκαλίμῃσιν ὄχα.
Τοῦτ᾽ ἔγνων βασιλεῖς, ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
  Τοί μιν, ἕως ἤυδα, ὡς θεὸν, εἰσορόων.
Ἦν δὲ τ᾽ ὀρθονομῶν, ὅτε καὶ ἐξῶσε θέμιστας
  Βαρβαρικὰς, εἰσαγὼν Καίσαρος αὖτε νόμους.
Καὶ μουσῶν αὐτῷ ἱροὶ φίλοι ἦσαν ἀγῶνες,
  Τοὔνεκα δὴ τάων ναὸν ἔρεισε κλυτόν.
Ἔνθα καθεζόμεναι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσαι,
  Θέλγεσκον κραδίην τε φρένας ἠιθέων.
Ὁππόθε μὲν γλῶσσάν τε νόον τε κεκασμένοι ἄν=
  Ὡς ἐκ δουρατέου ἐξεθόρεον λόχου. (δρες
Τῶν τοίουν ἕνεκεν δοιὰς ζωῆς λάχε μοίρας,
  Ἀμφὰς, θνητὸς ἐὼν, εἰς ἀεὶ ἀθανάτους.
Ἔνθα μὲν εὐκλεέη διάγων ἐπ᾽ ἀπείρονα γαῖαν,
  Εἰσόκε τοι βίαδρος τυγχάνει ἱκμάδ᾽ ἔχων.
Κεῖθι δὲ ἀενάως θεὸν ἀντιτύποισιν ὀπωπαῖς
  Ἀθρήσας ἐτεῶς ζήσετ᾽ ἐν εὐφροσύνῃ.
Οὕτω τε παρεὼν καὶ οὐ παρεὼν ἔτι μᾶλλον
  Ζώει ἐνὶ Χριστῷ, εἰς ὃν ἔολπεν ἀεί.

GEOR=

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEgiarum, Liber quintus.

## ROMA A CAESARE Carolo V. capta.

VRbs ego, quæ genui præſtãtes marte Quirites
  Iuraq; ſceptrigeris regibus ante dedi:
Imperio cuius terrarum paruit orbis,
  Quicquid & æthereo ſub Ioue mundus habet:
Me miſeram, duris quam nunc exercita fatis,
  Damna ſub indigna conditione fero.
Multa diu fuerim cum paſſa miſerrima rerum,
  Flebilis eſt poſtquam ſors mea facta ſemel:
Heu quoq; Cæſareos auxi captiua triumphos,
  Ne pars ulla meis poßit abeſſe malis.
Cum ſubit infelix igitur mihi lucis imago,
  Hunc miſeræ caſum quæ mihi prima tulit:
Cum repeto tempus, quo triſtia uincula nobis
  Marte triumphantes impoſuere manus:
Tunc ego diſtineor gemitu, tunc ſqualida ſemper
  Noſtra repentinis imbribus ora madent.
Iunxerat Auſonius cum Gallo fœdera Præſul,
  Cæſaris ut Latio pelleret arma ſolo:

Præſul,

Præsul, cui tribuit falsum clementia nomen:
Is mihi funestæ cladis origo fuit.
Iamq; dies aderat Maijs uicina Calendis,
Pompa coronatis qua solet ire comis,
Annua quæ ueteris celebrat solennia Floræ:
Hac ego ducebam gaudia læta die:
Omnis eram secura mali, cum nuntia belli
Ecce uolans penna præpete fama uenit,
Cæsareoq; refert compleri milite fines:
Ocyus & Romam marte furente peti.
Improba quæ pauidas ut uox mihi contigit aures,
Nullus in exanimi pectore sensus erat:
Haud secus obstupui, quàm proditus ansere quondam
Cum Capitolina Gallus in arce fuit:
Aut ubi nubiferas conscendens Hannibal alpes,
Terruit aduentu mœnia nostra suo.
Nec spacium, nec uis belli fuit ulla parandi:
Spe citius tanti uenerat hora mali.
Non mihi miles erat, non armis apta iuuentus:
Nanq; potens non sum martis, ut ante fui.
Alloquor externos confestim tristis amicos:
Vix tulit è multis unus & alter opem.
Fida mihi duris Florentia cognita rebus,
Non poterat fati certior esse mei.
Nec cito suppetias mihi Gallia ferre, nec armis
Adriacus poterat miles adesse suis.
Quocunq; aspiceres, ciues terrore pauebant:
Omnia plena metus, plena doloris erant.

Tristia

Tristia mœrentes edunt lamenta puellæ,
Fœmineus tota plangor in urbe sonat.
Grandæuiq; senes euellunt uertice canos,
Infortunatos seq; suosq; uocant:
Nec non Pontificem simul execrantur, & omnes
Fœdera cum Gallo quos iniisse iuuat.
Iamq; mihi trepidam mentem spes ne qua leuaret,
Addita res fatis prodigiosa meis:
Quæ uelut hæc inter mihi sæua pericula belli,
Improuisa noui caussa pauoris erat.
Nanq; grauis tanto belli flagrante tumultu,
Plebs dum sollicito flétq; dolétq; metu:
Qualis Apollineo correptus numine Python,
Irruit in medium uir sine mente forum.
Incola Baptistam cognomine turba uocabat:
Pauper hic Albani montis alumnus erat.
Me miserã, dixi, quid & hæc mihi monstra minantur?
Parcite tam diri conscia fata mali.
Forma horrenda illi, pallens sine sanguine uultus,
Marmor ut in Pariis montibus esse solet.
Ardentes oculi tremulo fulgore micabant,
In liquidis tanquam luna refulget aquis.
Denique fatidico cum numine concitus esset,
Afflatúsque sacro Phœbe furore tuo:
Bis caput attollens, bis ad ardua sydera palmas,
Terruit indigno méque meósque sono.
Atq; ita, uæ miseræ, uæ quám tibi flebilis adsum
Nuntius immensi Roma doloris, ait.

Gens

Gens inimica uenit, uenit huc effrena iuuentus,
Nescio quid nobis illa minata mali.
Hæc tibi: sed quid ego patriæ sum tristis aruspex?
Imminet heu fatis magna ruina tuis.
Sextus ab Eois consurgens Lucifer undis,
Protulerit Phœbo cum redeunte diem,
Quantus erit gemitus, cædes ô quanta tuorum?
Quantaq́; crudeli damna sub hoste feres?
Cladibus insignes mirari desine Cannas,
Ad Trebiam bello desine uicta queri:
Pugnaq́; feralis cedat Thrasimenia: cedat
Quæ grauis in fastis Allia nomen habet.
Lux uentura tibi tantum dabit illa malorum,
Præterito quantum tempore nulla dedit.
Hæc & plura, mihi lachrymis referebat obortis,
Cognita non leuibus postmodo uera malis.
Tunc demum trepidare magis miserabile uulgus,
Acer & augeri cœpit in urbe metus:
Tunc ego flauentes rupi de fronte capillos,
Turritum gemitu concutiente caput?
Mæstaq́; sublatis percußi pectora palmis,
Et prece cœlicolas sum uenerata Deos,
Irrita uesani facerent oracula uatis,
Aeolijsq́; darent ista ferenda notis.
At mea uota nihil (neque enim mutabile fatum
Hoc erat) ad superos nil ualuere preces.
Ergo sexta suos postquam produxerat ortus,
Illa secutura clade nefanda dies,

Ecce

Ecce propinquabat Romani præsulis hostis,
Sic uir ut ille mihi uaticinatus erat,
Cumq; omni populo sua castra mouebat ad urbem,
Heu multis miseram castra datura necem.
Tempus erat rutilo quo primum frigida cœlo
Nox abit, ac uitreo rore madescit humus:
Quo nitidum scandens Hyperione natus Olympum,
Candida luciferis sydera pellit equis:
Tristis ad æthereum solis iubar ora leuabam,
Sol oculis iterum te ne uidebo meis?
Conspexi longè fulgentibus obuia telis,
Agmina, per latas approperare uias.
Protinus exoritur clamor, clangorq; tubarum,
Raucaq; taurorum tergora pulsa fremunt.
Turba ruunt, murosq; petunt, ferrumq; capessunt,
Summus ubiq; timor, summus ubiq; pauor.
Regis ut Hippotadæ luctantibus insula uentis
Nutat, & æquoreo mota tridente tremit:
Sic mea præ magna formidine membra uideres,
Instantisq; mali contremuisse metu.
Ardua ducit iter per mollem semita cliuum,
Vnde procul cerni mœnia nostra queunt.
Hinc contemplatus Borbonius aspicit urbem,
Sub duce quo totum Cæsaris agmen erat.
Is satus antiquo Gallorum sanguine regum,
Natali sed erat pulsus & exul humo,
Pontificisq; flagrans odio huc adduxerat agmen:
Efferus Aeneadum uidit ut ergo domos,

Instar

Instar cristati caput altaq; colla draconis
Tollit, & intorquens lumina, bile tumet,
Déq; iugi tergo, mihi fanda nefanda minatus,
Ipse maniplares nomine quosq; uocat.
Aspicite has (inquit) sedes, hæc tecta Quirini,
Quicquid in his uestrum, si capientur, erit.
Illic Pontificis Gazas, & habebitis amplas,
Turba Sacerdotum quas cumulauit, opes.
Quin & posteritas, æternaq; fama loquetur,
Non minus audaces uos habuisse manus,
Quàm ueteres illos Celtas, quos principe Brenno
Romuleos aiunt diripuisse lares.
His dictis rabies, prædæq; nefanda cupido,
Quæ stimulis mentes excitat, aucta fuit.
Iámq; emensus iter, nec longius hostis ab urbe,
Quàm bombarda globo mittere posset, erat.
Apparet densis acies instructa cateruis,
Armatisque uiris ferreus horret ager.
Florida quàm multæ per rura uidentur aristæ,
Aureus æthereis cum Leo feruet equis:
Quàm tumido multi uoluuntur in æquore fluctus,
Oceani liquidas cum subit Hœdus aquas:
Ante meos oculos, tot tela, tot arma uidebam,
Ciuibus exitium triste minata meis.
Tandem missus adest præco, qui mœnia dedam
Imperat: hæcq; mihi iussa superba refert.
Cæsareum qui ductor agit Borbonius agmen,
Te sibi portarum pandere claustra iubet.

Huius nolueris si iussa facessere, sæui
Militis hostili diripiere manu.
Quid faciam? summus recludere mœnia præsul,
Dum timet offensi Cæsaris arma, uetat:
Acer & hortatur ciues, ut marte resistant,
Ac perferre prius tristia quæq; uelint,
Quàm uictas præbere manus, quàm pandere portas
Hostibus: & firmam destituisse fidem.
Interea cœlum nebulis obducitur atris,
Quas exhalabat mane palustris aqua:
Mœstáq; conspicuos ne Sol in funera uultus
Præbeat, obscura nube recondit equos.
Admouet extemplo Borbonius agmina muris,
Vt nebulæ tenebris eripuere diem:
Inter & arma fremit, qualis cum tecta ferarum
Lustrat, terribili rugit & ore, leo.
Appositis illos conscendere mœnia scalis,
Hos iubet audaci frangere claustra manu.
Illico tormentis muralibus intonat æther,
Teláq; brumali grandine plura cadunt.
Tollitur immensus per propugnacula clamor,
Vox & ab hostili missa cohorte redit:
Nube sub aëria qualem clangoribus edunt,
Quæ cum Pygmeis belligerantur aues.
Murus erat long consumtus temporis æuo,
Porta triumphalis quo fuit ante loco.
Hunc Tartessiacis legio quæ uenerat oris,
Gens & Aragonio sanguine creta, subit:

Et celeri

*Et celeri cursu, pauidæ formidinis expers,*
*Emicat, in prædæ spémq; uocata ruit.*
*Aeneadæ contra propugnant mœnia: torquent*
*Non profectura, spicula, saxa, manu:*
*Dúmq; licet, totis arcent conatibus hostem:*
*Omni, qua possunt, seq; tuentur ope.*
*Haud secus, ac quando solet oppugnare carinam,*
*Sæua procellosi fluctibus ira maris:*
*Nautica turba latus munit, fluctúsque refundit,*
*Et rabidis uentis turgida uela negat,*
*Donec ad extremum uictricibus occupat undis*
*Impetus, & captam mergit in ima ratem.*
*At ferus Hispanæ Borbonius agmina gentis,*
*Dum monet, ac segnes increpat ore moras,*
*Atq; per infandam stragem, per cædis aceruos,*
*Acrius inferri bellica signa iubet:*
*Ictus glande cadit, quam sulfure machina belli,*
*Impulit, ex altis eiaculata iugis:*
*Traiectoq; necem tulit inguine: uictor acerbo*
*Perciperet luctu gaudia nequa meo.*
*Gaudebam cecidisse caput: rebárq; perempto*
*Iam duce, confestim signa datura fugam:*
*Sed mihi læta malo fuit hæc damnóq; uoluptas,*
*Spémque fefellerunt fata maligna meam.*
*Nam ducis interitum pugnax ubi uidit Iberus,*
*Omnibus inceptum uiribus urget opus,*
*Vindictámq; parat, nec tela minantia quicquam*
*Exhorrescit: iter sed furibundus agit,*

Perruptóq; omni munimine densus inundat,
Totáq; crudeli mœnia cæde replet.
Non sic aggeribus uiolento gurgite ruptis
Per Lygurum fertur spumeus arua Padus,
Inuoluitq; rapax armenta, trahitq; rotatas
Vorticibus syluas, & sata sternit aquis.
Teutonis interea legio non segnius urbem
Occupat, atq; alia prælia parte facit,
Qua noua surgebant alti fastigia muri,
Stabat & Aeneadum qua glomerata manus.
Nunc quibus infelix lachrymis, quo funera fletu
Prosequar? hostili funera facta manu.
Non si plura mihi cum linguis pluribus essent
Ora, queam strages enumerare meas.
Multa trucidantur scelerato millia ferro:
Haud remanet uacuus cædis in urbe locus.
Patricij cum plebe simul discrimine nullo,
Integra decrepito cum sene turba cadit.
Nec sacrata Deo quenquam delubra tuentur:
Hæc quoq; funesta sunt uiolata manu.
Strata cadaueribus populi fœdóq; cruore,
Area templorum, ceu laniena madet.
Poplite procumbens iugulatur Clerus ad aras,
Vos adeo nulli templa tulistis opem.
O scelus infandumq; nefas, quis barbarus unquam
Sanguine sacrata tinxit in æde manus?
Inclyta belligeri Germania filia martis,
Insolita hæc feritas gentibus unde tuis?

Olim

Olim cum Totilas simili mea cæde replebat
    Mœnia, templorum limen, asylon erat.
Territus in sacram quisquis confugerat ædem,
    Sacri tutus erat relligione loci.
Nemo profanabat delubra cruore, nec aras:
    Miles quippe tuus mitior ante fuit.
At quid sæuitiam Germanorumq; furorem,
    Ceu non sæuierit cætera turba, queror?
Cæsaris implebant Latiæ quoq; castra cohortes
    Aequabant animi quæ feritate Scythas.
Primus in his ductor Gonzaga, Columnius alter,
    Terribili dictus nomine Sarra, fuit.
Hi duo marte truces, similésque frementibus ursis,
    Quos stimulat rabies improba uentris, eunt:
Septimijq; petunt dictam cognomine portam,
    Qua sub Ianiculo mœnia colle iacent:
Illatisque illuc signis, fora cæde cruentant:
    Nullibi funestæ maior imago necis.
Inde replent largo Xystinum sanguine pontem:
    Sanguinis incursu Tybridis unda rubet.
Tybri quid infestis es passus ab hostibus unquam
    Tristius? heu quantum sanguinis amne uehis.
Non sic Iliaca funestus clade Scamander,
    Diri quando manus sensit Achillis, erat.
Ipse cruentato tot funera gurgite uoluis,
    Vt tibi penè tuum præpediatur iter.
Iam sed luciferum currum, Phœbique iugales,
    Doris Atlantea suscipiebat aqua:

Spissa reducebat telluris & umbra tenebras,
His finem tantis impositura malis.
Post tot enim cædes sub noctem solis ab ortu,
Spes erat extinctam sanguinis esse sitim.
Non minus ira tamen sæuitque licentia ferri,
In multam rursus continuata diem.
Tum quaßi euulso procumbunt cardine postes,
Frangitur excußis ianua clausa seris:
Illatæq; faces tectis incendia præbent:
Mars rigido ferro, Mulciber igne furit.
Pérq; domos fiunt incensaq; limina cædes,
Restinguenda uelut sanguine flamma foret.
Hic herus in medijs prosternitur ædibus, illic
Oppetit ante sui filius ora patris.
Deniq; ut ad prædam conuersæ à cæde cohortes,
Certatim spoliant, atria, templa, domos.
Dirripiuntur opes: tota nihil urbe relictum:
Omnia quæ tenui, barbarus hostis habet.
Talis erat facies & mœstæ noctis imago,
Pergama Durateo cum caperentur equo.
Me uerò non sic argenti præda nec auri,
Totáq; per noctem facta rapina mouet,
Vt miseranda dolet ueterum iactura librorum,
Hei mihi sacrilegæ quas rapuere manus.
Quisquis es, immitis te Gnosius arbiter Orci,
Puniat ardenti sub Phlegetontis aqua,
Cuius prima manus scelus hoc conata nefandum,
Ausaq; musarum perdere dona fuit.

Turpia

*Turpia prætereo castis illata puellis*
*Stupra, uerecundo non referenda sono.*
*Prætereo tormenta, quibus captiua iuuentus,*
*Cúmq; uiro coniunx excruciata fuit:*
*Vt proferret inops, & auaro traderet hosti,*
*Sicubi defossas occuluisset opes.*
*Ipsa recluduntur quoq; busta cupidine prædæ:*
*Tuta sepulchrorum nec monumenta manent.*
*Iulius eruitur tumulo, qui nominis huius*
*Alter, Apostolica sede potitus erat:*
*Eius & articulis est aureus orbis ademptus,*
*In quo gemma tamen non preciosa fuit.*
*Forte sed acciderit quid in ista clade requiras*
*Pontifici: tanti qui mihi caussa mali.*
*Præsul ubi captam perterritus audijt urbem,*
*Et rigido paßim funera marte dari:*
*E Vaticano properé confugit in arcem,*
*Quæ stat munito non capienda loco.*
*Huc quoq; Cardinei patres formidine mortis*
*Fugêre, & uitæ consuluere suæ.*
*Verum dura tamen senserunt uulnera cladis,*
*Omnibus exuti quæ tenuere bonis.*
*Iamq; rubescenti genitrix ubi Memnonis ortu*
*Surgeret, arx denso milite cincta fuit.*
*Arx munita quidem, sed nulla siliginis illic,*
*Nulláq; triticei copia farris erat.*
*Ergo nec potuit, quanquam tutißima foßis,*
*Longa ferre graues obsidione moras.*

 Vix

Vix ubi plena ſemel Phœbe luſtrauerat orbem,
Præſule deditio facta iubente fuit.
Eloquar? an taceam diris conuitia linguis
Quæ tum clauigero facta fuere patri?
Poſtquam marte furens, ſcriptisq; imbuta malignis,
Conſtitit in capta Teutonis arce cohors,
Ecce quatit riſu caput, oráq; ſoluit amaris
Vocibus: hósq; refert ludificata iocos:
Alme pater ſalue: tua nunc ubi clauis? Olympum
Diceris, ac Stygias qua reſerare fores.
Illud ubi nunc fulmen habes? conterruit olim
Imperij ſummos quo tua dextra duces.
Quàm bene conſuluit cœleſti Chriſtus ouili,
Ipſe ſuas cum te iuſsit obire uices?
Per te quippe ſata eſt omnis diſcordia, per te
Chriſticolæ nulla pace fruuntur oues.
Tu funeſta trucis iecisti ſemina belli,
Quo nunc Italiæ flagrat & ardet humus.
Te ſuadente ferox bis rupit fœdera Gallus,
Sæua bis offenſo mouit & arma Deo.
Has tibi poſtremo clades, hæc uulnera debet,
Plena cadaueribus quæ modo Roma iacet.
I nunc téq; Dei ſummum refer eſſe miniſtrum:
Fungeris egregiè munere nempe tuo.
Talibus inſultat dictis Germanica pubes,
Pontificem qua tunc mente fuiſſe putas?
Inde loco anguſto cuſtodia ſuſcipit illum,
Cuius in arbitrio cuncta fuere prius:

Sollici-

Sollicitóq; datur princeps in carcere, cuius
Regia maiestas procidit ante pedes.
Nec tamen ista satis, sed adhuc maiora coactus
Subsannante pati milite sæpe fuit.
Nanq; die medio, post lautæ gaudia mensæ,
Incaluit quoties Teutona turba mero:
Gestabatur iners lectica miles eburna,
Vestibus utq; sacer præsul amictus erat.
Binis ille crucem digitis cum pollice iunctis
Signabat, Latius quo Papa more solet.
Plurima stipabat lecticam turba clientum,
Ludicra quáq; suum pompa tenebat iter
Vociferabantur uiles per compita lixæ,
Igne tuos hostes nunc Papa dede neci.
Erexere etiam furcas pendentibus aptas
Furibus, in campo Flora uetusta tuo:
Plurima cumq; forent auri numeranda talenta,
Ipse nec in promtu præsul haberet opes,
Cardineos traxere senes huc compede uinctos,
Supplicij miseros excruciante metu:
Et placata trucis nisi militis ira fuisset,
His deformis erat mors obeunda uiris.
Singula quid referam? nil non immane peregit,
Impius effrenæ gentis in urbe furor.
Aduena quot Tybris limosas uoluit arenas,
Quot sub Auentino gramina colle uirent,
Tot mala pertulimus: quæ si narrare liberet,
Longior hac nostra nulla querela foret.

At quibus offendi cœlestia numina rebus,
In caput ut rueret tanta procella meum?
Scilicet hoc merui, claris ubi fœta triumphis,
Asserui ualida iúsq; piumq; manu?
Astrinxiq; feros homines ubi legibus æquis?
Imposito domuit quos mea dextra iugo:
Cúmq; bonas artes mihi propagare per orbem,
Curáq; mortales erudiisse fuit?
Ergo ego terrarum uictrix, tot regna subegi?
Tantáq; difficili bella labore tuli?
Ac tot inhumanas docui mansuescere gentes,
Iusticia, studio, relligione, fide?
Talia pro meritis ut deniq; præmia ferrem?
Nulla quibus tribui deteriora queant.
O utinam, si me tam tristia fata manebant,
Auspice te nunquam Romule structa forem:
Aut æquata solo, disiectáq; funditus essem,
Igne meas ussit rex ubi Brennus opes:
Tota uel excisis iacuissem diruta tectis,
Cum tulit in nostrum Vandalus arma caput.
Felicem Priami, quam tellus occulit, urbem,
Densáq; permixtis uepribus herba tegit.
Vos & Agenorei felicia mœnia Cadmi,
Quæ modo conuellens uomere taurus arat.
Illa ego sum, belli quæ tot perculsa procellis
Spiro, nec extingui marte furente queo.
Illa ego sum, nullo quæ possum funere mergi,
Iam quamuis iaceam semisepulta diu:

Vtq; iecur Tityi nunquam perit, atq; renascens
Semper, ab aßidua dilaniatur aue,
Sic ego perpetuos cogor sufferre dolores,
Interitus hora non ueniente mei.
Vos tamen ô superi, nostræ miserescite sortis,
Si precibus flecti numina uestra queunt:
Hánc q; mihi factam crudeli uulnere cladem,
Hostis mortifera clade piate mei.
Militibus precor his letalem immittite pestem,
Quorum sacrilega sum modo capta manu:
Ne reduces uideant patriam, lætiq; triumphent
De nobis: sed in hac emoriantur humo:
Vt periere truces Galli, de nomine quorum
Nomen adhuc etiam Gallica busta tenent.
Aut funesta lues quos non demiserit Orco,
Hos feriant cœlo fulmina missa, precor.
Si luit Argolicus pœnas exercitus olim,
Ictus terrifico fulmine, mersus aqua,
Vnius ob furias Aiacis, dextera cuius
Fecerat in sacra Palladis æde scelus:
Fulmine num pereant? qui tot delubra, tot aras,
Ausi sanguinea sunt temerare manu?
At tu bellipotens & felicißime Cæsar,
Nostra tuo uictor qui pede colla premis:
Tu mihi sis oro placabilis, armáq; condas,
Mille quibus plagas, uulnera mille tuli.
Vtq; suo uulnus quod Achilles fecerat hosti,
Auxilio rursus leniit ipse suo:

Sic tu,

*Sic tu, magnanimo quem uirtus æquat* Achilli,
*Nobis auxilium uulneris oro feras.*
*Non incuso tuam, qua fortiter usus es, iram:*
*Nam tua iusta quidem iudice caussa* Deo est:
*Sed de sæuitia queror, illorumq; furore,*
*Iniussu qui me diripuere tuo.*
*Nec dubito, capta si præsens urbe fuisses,*
*Ipse mei motus quin pietate fores:*
*Non ita uastari siuisses ignibus urbem,*
*Augusti titulum Cæsaris unde geris:*
*Ipse repressurus truculenti militis iram,*
*Et moderaturus frena furoris eras.*
*Ingenio nam te placido natura creauit:*
*Ac tuus hanc laudem sanguis auitus habet,*
*Quod sit ab* Hectoreis *deductus origine* Francis,
*E quibus immiti pectore nemo fuit.*
*Per superos igitur, quibus aspirantibus urbem*
*Ipse subegisti Carole diue meam:*
*Per patriam, ueteri natamq; Tuistone gentem,*
*Contulit imperij quæ tibi sceptra sui:*
*Perq; domũ Austriacam, quæ fortibus inclyta factis,*
*Nobile terrarum nomen in orbe gerit:*
*Parce, tuumq; meis excedere mœnibus agmen,*
*Sæuáq; iam tandem ponere tela, iube.*
*Nam prope quarta suum reparauit Cynthia cornu,*
*Dum ferus hac miles ducit in urbe moram:*
*Et miseris plagas sine fine Quiritibus affert,*
*Ausonias nec dum perdere cessat opes:*

Dumq́; mihi notat ungue genas, laceratq́; capillos,
Hasq́; manus, supplex quas tibi tendo, ferit.
Si quid mitis adhuc superest pietatis & æqui,
Eripe me tantis eripe quæso malis.
Sic tuus infringat scelerato cornua Nilo
Rhenus, & Euphratis sub iuga mittat aquas:
Sic Deus extendat totum tua regna per orbem,
Hacq́; diu uitæ det tibi luce frui.

## IN DIEM NATALEM Christi Saluatoris.

## ELEGIA II.

NVnc te uera Dei soboles hominũq́; redemptor
Christe, Palæstina uirgine nate, canam:
Nanq́; dies agitur, quo laudatissima quondam
Te peperit, salua uirginitate parens.
At tua cantabo quibus incunabula uerbis,
Nate Deo: laudes ordiar unde tuas?
Tu patris es uerbum, quod erat, cum nulla fuerunt
Sæcula: cum nondum terra, nec unda fuit:
Atq́; per hoc ipsum sunt omnia condita uerbum,
Teq́; nihil factum non operante fuit.
Lumen es æterno de lumine, ueraq́; uitæ
Lux, sine qua cœli lumina luce carent:
Tu fulgor nec non ipsius imago parentis,
Consimilem qui te gaudet habere sui.

Aequæ

Aequæuúsq; patri cum sis & originis expers,
  Nasceris: arcanum quid magis esse potest?
Nasceris ipse puer, mundi sator, arbiter æui,
  Ante tuæ uitam qui genitricis eras.
Totus & immensi quem non capit ambitus orbis,
  Clausit in angusta te quasi sede caro:
Quæ tamen intactæ matris caro sanguine tantum,
  Nec fuit admixto semine creta uiri.
Verus homo, uerúsq; Deus, consorsq; duorum,
  Tu simul illius nomen & huius habes.
At quæ caussa fuit, cur æthere lapsus ab alto
  Indueres hominis corpus & ossa Deus?
Numinis ipse tui cur maiestate relicta,
  Sponte tot ac tantis subijcerere malis?
O nimium nostros nimium miserate labores:
  Vnica nascendi nos tibi caussa sumus.
Nam tua te bonitas, & nostræ cura salutis,
  E patris eduxit maxime Christe sinu:
Consortémq; Dei suprema in sede morantem,
  Debile te fieri carnis adegit opus.
Quippe reuelares ut inenarrabile uerbum,
  Quo promissa pijs uita salúsq; fuit:
Et, quibus heu Patris iustam commouimus iram,
  Nostra piarentur crimina morte tua.
Natus ob has caussas, totiq; salutifer orbi
  Es datus, & nostras iussus obire uices.
Vtq; dedit casto te uirgo puerpera partu,
  Asperior quauis sors tua sorte fuit.

Non

*Non tepidi Veris, nec aprici contigit anni*
*Tempus, erant acri rura perusta gelu.*
*Tristius horrebat brumali sydere cœlum:*
*Frigore concretam nóxq; tegebat humum.*
*Nec domus excepit te splendida diuite cultu,*
*Sed casa, quæ uili stramine tecta fuit.*
*Hæc eadem uento casa peruia stabat & imbri:*
*Nam paries raro uimine textus erat.*
*Nec molli pluma, sed acuta carice, lectos*
*Sordidus hospitio præbet egente locus.*
*Syderei uero domus aurea plaudit Olympi,*
*Fulgida natali gaudet & æthra tuo:*
*Lux diffusa polo nocturnas dimouet umbras,*
*Ignea quin solito clarius astra micant:*
*Auditi resonant, cœli per inania, cantus*
*Angelicus læto quos dedit ore chorus.*
*Ipse etiam stygius carcer gaudentibus umbris*
*Plaudit, & exultat lætus ouante sono.*
*Salue, nate puer castæ sine labe parentis,*
*Aeterni salue uera propago Dei:*
*Tu nisi sumpsisses humani corporis artus,*
*Nos Phlegetonteæ pœna maneret aquæ.*
*Nec uis Eumenidum sæuiq; potentia Ditis,*
*Fracta: nec horribilis mors superata foret.*
*Iam sumus exempti pœna, diuináq; nobis*
*Gratia, natali conciliata tuo est.*
*Ergo quibus uerbis, & quo tibi carmine grates*
*Humani generis Christe redemptor agam?*

Laus tibi ſit nato, ſit honos, & gloria, ſemper,
Cuius adoptati nos bonitate ſumus,
Rurſus ut æterno regno, uitaq́; fruamur,
Quæ trucis imperio mortis adempta fuit.
Quin itidem Patri ſit honos & gloria, cuius
Munere tu nobis natus es, atq; datus.
Nec non Spiritui ſit honos & gloria Sancto,
Virgine conceptus filius unde Dei es.
Per tua te uerò cunabula, dulcis Ieſu,
Per tua te ſupplex uiſcera ſancta precor,
Si te corde pio colimus, bella impia bella
Diſcute, quæ noſtro tempore mota fremunt:
Aſpice nos propius ſummi patris unica proles,
Daq́; tui nobis agnitione frui.
Et licet hoc grauiter te nos offendimus æuo,
Tu tamen Emanuel, tu bonus eſſe uelis.
Eſt pueris breuis ira bonis placabilis ætas,
Hæc facilè offenſam depoſuiſſe ſolet:
Tu nobis igitur placabilis omnibus eſto,
Quo melior non eſt natus in orbe puer.

AD PHILIPPVM BVCCHEmerum Alberti Cardinalis & Archiepiſcopi Moguntini Medicum.

## ELEGIA III.

Cum

CVm mihi se præstent faciles in carmine Musæ,
Quæ noua sit forsan caussa Philippe rogas:
Cur magis historiæ, quàm carminis, autor, haberi
Posthabito tandem nunc Helicone uelim.
An, quia nulla manent hoc tempore præmia uates:
Me sacri titulum uatis habere pudet?
Non ita: nam dulces amplector, ut ante, Camœnas:
Et plus Aonia me nihil arte iuuat.
At modo plana dedi numeris quod scripta solutis,
Non leuis authoris iussa uerenda sequor.
Scilicet armipotens hoc me Germania uatem
Historico filo texere iußit opus.
Est gelidas inter ualles, lucumq; silentem,
Herbidus ad Viadri rauca fluenta locus:
Hic ego dum sedeo nemoralibus abditus umbris,
Blandaq; consueto carmina more cano:
Ecce gerens frameam dextra, parmamq; sinistra,
Fœmina castrensi uenit amicta sago.
Atq; ita, pone metum: neq; enim, licet arma feramus,
Martia nos tecum bella geremus: ait.
Illa ego sum genitrix magnorum clara uirorum,
Vrbs quibus imperium nunc Tyberina dedit.
Inclyta Teutonicis qui gentibus indidit heros
Nomina, me natus matre Tuisto fuit.
Multa quidem geßi diuersum bella per orbem:
Multaq; sunt armis parta trophæa meis.
Ipsa meos illuc deduxi inuicta colonos,
Qua rapido spumans amne Garumna fluit.

*Ipsa Calidonijs incußi bella Britannis,*
*Anglorumq́; recens nomen habere dedi.*
*Quid loquar Hunnorum durißima regna? quid urbes*
*Hesperias? nostræ quas domuere manus.*
*Hei sed iniqua mihi sors hunc inuidit honorem,*
*Clara uoluminibus ne mea gesta forent.*
*Ec quibus Aeneadum non uiuit gloria chartis?*
*Græcia præcones est quot adepta suos?*
*At mea laude caret uirtus: quia nemo notauit*
*Res, nisi scriptorum barbara turba, meas.*
*Haud tamen indignor, meritis fraudata quod olim*
*Laudibus, & nullo nomine clara fui:*
*Tum populus nostri de stirpe Tuistonis ortus,*
*Nil minus, eloquij quam studiosus, erat.*
*Non sacra Musarum, sed martis castra, colebat,*
*Tempora non doctis artibus ulla dabat.*
*Culta sed hæc postquam studijs effloruit ætas,*
*Quod meritæ careo laudis honore, queror.*
*Nanq; meos quanquam multi nunc inter alumnos,*
*Facundæ docta Palladis arte ualent,*
*Quamuis eloquij præstantem dotibus æquent*
*Cecropium latio cum Cicerone senem:*
*Nullus in his peragit nostræ præconia famæ,*
*Nec patriæ curat facta referre suæ:*
*Tu nisi quod tenero cecinisti carmine nuper*
*Prælia Cæsaribus facta Sabine meis.*
*Ergo per Aonij te fontis amabile nomen:*
*Te per Apollineas, quas colis, oro deas:*

*Vt pa-*

Vt patriæ dignas ad ſydera tollere laudes
Primus, & hiſtorici munus obire, uelis:
Quamuis impariter iunctos deducere uerſus
Aptius, inq; pedes cogere uerba, queas.
Aſpice Pontanum, Sebetida cuius ad undam
Nobilis hiſtoricum Muſa recepit onus:
Nonne ſenis calamo Patauini, bellica ſcripſit
Geſta? licet melior carminis author erat.
Nec tamen immenſa rerum te mole grauabo:
Tantum clara tui temporis acta refer.
Quantas ediderit me Carolus auſpice ſtrages,
Gallica dum regnis expulit arma ſuis:
Egerit & capto quantum de rege triumphum,
Aurea qui clypeo lilia trina gerit:
Vtq; rebellantem Tyberim ſuperarit & Arnum:
Depulerit Libyca uictor ut urbe Scytham:
Duxerit Algeræ quantas ad littora claſſes
Maurus ubi rapido ſole peruſtus agit.
Deniq; quàm celeri uirtute ſubegerit hoſtem,
Freta Sicambrorum quo duce terra fuit.
Hæc precor intexas uicturis geſta libellis:
Teq; ſinas patriæ, quæſo, mouere preces.
Si tamen aut precibus minus, aut pietate moueris,
Acre tibi calcar fama perennis erit.
Nam bene ſi longa de poſteritate merentur,
Condere quos patriæ non piget acta ſuæ:
Hæc, quibus hiſtoriam referes, patriæq; triumphos
Scripta, tibi quantum ſunt paritura decus?

Desierat. cœpi: faciam matrona quod optas:
  Et præstabo libens omne quod ipsa iubes.
Illud enim quanquam nostris est uiribus impar,
  Haud tamen impositum ferre grauabor onus.
Nec meus egregia conatus laude carebit,
  Nam pius est patriæ facta referre labor.
Vix ea fatus eram, per opacæ deuia syluæ,
  In sua bellatrix illico castra redit.
Ergo opus aggrediens, primis exordia cepi
  Rebus, ab extincto Cæsaris huius auo,
Gallus ut ipse sibi desponderit orbis habenas,
  Mortuus imperij cum moderator erat,
Carolus eximia uirtutis & indole princeps,
  Vt sit in Augusta sede locatus aui.
Hæc modo complexi paruo sumus acta libello,
  Cætera quo referam grande uolumen erit.
Vnica nunc rerum tutela Philippe mearum,
  Hoc opus auspicio nominis edo tui,
Qui mihi cum tali sis fœdere iunctus amoris,
  Taurica uix nostram soluat ut ara fidem,
Inter honoratos merito tu primus amicos,
  Ingenij debes munus habere mei.
Hoc igitur læto, quo conuenit, accipe uultu:
  Hoc tibi synceri pignus amoris habe.
Quin & contigerint ubi mollia tempora fandi,
  Fac tuus ut Princeps hæc monimenta legat,
Eius in hoc fiunt etiam præconia scripto,
  Laudatiq; frequens nominis extat honos:

Nempe

Nempe quod is fuerit suffragatoribus author,
Liligero Regi ne sua sceptra darent:
Tradere sed mallent ut Cæsaris illa nepoti,
Teutona ne patrium perderet ora decus.
Quod nisi tam constans ac prouidus ipse fuisset,
Publica res quantis nunc foret aucta malis?
Legibus orba suis Germania, turpiter esset
Iussa sub externi principis ire iugum:
Quiq; feris Scythiæ cum gentibus impia iunxit
Fœdera, Cæsareas Gallus haberet opes.
Ipsius æternas igitur testantia laudes,
Exhibeas illi scripta legenda uelim.
Sic triplices ducant tibi stamina longa sorores,
Sic tua sit felix sospite prole domus:
Sic, alter ueluti Podalirius, arte medendi
Languida mortifera corpora tabe leues.

## IN PEREGRINATIONEM Stanislai à Lasco.

## ELEGIA IIII.

LAscus, Iasoniam cuius celeberrima nauim
Gens, insigne uetus nobilitatis habet,
Heroum similis, quos longa per æquora uexit
Phasidos ad gelidi Pelias arbor aquas,
Non ignaua domi, nec inerti perdita luxu
Ocia, natali duxit agenda solo:

Ipse sed ignotas urbes & regna petiuit,
Quæ procul à patria sede remota iacent.
Arua peregrauit, quæ spumifer alluit Albis,
Quæq; uirens læto palmite Rhenus obit.
Hinc ad liligerum se contulit aduena Regem,
Magnificasq; tuas Sequana uidit opes.
Bellica quin etiam Gallorum signa secutus,
Anguigeri subijt mœnia capta ducis:
Cumq; foret stratus Ticini miles ad urbem
Gallicus, & uersis terga darentur equis,
Non turpem dedit ipse fugam, sed uulnus honestum
Cumq; triumphato uincula rege tulit.
Insubrium uerò cum digrederetur ab oris,
Rursus Aquitanam tum peragrauit humum.
Inde tetendit iter per nubiferam Pyrenen,
Et procul accesit flumen Ibere tuum:
Cuius in herboso riparum margine quondam
Ditia Geryonis pascua Regis erant.
Vidit & extremo semotos orbe Britannos,
Pulsaq; uentoso Danica regna mari.
Te quoq; lustrauit gelido Noruegia cœlo
Subdita, candenti quæ niue tecta iaces.
Balthica Vandalicæ perspexit & oppida gentis,
Quasq; potens urbes Prußia martis habet.
Deniq; natales ubi rursus contigit oras,
Et loca quæ patrijs Sarmata bobus arat,
Protinus acceßit terram quæ fortibus Hunnis,
Quæq; pharetratis est habitata Getis.

Inde

Inde petens adijt ueterum Byzantia Thracum
 Mœnia, crudelis quæ modo Turca tenet,
Adq; Propontiacas urbes huc uectus & illuc,
 Legit Abydeni littora curua freti.
Hinc, ubi Myrtoum sulcasset nauibus æquor,
 Turgida Carpathium per mare uela dedit,
Inq; Palestina, Christi cunabula uidit,
 Regnaq; primæui quæ tenuere patres.
Adde quod Aegypti Regem, quod & ostia Nili,
 Pyramidas uidit Memphi quod alta tuas,
Et Libyæ tractus, & quæ Sidonia Dido
 Imperio tenuit Punica regna suo.
Quid loquar undantem flammis ardentibus Aetnam
 Cuius Mulciberi follibus antra gemunt,
Et cinctam canibus latrantibus inguina Scyllam?
 Attractas uidit quam lacerare rates.
Aut quid Parthenopē? aut quid loquar inclyta Romæ
 Mœnia? flaue tuis Tybri propinqua uadis:
Aut dites Arni populos? urbémq; potentem,
 Quæ tenet Adriaci regia sceptra maris?
Inde Tridentinas ad Norica rura per Alpes
 Venit, & ex illis contulit hospes iter
Huc ubi regna tenet, saltuq; uirente tuetur
 Cincta Bohemorum candidus arua leo.
Tandem post uarios casus, & longa uiarum
 Tædia, natali uix requieuit humo:
Continuo Litauosq; Borysthenidasq; Rutenos,
 Ac desolatos aduena uidit agros,

In quibus effrenis Scytha sanguine pastus equino,
Errabunda suo cum lare plaustra mouet.
At uagus immensum Lascus quæcunq; per orbem
Vidit, ut Aonio carmine nota forent,
Cultor Apollineæ præstans Holtorpius artis,
Grandibus hæc numeris ipse legenda dedit.
Interitura quidem tantorum fama laborum,
Quæ nunc insigni laude feretur, erat:
Aspirante sacro Phœbi nisi numine uates,
Versibus illustrans hoc celebrasset iter.
Ergo peragratis ut Iasona gentibus æquat,
Argoam meruit cuius habere ratem,
Sic etiam docti præconia uatis adeptus,
Egregio nomen carmine Lascus habet.

## AD CARDINALEM PETRUM Bembum.

## ELEGIA V.

VNde leues Elegi missam tibi Bembe salutem,
Nũ procul à Viadro, quæris ut ante, ferãt?
Non: tuus hoc uates discessit ab amne Sabinus,
Hucq; suas nuper transtulit inde lares,
Regius algentes ubi mons consurgit ad undas,
Bregela quas crebro uortice tortus agit:
Bregela Iunipero præcinctus & ilice ripas,
Culta Borussorum qui secat arua uadis.

Quid

Quid tibi finitimis Scythiæ cum gentibus? inquis,
Quæ rigidi tantum prælia martis amant:
Quæq; truces syluis horrentibus educat uros
Prußia, mutata cur tibi sede placet?
Huc mea traxerunt me fata: sed accipe paucis,
Mutandi fuerit quæ mihi caussa solum.
Cærula tendebat liquidi per nubila cœli
Arcas Atlantea Pleiade natus iter,
Lustrabatq́; nemus densum frondente salicto,
Nostra quod ad Viadri musa colebat aquas,
Inter Hamadriadas ludens & Oreadas inter,
Dulcia tunc illic carmina uoce dabam.
Protinus auratis ad me talaribus ibat,
Hauserat argutæ uocis ut aure sonum.
Implicitam torto uirgam serpente gerebat,
Ducere qua manes ex Acheronte solet:
Instar & incurui gestabat acynacis ensem,
Pictus & in flauo crine galerus erat.
At me compellans his uocibus: accipe (dixit)
Quæ Iouis ætherea missus ab arce fero,
Est mutanda tibi sedes: te iussa deorum,
Te procul hinc aliò fata Sabine uocant.
Terra remota iacet, pigro subiecta Bootæ,
Quam satus indomito marte Borussus arat:
Terra ferax Cereris, fœcundaq́; melle: sed expers
Aonidum: Scythiæ nanq; propinqua iacet.
Belliger hic amplas Albertus poßidet urbes,
Teutonici referens nomen Achillis aui.

Acribus armorum studijs fortißimus heros,
Intrepido cuius pectora marte calent.
Is dum pacis agit cessantibus ocia bellis,
Promouet urbanæ castra quieta togæ.
Erigit impulsas bellorum turbine leges,
Ac populo dicens iura dat æqua suo.
Vt quoq; uulgus iners doctas traducat ad artes,
Laurigero musas ex Helicone uocat:
Hospitiumq; recens illis, & nobile condit
Gymnasium, cuius tu moderator eris.
Is te magnificis augebit honoribus illic:
Is tibi dona, quibus dignus es, ampla dabit.
Nam quos ingenium commendat & inclyta uirtus,
Largus in hos confert, Cyrus ut alter, opes.
Ergo uerte solum patrias & desere sedes:
Illo fata manent te meliora loco.
Hæc ubi fatus erat, paribus se sustulit alis:
Turbarunt animum nuntia uerba meum:
Triste uidebatur patria discedere terra:
Sed facienda tamen iussa tonantis erant.
Sic igitur laribusq; meis hortisq; relictis,
Quos Viadri retinent mœnia iuncta uadis,
Ignotos adij mutata sede Borussos,
Succina littoribus qui preciosa legunt.
At non falsa mihi Tegees prædixit alumnus:
Hic ego nam tali sum modo Bembe loco,
Vt desiderio patriæ non angar: & æqua
Mente Lycaonio fata sub axe feram:

*Talis in his etiam Princeps mihi contigit oris,*
*Qualis in Italia Borsius ante fuit:*
*Qualis & excellens fuit ille Feretrius heros,*
*Ingenij laudant quem monimenta tui.*
*Semina uirtutum quo propagentur & artes,*
*Tecta nouem musis hic habitanda dedit.*
*Vtq; bonis studijs, ita moribus, excolit urbes*
*Imbuit ac uera relligione Dei.*
*Nanq; ferox hominum genus est & agreste sub arcto*
*Noticiam nondum quod pietatis habet:*
*Cæruleos instar sed adorat numinis angues,*
*Mactatoq; litat sacra nefanda capro.*
*Discat ut ergo pios ad Baltica littora ritus,*
*Exuat & mores uulgus agreste suos,*
*Optimus ingenuas Princeps hic excitat artes,*
*Adductasq; deas ex Helicone fouet.*
*At tibi ne pariat longum fastidia carmen,*
*Finiat hic elegis littera clausa modum.*

## AD STVDIOSOS LITERARVM *in Academia Regijmontis.*

### ELEGIA VI.

*Quisquis es Aonidum consors, & docta frequentas*
*Atria, quæ geminis Bregela stringit aquis:*
*Cras, ubi sol medio librauerit æthere currum,*
*Ad sacra musarum tecta uocatus ades.*

*Scilicet*

Scilicet Alberto factas à principe leges,
  Iuraq; Gymnasij tum recitanda dabo.
At tibi sit quanti legum facienda potestas,
  Condita diuino numine scripta docent,
Quæ referunt legum iustis parere ministris,
  Officium summo gratius esse Deo,
Victima solennes quàm si mactetur ad aras,
  Victima sacrifici rite litata manu.
Sunt etenim leges urbani uincula cœtus:
  Ni fuerint leges, qui status orbis erit?
Iuraq; ciuilis sunt propugnacula uitæ,
  His sine nulla queunt mœnia pace frui.
Plurima defendi sine turribus oppida possunt:
  Nulla regi certo sed sine iure queunt.
Recte igitur leges amplis ubi laudibus effert
  Discipulus magni Socratis unus ait,
Optimus est ciuis, patriæ, qui legibus urbis
  Paret, & obsequium pluris id ipse facit,
Quam uel Olympiacæ uictricia præmia palmæ,
  Quàmue triumphanti parta trophæa manu.
Talia te moueant præconia, docta iuuentus,
  Vt subiecta istis legibus esse uelis,
Quas tibi uentura proponam luce: nec ausis
  Aequa magistratus temnere iussa tui.
Quod si forte nihil mea te uindicta mouebit,
  Aspera te moueat uindicis ira Dei.
Qui pia legitimi contemnit iussa senatus,
  Hunc grauis offensi numinis ira manet.

AD

 

## AD EOSDEM.

### ELEGIA VII.

GNosia constituit qui legibus oppida Minos,
Dicitur Idæum consuluisse Iouem:
Ecquid oporteret legum præstare ministros,
Vt rata perpetuo tempore iura forent.
Iuppiter, ut maneant infracta repagula legum,
Fac tua sæpe palàm scita legantur: ait.
Paruit his Minos, recitandaq; iura quotannis
Ter populo fertur proposuisse suo:
Eius enim iussu Rhadamanthus bina per urbes,
Per pagos totidem Talus & æra tulit,
Ex quibus, in cœtu populiq; frequente corona,
Publica iura stato sunt recitata die.
Exemplum uero custodibus utile legum,
Præbuit Europæ filius atq; Iouis.
Nam uelut insultans aurigæ iussa recusat,
Qui non sæpe minas auribus haurit equus:
Sic quoq; nullius sese permittit habenis,
Sæpius audita plebs nisi lege, regi.
Ergo quod exemplum Gortynius edidit heros,
Hoc ego, Gymnasij qui rego frena, sequar.
Neue reuellantur nostrarum uincula legum,
Aoniæ tradam iura legenda scholæ.
Vnde recognoscat musis addicta iuuentus,
Expleat officium qua ratione suum.

Scilicet

*Scilicet ingenuas ut nauiter excolat artes,*
*Ocia nec ſtudio Palladis ante ferat:*
*Doctrinaq; ſuos mores ita formet, ut ardens*
*Pectora diuini numinis intret amor.*
*Fœda nec immodico ducat conuiuia baccho:*
*Nec ſtudeat Veneris caſtra nefanda ſequi:*
*Neue ſub æſtatem fluuialibus abluat undis*
*Membra uel hortorum depopuletur opes.*
*Cumq; ſit exoſus doctam Tritonida Mauors,*
*Martia pugnaci ne gerat arma manu:*
*Præbeat immani trepidum nec uoce tumultum,*
*Humida telluris cum tenet umbra polum.*
*Si trucis horrendus Polyphemi clamor in antro*
*Fratribus Aetneis nocte moleſtus erat,*
*Ebrius, amiſſo cum luminis orbe, fremebat*
*Sæuo terribiles ore ſonante minas:*
*Qui Siculis non eſt Cyclopibus incola natus,*
*Hac ferat immanes uocis in urbe ſonos?*
*Hæc & plura, quibus mores regat, ipſa iuuentus*
*Audiet in ſacra Palladis arce legi,*
*Bregela quam pallæ glauco uelamine tectus*
*Prænatat, & liquidis ſtringit utrinq; uadis.*
*At mea ſi quod habent edicta minantia pondus,*
*Omnibus officij nomine mando mei,*
*Publica Gymnaſij cum iura legentur, ut adſint*
*Dulcibus hac muſis quotquot in urbe uacant.*

## AD EOSDEM.

### ELEGIA VIII.

QVod faustum felixq; nouem sit & utile Musis,
Per quas Aoniam Bregela uoluit aquam,
Rursus adornabo pro consuetudine pompam,
Sexta reducetur Februa quando dies:
Iuraq; proponam nostri recitanda Lycei,
Ac simul officij quenq; monebo sui.
Ergo dies actis aderit cum proxima Nonis,
Et medium carpent æthera solis equi,
In cœtum (iubeo) ueniat, quicunq; Camœnis
Deditus hic sacro uult Helicone frui:
Nanq; gubernari legum quæ debet habenis
Nosse iuuentutem publica iura decet.
Nunc uerò iustas ut turba scholastica leges
Diligat, ac mores corrigat ipsa suos,
Offensi monet ira Dei, seriesq; malorum,
In quibus infelix Teutona terra iacet.
Horrendum genitrix peperit discordia bellum,
Quo nihil exortum tristius ante fuit.
Impius armorum socias furor occupat urbes,
In quibus augustæ gaudia pacis erant.
Nuper ubi cytharæ Dircæaq; plectra sonabant,
Nunc ibi Bellonæ claßica dira fremunt.
Diffugiunt diuæ sumptis Libethrides alis,
Disturbante sacros marte furente choros:

Haud secus ac quondam trepidantibus aëra pennis
Findentes, celerem corripuere fugam,
Daunia uastabat cum barbarus arua Pireneus,
Captaq; Threicio milite Phocis erat.
Has pater ipse suis deplorat sedibus actas,
Saxoniæ gelidam qui rigat Albis humum:
Has etiam Philyræ Misneidos urbe fugatas,
Flauus arenosis luget Elister aquis.
O miseranda parens quantum Germania luctum
Hauris, marte tuum depopulante solum:
Quanta nouenarum cœtu fugiente sororum,
Heu perculsa graui uulnere, damna facis.
Hoc igitur tanto nos in discrimine rerum,
Tristibus admonitos cladibus esse decet:
Legibus ut cursum uitæ moresq; regamus,
Et simul oremus supplice uoce Deum,
Vt, cum tota fremat bellis Germania, saltem
Læta Borussorum pace fruatur humus:
Ne quoq; Gradiuo nobis præbente tumultum,
Hinc doctas abigat sæua procella deas.

## AD EOSDEM.

## ELEGIA IX.

EBria dum totam discurrit turba per urbem
Hisq; furens Bacchi festa diebus agit:
Festa, quibus turpes nudabat Roma Lupercos,
Stultitiæq; olim signa pudenda dabat:

Hic tibi nimirum Princeps, hic præstitit heros,
Qualia non populis ille uel ille suis.
Cum perculsa fores immani turbine belli,
Hostibus eripuit strenuus arma tuis,
Et secura tibi tranquillæ tempora pacis
Restituit, bellis imposuitq; modum.
Impia cum coleres deliramenta sacrorum,
Et rectam fidei non sequerere uiam,
Ipsa per hunc, qui te iußit meliora doceri,
Ad ueros cultus es reuocata Dei.
Cumq; rudes nuper populos inculta foueres,
Nulla quibus studij cura nec artis erat:
Primus hic è sacro musas Helicone uocauit,
Quæ populi mores excoluere tui.
Ergo secuturus Maias ubi Lucifer Idus
Iam matutinis extulit ora uadis,
Arte laboratas tu lætior indue uestes
Electroq; graues diuite pande sinus:
Aurea gemmato suspende monilia collo,
Iunipero flauum cinge uirente caput:
Proq; salute Ducis, fortunataq; senecta,
Candida natali suscipe uota die.
Vos quoq; Pierides, quas hæc pro Phocide tellus,
Et pro Castalio Bregela fonte tenet:
Vos decet aurata lætum testudine carmen
Ludere, & hac festos ducere luce choros.
Nanq; Borussorum uos sedibus esse receptas
Contigit unius Principis huius ope:

Qui nisi productus uitales esset in auras,
　Ecquis in arctoa uos reperiret humo?
At tu Semideis Heroibus edite Princeps,
　Annua natalis lux modo cuius adest:
Tu depone graues & amaras exue curas,
　Tristior hoc si quas tempore forte geris:
Signaq; læticiæ plaususq́; agnosce tuorum
　Gratantes hilari qui tibi corde fauent.
Floribus halanti conuiuaturus in horto
　Quæ Genio debes munera solue tuo.
Nec, licet infensi quidam tibi bella minentur,
　Prospera te dubita fata manere senem.
Sydera nanq; tuo fulserunt læta sub ortu,
　Et propiore simul iuncta fuere gradu,
Vt tibi præsidio, si res ita postulet, essent:
　Viribus arcerent duraq; fata suis.
Scilicet in primo congreßi limine cœli,
　Delia, Mars, Aries, Iuppiter, Arcas, erant.
Ibat & æthereos Phœbi comitata iugales,
　Cum geminis Helenæ fratribus alma Venus.
Falcifer at longè submotus agebat ab illis,
　In nona stabas qua Capricorne domo.
Talia felicem promittunt sydera uitam,
　Non importuno si coiere loco.
Adde quod ipsa trium Parcarum maxima Clotho
　Dicitur ad cunas hæc cecinisse tuas.
Cresce puer, quo nullus erit laudatior olim,
　Eximia præstans indole cresce puer.

Mollia

Mollia ducuntur nostro tibi stamina fuso,
Longaq; fatali pensa uoluta colo.
Nil tibi deceptrix hominum fortuna nocebit:
Quæ solet ancipiti mobilis ire gradu:
Quamuis iniiciet curas tibi sæpe molestas,
Rebus & existet non satis æqua tuis.
Omnia consilio uinces, & ad omnia fortis,
Quæ subeunda uiris obiiciuntur, eris.
Ad tua pilatæ trepidabunt signa cohortes,
Marte lacessitus prælia quando geres.
Turpia sæpe dabunt hostes tibi terga fugati,
Quorum densa premens agmina uictor ages.
Fortia te diuo pro Cæsare bella gerentem,
Itala Gallorum strage uidebit humus.
Te uetus Hunnorum regnataq; Pæone tellus,
Nauiter inuictum sentiet esse manu,
Cum tibi commissas illic tutaberis arces,
Quasq; tuus partas frater habebit opes.
Deniq; uirtutemq; tuam, dextramq; potentem
Sarmatis agnoscet cladibus ora suis:
Postq; cruenta feri martis certamina, tecum
Fœdus & optatam iunget amicitiam.
Nec tamen inuicto laudatus pectore tantum
Sed multis aliis dotibus auctus eris.
Iura dabis, legesq; feres: moderataq; semper
Non rectis animi motibus ante feres.
Te non ebrietas, non implacabilis ira,
Te faciet prædam mens nec auara suam.

Inuisent iterum te principe numina terras
  Quæ scelerata hominum uita fugauit humo:
Cana fides, libramq; gerens Astrea bilancem:
  Quæq; acri pietas flagrat amore Dei.
Inq; tuo ponent hæc numina pectore sedem,
  Te superis ipsis efficientq; parem.
Tu columen patriæ, miseris tu dulce leuamen
  Exulibus, Christum qui profitentur, eris.
Ad te confugient longis è finibus omnes
  Artibus insignes & pietate uiri,
In tua qui soluent doctas præconia linguas,
  Teq; super cœli sydera laude ferent.
Sic, ubi natus eras, occulti præscia fati
  Lanificis cecinit de tribus una soror.
At tu læta dies, reuoluto sæpius anno,
  Principe salua meo sceptra tenente, redi.

## AD FRIDERICVM ARCHIepiscopum Madeburgensem, Ioachimi II. Marchionis Brandeburgensis filium.

## ELEGIA II.

QVam cito posteritas obliuiscentibus annis
  Inclyta magnorum deleat acta Ducum,
Indicat hæc, princeps, maiorum uita tuorum,
  In lucem studio nunc reuocata meo.

Horum

 

Nos meliora quibus Musarum sacra coluntur,
Dißimiles uulgi moribus esse decet.
Sobrius Aonidum chorus Origi uitat Iacchi,
Nullaq; lymphatæ gaudia mentis amat.
Multa nefanda facit petulantibus hisce diebus,
Percita Thyrsigeri turba furore dei.
Sæpe cruentantur funesta cæde penates,
In medio dantur uulnera sæpe foro:
Castaq; uirginei uiolantur iura pudoris,
Coniugij thalamos & uagus intrat amor.
Filia dum celebrat Pandionis Orgia Progne,
Ismarium iugulans ense peremit Ityn.
Anne datus leto Rhodopeius occidit Orpheus?
Dum peragunt Ciconum Bacchica sacra nurus.
Orgia Romanis uiolauit agentibus olim
Anne maritales fœda libido toros?
Nec bene conueniunt hæc tristia tempora ludis,
Est æquum patriæ nos doluisse uicem.
Nam perculsa graui Germania uulnere martis
Languet & extremum sustinet ægra diem:
Haud secus ac quondam turbantibus omnia bellis
Languida ciuili uulnere Roma fuit.
Quin factura nouas iam Turcica spicula clades,
Bistonios trepidans Ister & horret equos.
Heu quales animo gemitus, quas ore querelas
Edit: & heu quantis fletibus auget aquas,
Pluribus adduci dum signa cohortibus audit,
Pannonios iterum quæ populentur agros:

Quæ gremio matris, ducentes ubera natos
  Abripiant, sæua dilanientq; manu:
Mœnia prosternant, captasq; nefanda puellas
  Cogant ingenuo corpore stupra pati.
Adde quod æthereo tristantur sydera cœlo,
  Et uelut hoc rerum turbine mœsta dolent.
Luna bis hoc atra caligine conditur anno,
  Phœbus & horribili lumina nocte tegit.
At nihil hæc quantum populus lugubria curat
  Dum leuibus soluit libera corda iocis,
Nos tamen, excoluit quorum Tritonia mores,
  His decet attonitos ingemuisse malis.
Ergo lupercales nemo per compita ludos,
  Qui sacra Gymnasij sceptra ueretur, agat.
Nec uelut Aetneus tingat fuligine Cyclops
  Ora, nec Ogygij pars sit inepta chori:
Quisque sed ingenuis studijs incumbat, & oret
  Fiat ut offensi mollior ira Dei.

## AD EOSDEM.

### ELEGIA X.

ANni tempus adest, quo factus uictima Christus
  Sanguine deleuit crimina nostra suo:
Fractaq; Tartarei sunt limina carceris, in quo
  Posteritas primi capta parentis erat.
Posthabitis uerò studijs rebusq; profanis,
  Templa per hos nobis sunt adeunda dies.

Scilicet hisce decet nos commeminisse diebus,
Nostra sit ut Christi morte redempta salus:
Et quàm non fuerit placabilis ira Tonantis,
Aeternam nobis ira minata necem.
Nulla grauem poterant delere piacula culpam,
Quæ commissa fuit crimine sontis Adæ,
Vnica pro nobis nisi redderet hostia uitam,
Oppeteretq; necem filius ipse Dei.
Heu quas sustinuit nostro pro crimine pœnas,
Quámq; Dei nato non toleranda tulit.
Sanguinis emisit sudanti corpore guttas:
Vincula captiuas impediere manus:
Vulnificis plagas sub iniquo iudice uirgis,
Ac tulit implicitis spinea serta comis.
Impia quid referam diræ conuitia linguæ?
Inq; cruentatis liuida signa genis?
Cum trabe penderet palmas distentus in ambas,
Ferrea diuinum transijt hasta latus.
Hæc indigna uidens alto spectacula cœlo,
Sol stetit attonitis obstupefactus equis:
Indoluitq; diu mœstus, terrisq; negauit
Lumen, & in medio nox fuit orta die:
Motaq; contremuit uasto sub pondere tellus:
Saxaq; concußis dißiluere iugis.
Ista recordari solennibus acta diebus
Nos, & imoblito pectore ferre, decet.
Indignum fuerit, Solem, atq; carentia sensu
Saxa, creatori condoluisse suo:

*Nosq; dolere nihil, nec acerba morte moueri,*
*Reddita qua nobis uita salusq; fuit.*
*Ergo cohortamur iuuenes, ut templa frequentent,*
*Quaq; decet celebrent hos pietate dies.*

# GEORGII SABINI BRANDEBVRGENSIS ELEgiarum, Liber Sextus.

## IN DIEM NATALEM ILlustrißimi principis, Alberti Marchionis Brandeburgensis, primi Ducis Prußiæ.

### ELEGIA I.

SI *uetus Iliadæ celebrauit Roma Quirini,*
*Natalemq; Iouis Gnosia terra diem:*
*Te decet hanc meritò celebrare Borußia lucem,*
*Nasci fata tuum qua uoluere Ducem:*

Hic

Non tantum uoluit Princeps, sed mitis haberi
  Mater: & est inopum commiserata uicem.
Virginibus, quarum fuit orba parentibus ætas,
  Pronuba consortes tradidit ipsa tori.
Nec dedignata est humiles intrare penates,
  Et medicas ægris applicuisse manus.
Adfuit & grauidis nuribus, partuq; leuatis
  Miscuit ut nutrix officiosa dapes.
Sacra colens etiam diuinis tradita scriptis
  Nil habuit uera relligione prius.
In populi cœtu doctos audire solebat
  Omni pene die uerba referre Dei:
Nec meritis hominum, sed Christi morte redemptam,
  Seq; pia iustam credidit esse fide.
Adde quod ipsa suum dominum constanter amauit
  Inq; uicem à Domino semper amata fuit.
Corpore nanq; decens, & amabilis extitit omni
  Laude: fugax litis, sobria, comis, erat.
Edidit in lucem duo mascula pignora lecti,
  Fœminea quater est factaq; prole parens.
Deniq; suscipiens Musarum prouida curam,
  Nobile Gymnasij cum Duce struxit opus.
Iamq; duos annos, mensésq; peregerat octo
  Post totidem uitæ lustra decemq; dies,
Cum desiderium non uni triste relinquens,
  Heu præmatura morte soluta fuit.
Illius immensum peperit iactura dolorem
  Omnibus indigenis, Prußia quotquot habet.

Ad superos

Ad ſuperos animi redijt uigor: oſſa ſepulchro,
Inq; beatorum ſpe tumulata cubant.

## AD STVDIOSOS LITERARVM in Academia Regijmontis.

## ELEGIA V.

FEſta dies agitur, qua cœlitus edidit olim
Signa tot omnipotens & monimenta Deus.
Corniger hac uates teſtatur luce Tonantem
In Sina legem monte tuliſſe ſuam:
Atq; inter lituos piceæq; micantia nubis
Fulgura, terribili uoce dediſſe ſonos,
Nos quibus admoniti ſumus ut ne uana colamus
Numina, nec ſcelerum turpe ſequamur iter.
Hac quoq; luce ſacer conſolatorq; piorum
Spiritus æthereа miſſus ab arce fuit,
Suntq; ſoluta patrum diuerſis ora loquelis
Nos fidei rectam qui docuere uiam.
Hanc uero lucem celebrataq; tempore longo
Feſta, pio ritu nos coluiſſe decet,
Aeternumq; rogare patrem, quo languida & ægra
Excitet afflatu pectora noſtra ſuo:
Inq; animis acres flammas accendat amoris
Igne ſalutari qui pia corda fouet:
Vtq; manere potens & dulci numine præſens
Ipſius in nobis Spiritus eſſe uelit:

Vt

Vt placidam studijs aspiret & artibus auram,
Turba nouem musis quas operata colit.
Ille dat humanæ cœlestia semina menti:
Cuncta, quibus uitam ducimus, ille regit.
Illius est donum facundæ gratia linguæ:
Ingenuis aptos artibus ille facit.
Ergo frequentemus templum cœtusq; piorum,
Ore soluturi uota precesq; Deo:
Nostraq; consueto de more feramus ad aram
Munera: nam pietas hæc quoq; grata Deo est,
Nos offerre decet fidis sua dona ministris,
Qui pia sincero munere uerba docent.

## AD EOSDEM.

## ELEGIA VI.

IAm quater incenso quater canis Erigoneius æstu
Solis anhelantes sensit anhelus equos,
Cum sacer hic musis Helicon algente sub arcto
Est Aganippeæ fons & apertus aquæ:
Cumq; Ducis iussu, doctiq; fauore senatus,
Ad me Gymnasij summa relata fuit.
Tradita perpetuus tenui moderamina Rector,
Semper & ex illo tempore sceptra tuli:
Meq; fatigauit multis Respublica curis,
Sustinui dura mole grauatus onus.
Nanq; magistratus, seu publica cura regendi,
Est grauis, ac magnum sarcina pondus habet.

Nec semel oraui, quo Principis æqua uoluntas
Hac humeros uellet mole leuare meos:
Vtq; crearetur nostri successor honoris,
Pierij coleret quem sacer ordo chori:
Quiq; subiret onus pro me, uelut ille subibat
Cœliferi Alcmena natus Atlantis onus.
At nihil obtinui tota trieteride supplex,
Nil mea uota, meæ nil ualuere preces,
Donec me miserum properata morte reliquit
Vxor, & aucta graui cura dolore mea est.
Nunc oneris tandem remouendi facta potestas
Est mihi, ne nimium duriter ipse premar.
Plus onerosa satis me cura domestica torquet,
Est mihi nunc uiduo tota regenda domus.
Dumq; tori lugent amissam pignora matrem,
Nunc ego maternas cogor obire uices.
Ergo Gymnasij cras depositurus habenas,
Ipse magistratu lætus abibo meo,
Sicut ad optatum delatus nauita portum,
Per mare qui longo tempore uela dedit,
Alterius dextræ regimen committere gaudet,
Atq; ministerio se remouere suo.

## IN TVMVLVM ANnæ uxoris suæ.

## ELEGIA VII.

Horum fama diu latuit, multosq; per annos
Obscura ueluti nocte sepulta fuit.
Ecquis enim patrijs Hugonem nouit in oris
Hactenus? hic cuius nomen & acta legis.
Ecquis & hoc meminit Theodrici principis æuo?
Per me noticiam nunc quoq; cuius habes.
Facta sed illorum si concelebrata fuissent
Scriptis, quæ famam perpetuare solent,
Non exempla forent æuo: non longa uetustas
Sic ea lethæis mersa dedisset aquis.
Omnia mandantur scriptis quæcunq; disertis
Illa uetustatem non moritura ferunt.
Ergo tempus edax ne longaq; deleat ætas
Famam, Marchiaci quam meruere Duces,
Eruta diuersis annalibus, inclyte princeps,
Collegi patriæ gesta uetusta meæ:
Emisiq; tuo sub nomine, cuius honori
Mens mea propenso dedita corde fauet.
Ac merito: quis enim te præcellentibus auctum
Dotibus ingenij, non reuerenter amet?
Te matura senem reddit prudentia, quamuis
Signet adhuc teneras uix tibi barba genas.
Te sibi relligio custos fidißima cœli
Vendicat, inq; tuo pectore templa tenet.
Te quoties puerum studijs incumbere uidi,
Ad gelidas Viadri quando morabar aquas,
Talia sum tacito sub pectore uerba locutus
Lumen eris patriæ tu Friderice tuæ.

Ista fefellerunt nec me præsagia mentis,
Præsulis insigni munus honore geris.
Nec dubito, quin sit diuino numine factum,
Rebus ut antistes præficerere sacris.
Nanq; status rerum, fortunaq; temporis huius
Flagitat insignem relligione uirum,
Excubias qui pastor agat, ne turba luporum
Irruat in Christi sanguinolenta gregem,
Quiq; salutari medicamine uulnera curet,
Tot quibus heu miseræ conficiuntur oues.
His tibi de causis faueo: mea scriptaq; duxi
Esse tibi tanquam iure dicanda tuo.
Exiguum uero non aspernabere munus:
Accedente breui tempore crescet opus.
Illustrabo Duces omnes, tenebrisq; malignis
Eripiam dignos posteritate uiros:
Sub quibus antiqui Brenni mauortia tellus
Claruit, & liquidæ rector Hauelus aquæ.

## AD STVDIOSOS LITERARVM in Academia Regijmontis.

## ELEGIA III.

SI qua prius tristem meruerunt funera luctum,
Si fuit hac unquam iustus in urbe dolor:
Iam dare funesti lugubria signa doloris,
Tristia iam lachrymis ora rigare decet.

Nanq;

Nanq; Borußiaci Ducis occidit inclyta coniunx,
Afflicta est populi qua moriente salus.
Nunc gemat & mœsto suffundat lumina fletu,
Prußia: nam matrem perdidit orba suam.
Illa nurus inopesq; senes, ægrosq; fouebat:
Munificam uiduis illa ferebat opem.
Ante alios uero quibus est hoc funus acerbum,
Et quibus hæc fletum tristia fata mouent,
Nos plorare decet, nos indulgere dolori:
Illa bonis Princeps artibus æqua fuit:
Illa suum dominum, quo conderet atria Musis,
Impulit: :hocq; pium sedula iuuit opus:
Quiq; darent studijs operam, Musisq; uacarent
Pauperibus larga præbuit æra manu.
Est quoq; fas tristi nos Principis ore moueri,
E cuius pendet nostra salute salus:
Cernis ut incedat pullo uelamine tectus,
Vestibus auratis qui modo cultus erat.
Ille sua quando uiduatus coniuge luget,
Nos minime lachrymas continuisse decet,
Aegra ualetudo, uel si qua molestia, regem
Afficit, Hyblea quem reuerentur apes,
Nonne uides ut mœsta fremant examina luctu?
Cæreaq; affectis mœreat aula fauis?
Conglomerantur apes, planguntq; trementibus alis
Pectora: nec læti germina Veris amant.
Nos simili studio lugentes, tristia nostri
Conuenit afflicti fata dolere Ducis.

Ibimus

Ibimus & mœstum testabimur ergo dolorem
Funere quem nobis attulit atra dies,
Ibimus: utq; frequens oculis humentibus adsit
Doctaq; nobiscum turba (iubemus) eat,
Quando sepulturæ iam signa dabuntur, & edent
Mota sub aërijs turribus æra sonum.
Ipse ego (parua licet mihi sit facundia linguæ,
Acer & impediat fletibus ora dolor)
Tristibus interitum Dominæ plorabo querelis
Hic, media fanum quo stat in arce loco.
Emeritæ faciam præconia debita uitæ,
Ipsa quibus gaudet nescia fama mori.
Nanq; tot insignem uirtutibus Heroinam,
Non decet orbatam laudibus esse suis.

## IN TVMVLVM NOBILISsimæ principis Dorotheæ, filiæ Friderici Regis Danorum, coniugis Alberti Ducis Prußiæ.

## ELEGIA IIII.

HIc iacet Alberti primi Ducis inclyta coniunx,
Quæ patre Danorum rege creata fuit:
Maternumq; genus prælustri duxit ab ortu,
Mater Teutonici neptis Achillis erat.
Et, quo dicta fuit, dignam se nomine geßit
Dorotheæ: donum nam fuit ipsa Dei.

Non

VXor in hoc tumulo uatis iacet Anna Sabini,
Fœmina non humili quæ fuit orta loco.
Ad celebres Albis patre nata Melanthone ripas,
In quibus Aonidum plectra mouentur, erat.
Vtq; uiros inter doctos pater eminet omnes,
Quo non maius habent tempora nostra decus:
Sic quoq; laude sua matronas inter honestas
Claruit, ac tanto digna parente fuit.
Ipsemet infantem tulit ad baptisma Lutherus,
Quando salutifera perlueretur aqua:
Erudijtq; pijs monitis, ut adulta timeret
At coleret uera relligione Deum.
Quin & docta fuit, linguæq; perita latinæ:
Nam latio poterat reddere uerba sono.
Nec minus ore decens, & honesto prædita uultu
(Laudari facie si qua meretur) erat.
Annos bis septem florente peregerat æuo,
Legitimi consors est ubi facta tori.
Inde remota procul natalibus abfuit oris,
Cumq; suo uixit coniuge lustra duo.
Et semel aucta fuit tantummodo prole uirili,
Natas Lucina quinq; fauente dedit.
Frigida mors animam placide subduxit & artus,
Pars melior cœlo est reddita, corpus humo.

ELEGIARVM
AD ILLVSTRISSIMVM
Principem Albertum, Marchionem Brandeburgensem, primum Prussiae
Ducem.

## ELEGIA VIII.

Est erebi pestis, quæ tristibus implicat orbem
Dissidijs, passim diraq; bella serit,
ATE nomen habet: ualidis hæc gentibus olim,
Terrarum & dominis exitiosa fuit.
Hæc Agamemnonias affecit clade cohortes,
Cincta quibus Priami mœnia regis erant:
Hæc quoq; Thesidas, hæc regna potentia fregit
Inuicti Macedûm quæ peperere duces.
Hæc simul imperij spoliauit honore Quirites,
Dum fera ciuili sanguine bella gerunt.
Threicias eadem gentes hæc pestis & urbes
Perdidit: Argolicas hæc labefecit opes,
Tunc ubi prorupit Scythicis Othomannus ab oris,
Hellespontiacas & superauit aquas.
Nanq; uoluntates distraxit & agmina regum,
Iunctis ille quibus terga daturus erat.
Hæc quoq; discordes hoc tempore cõpulit Hunnos,
Turpi seruitio triste subire iugum
Dum geminos quærunt reges: scissiq; duabus
Partibus, huc illuc arma cruenta ferunt.

Deniq;

Deniq; Germanis nunc bella domestica nobis
  Excitat, ac turbas irrequieta facit.
Nosq; feris itidem conatur prodere Turcis,
  Alter in alterius dum mouet arma necem.
Vidit id Imperij moderator & arbiter olim,
  Qui genuit patrem Carole Quinte tuum:
Vtq; graues casus, tristesq; auerteret orbi
  Clades, & patriæ damna timenda suæ,
Deuincire pios optato fœdere reges,
  Conatusq; domi tollere bella fuit,
Fortior ut iunctis in prælia uiribus iret,
  Sæuaq; grassantis frangeret arma Scythæ.
Huius enim rabiem cohibere, piosq; tueri,
  Esse Deo gratum non dubitabat opus.
Ante sed armatus quàm sese mouit in hostem,
  Et regum sociæ quàm coiere manus,
Optimus in medio belli molimine Princeps,
  Funere sublatus præueniente fuit:
Atq; opus inceptum (prò tristia fata) reliquit,
  Immortale decus quo pariturus erat.
Inuida mors, quare regum conatibus obstas,
  Pro lacero Christi qui grege bella mouent?
Fallor? an illius quod es olim uicta triumpho,
  Pro Mahometigena stat fauor hoste tuus?
Nam sic Pontificem Turcis quoq; bella parantem,
  Diceris Aeneam sæua tulisse Pium.
Ne tamen ignorent hæc Cæsaris acta nepotes,
  Acta boni debent quæ meminisse duces,

*Sunt calamo conscripta meo: nam talia refert*
*A memori semper posteritate legi.*
*Olim forsan erunt quos hæc explere iuuabit*
*Consilia, & studio pacis amante sequi.*
*At ueluti quondam patris induit arma perempti,*
*Rex qui Pellæa natus in urbe fuit:*
*Atq; triumphata confecit Perside bellum,*
*Ipsius genitor quod meditatus erat:*
*Sic quoq; nunc utinam se Carolus armet in hostem,*
*Exoptata suo bellaq; sumat auo.*
*Ast ego, quidquid id est operis, tibi dedico Princeps*
*Læta Borussorum quo Duce gaudet humus.*
*Nec dubito, quin pacis amans, hostisq; Scytharum*
*Talia diuini Principis acta probes.*
*Nam quoties audis ciuilia bella moueri,*
*Inter Christicolas marte furente duces,*
*Et Scythicum nostra gaudentem lite tyrannum,*
*Omnia uictrici carpere regna manu,*
*Ipse gemens, imo suspiria pectore ducis,*
*Temporis & nostri tristia fata doles.*
*Teq; licet multis exhausta laboribus ætas*
*Occupet, arma tamen sumere dura iuuat:*
*Cumq; pharetratis committere prælia Turcis,*
*Et procul ad Solymas castra locata sequi:*
*Si modo suscipiat concors Germania bellum,*
*Suppetiasq; pijs, auxiliumq; ferat.*
*Viuenti quoq; charus eras: ductore sub illo*
*Tempora militiæ prima fuere tuæ,*

Euganeos

Euganeos quando populos urbesq; premebat,
Martius Adriacæ quas leo gentis habet.
Sæpius ille tuis applaudens fortibus ausis,
Macte animi, aiebat, macte: uir acer eris.
Et quæcunq; tenes belli præcepta gerendi,
Tyroni senior tradidit ille tibi.
Te peditum cuneos, & equestres ducere turmas,
Te docuit tuto ponere castra loco:
Explorare uias, nec aperto prælia tantum
Marte, sed hostili conseruisse dolo.
Adde quod ipse meos tibi consecro iure labores,
Pro meritis uidear gratus ut esse tuis.
Nanq; meæ peragunt secura quod ocia musæ,
Id tua nimirum cura benigna facit.
Ampla mihi tribuis studiorum præmia uati,
Cæsare Virgilius qualia dante tulit.
Aurea quid referam, quorum mihi multa dedisti,
Pocula? quid celsæ splendida tecta domus?
Pro quibus ingratum me nequa redarguat ætas,
Nominis est æquum me meminisse tui.
Tempus erit, laudum præconia quando tuarum
Mœonijs peragat nostra Thalia modis:
Nanq; opus institui, ualidæ quo prælia dextræ,
Atq; tuæ laudes commemorabo togæ.
Mons ubi sublimis Helicon se tollit in auras,
Roscida Musarum floribus arua nitent,
Quos neq; Sol æstu, Boreas neq; frigore lædit,
Nec spoliant ulli ueris honore dies.

His tibi contexam de floribus ipse coronam,
E ducibus qualem nemo sub axe gerit.
Interea Princeps hunc accipe quæso libellum,
Qui licet eloquij forsitan arte caret,
Attamen egregias res continet, actaq; pacis:
Quo tibi præcipue nomine gratus erit.

## IN OBTRECTATOrem Gallum.

## ELEGIA IX.

NOn ita Cadmeæ lacerarunt Penthea matres,
Diceris ut famam tu lacerare meam.
Hoccine tunc merui de te, cum causa salutis,
Præsidium uitæ cum tibi Galle fui?
Quippe mea pœnam tibi supplice uoce leuaui,
Ad graue supplicium cum rapiendus eras.
Si tibi non præsto tunc ô ingrate fuissem:
Esses in Viadri præcipitatus aquas.
Quiq; Theoninis mihi uulnera dentibus infers,
Iampridem tacitis piscibus esca fores.
Acre quid ingenium iactas? ac plurima legum
Condita quæ memori pectore uerba tenes?
Verba quidem (fateor) tibi mente tenaciter hærent,
Nulla recordari sed benefacta potes.
At nisi desieris rapido me carpere morsu,
Qui modo cristatus Gallus es, Ibis eris.

## AD EVSTACHIVM A KNObelsdorff Canonicum Varmiensem, Poëtam clarißimum.

### ELEGIA X.

Moesta quibus defles extincti funera Regis,
Legimus hic elegos culte Poëta tuos:
Miratiq; sumus lugubri carmine tantas,
Tamq; graues à te res potuisse cani.
Nam tua dum tristes deplorat musa querelas
Atq; Sigismundi fata suprema dolet:
Imbelli peragit præconia bellica uersu,
Ac tenero quiddam grandius ore sonat.
Inducit gelidum trepidare Boristhenis amnem,
Tela Polonorum dum uiolenta pauet:
Spumiferumq; Tyran hostili cæde rubentem,
Occultare uado cornua fracta suo.
Quid referam, numeros sedati fluminis instar
Qui neq; per salebras, saxa nec alta, cadunt:
Nec splendore carent illo, nec diuite cultu,
Florida Nasonis quo monimenta nitent.
At tibi quando fauent sic aspirantq; Camœnæ,
Non decet Aoniam te posuisse chelyn:
His quibus excellis felicibus utere donis,
Pluraq; disparibus carmina conde modis.
Sic insigne feres nomen, sic gloria fontis,
Pegasus alato quem pede fecit, eris.

## IN NATALEM ALBERTI Friderici, Mārchionis Brandeburgensis, filioli Alberti senioris primi Ducis Prußiæ.

## ELEGIA XI.

QValia Dardanij capiebant gaudia ciues,
Natus ubi Priamo filius Hector erat:
Talia percipiunt ac gaudia tanta Borußi,
Alberto soboles est ubi nata Duci.
Gaudet ouans lætis animis respublica, gaudet
Principis hæredem quod senioris habet.
Omnia lætifico resonant hinc compita plausu,
Mœnibus exultant oppida penè suis.
Regius inprimis hilari mons urbe triumphat,
Quam bifidus multa Bregela ditat aqua:
Inter & humentes uitreo sub fornice Nymphas,
Ipse choros plausu corniger amnis agit.
Quæq; tenent ripis uicina palatia Musæ,
Aonijs soluunt ora canora modis:
Blandaq; ludentes modulantur carmina plectris,
Fausta quibus puero lætaq; fata canunt.
Vt cecinere prius, cum sanguine clarus auito
Romulides tetigit Pollio natus humum.
Fortunata dies, nitidi quæ Solis anhelos
Idibus à Maijs quarta reducis equos,
Hanc tibi leticiam populosa Borußia debet,
Principis egregia prole superba sui.

Luce tua cœli productus uenit in auras
Qui columen patriæ (sit modo sospes) erit.
Cynthius Hesperias tendebat fessus ad undas,
Et prope lucis erat meta peracta tuæ:
Iam comes æthereis octaua iugalibus ibat
Hora coloratas sole notata genas,
Cum tulit ac partu feliciter edidit illum
Inclyta Guelphorum sanguine nata parens.
Penniger incedens phœbeos ante iugales
Illo Mercurius tempore lætus erat.
Is per Agenorei properabat lucida Tauri
Signa, uagus per quæ Sol & habebat iter:
Deq; Borussorum referebat principe nato
Ocyus Idaliæ nuntia uerba deæ.
Nanq; propinqua tenens æstiui brachia cancri
Stabat in octaua Cypria sede Venus.
Audijt hinc Mauors: & ab illo rector Olympi:
Iunctus enim Marti Iuppiter ipse fuit,
Inq; domo nona, fuluiq; calente Leonis
Sydere, coniunctus duxit uterq; moram.
Diua leuat grauidas uteri quæ pondere matres,
Et uaga Lucinæ Delia nomen habet,
Felicem puero nascenti præbuit ortum
In primo niueis cardine uecta rotis.
Noxius obstaret sed ne felicibus astris,
Tum loca possedit falcifer ima senex.
O generose puer, felicibus edite stellis,
Spes populi, patris gaudia, matris amor.

Cresce, tuosq; refer proauos, insignia quorum
Omine non læuo nomina bina geris:
Cresce potens magni soboles & principis hæres,
Te populo felix diuite terra manet,
Quæ grauidas fruges, quæ dulcia munera mellis,
Succina quæ liquidis gignit odora uadis.
Et licet hæc eadem rigidis assueuerit armis,
Indomitosq; ferat martia terra uiros,
Tu tamen exactis olim puerilibus annis
Quando reges patriæ tradita sceptra tuæ,
Posthabitis armis pacem cole: pacis amantes
Multos ex proauis, quos imiteris, habes.
Pace nihil melius, nil pace salubrius orbi
Terrarum, omnipotens qui regit astra, dedit.
Pace Dei cultus, legumq; uerenda potestas,
Et sacra Musarum gloria pace uiget.
Pace frequens adfert Hymenæus gaudia sponsis,
Educat & castus pignora casta torus.
Pace suas mercator opes, sua rura colonus
Poßidet: absq; metu carpit & hospes iter.
Tunc resonant cytharæ, tunc saltibus apta iuuentus
Ad numerum cœtu ducit ouante choros.
At nihil est peius belloq; nocentius: adfert
Omne malum belli perniciosus amor.
Bella timore Dei mortalia pectora soluunt,
Bellicus euertit publica iura furor.
Bella nouenarum studijs inimica sororum,
Terrificis cogunt cedere plectra tubis.

Bella

Bella nouas uiolant dominante libidine nuptas,
Dira uerecundo bella pudore uacant.
Bella suis uiduant crudelia ciuibus urbes:
Eruta bellorum mœnia clade ruunt.
Nullus opes auget: nullas locat aduena merces:
Nullus agit belli tempore tutus iter.
Fertile nemo solum patrij tunc conserit horti:
Tunc sterili squallent arua relicta situ.
Ergo colas pacem: nec laudibus arma togatis
(Quantumuis fueris strenuus) ante feras.
Sic Deus incolumem te seruet, & omnibus ornet
Dotibus, ornatum te quibus esse decet.

## AD IOANNEM BOGVM, Regis Poloniæ aulicum.

## ELEGIA XII.

CVm nouus Aonidum cultor puerilibus annis
Celsa petiturus culmina montis eram,
Cülmina lauriferi montis, quem fonte perenni
Bellerophontæus nobilitauit equus.
Ingrediebar iter uestigia nulla secutus,
Meq; per ignotos error agebat agros.
Obsita nunc dumis, limosaq; rura uaganti,
Nunc mihi lassabant scrupea saxa pedes.
At procul aërio residens in uertice montis
Vidit ut errorem Calliopea meum,

Risit:

*Risit: meq; uocans, puer hac puer (inquit) eundum*
*Est tibi, pars nostri si cupis esse chori.*
*Ostenditq; uiam, quæ recto tramite, planum*
*Ad sacra Musarum limina ducit iter.*
*Est uia, non salebris, neq; callibus aspera duris,*
*Sed læto uiridis gramine: mollis humo.*
*Nec tamen inuentu facilis: nec quilibet illam,*
*Floribus & lauris cum sit opaca, uidet.*
*Hac ego, certa sequens ueterum uestigia uatum,*
*Conscendi propero culmina celsa gradu.*
*Tunc alacri plausu testatæ gaudia Musæ,*
*Imposuere meis laurea serta comis:*
*Et Sulmone satus pharetrati lusor amoris,*
*Ipse mihi dono plectra sonora dedit.*
*At memor erroris q; molestorumq; laborum*
*Quos subij quondam sustinuiq; puer,*
*Omnibus hanc doctis tyronibus esse putaui*
*Monstrandam, ostendit quam mihi Musa, uiam.*
*Nam uideo simili multos errore uagantes*
*Pegasei frustra quærere fontis aquam,*
*Limosasq; pigræ sordes haurire lacunæ,*
*Dum nequeunt sacro fonte leuare sitim.*
*Ergo breuem pueris confeci Boge libellum*
*Aonius quorum pectora uersat amor,*
*Vt qua perueniant ad docti limina Phœbi,*
*Indicio fiat semita nota meo.*
*Hunc legisse tibi si non est forte molestum*
*Dum meus hic præsens, hospes es, oro legas.*

## IN TVMVLVM ERARdi Hegelmanni uiri integerrimi.

### ELEGIA XIII.

VT quoq; post obitum supremaq; funera paucis
Versibus, ac tumuli notus honore forem,
Nec simul extincto cum corpore tota periret,
Famaq; Lethæis nostra daretur aquis:
Condidit hæc uates mihi iunctus amore Sabinus
Carmina, lectores admonitura mei.
Teutonico genitrix me sanguine Francia natum
Aspera montanis edidit ora iugis.
Dulcia legitimi sum fœdera pactus amoris,
Hic electriferi sunt ubi stagna maris.
Acta per immensos breuis est mihi uita labores,
Difficili functus munere scriba fui.
Detulit Albertus secreta negotia Princeps
Multa ministerio conficienda meo.
Officijs homines ac publica commoda iuui,
Inq; meo nullus pectore liuor erat.
In primis me cura sacræ pietatis, & ardens
Sinceræ tenuit relligionis amor.
Nota secuturis hæc opto nepotibus extent:
Sub tumulo mecum cætera condat humus.
Qui fuit æternæ Christus mihi causa salutis,
Exuuijs rursus uestiet ossa suis.

AD

ELEGIARVM
## AD EPISCOPVM VARMI- ensem Stanislaum Hosium.

## ELEGIA XIIII.

INuida me cogit fortuna relinquere sedem,
Quam mihi Regali Bregela monte dedit:
Præpetibusq; meus se Pegasus incitat alis,
Ad liquidas Viadri iam rediturus aquas,
Ergo uale Præsul, quem Varmia, Monsq; salutis,
Arbiter & flaui gurgitis Alla, colunt.
Sis felix nostriq; memor: te nostra uicißim
Semper inoblito pectore musa feret.
Te canet ad Viadri ripas: & ubiq; locorum
Soluet honorificis laudibus ora tuis.
Quàm mihi dulcis amor, quàm nomen amabile Bēbi,
Lumine uitali cum frueretur, erat:
Et pars quanta mei Dantiscus pectoris olim:
Tu modo pars animæ tanta futura meæ.
Vtq; illos colui, sic te dignißime Præsul,
In quacunq; licet sim regione, colam.
Ac meus ante suas amittit Pegasus alas,
Hosius ex animo quàm cadat ipse meo.

## AD POSTERITATEM PRO ILLV- strißimo principe Electore Ioachimo II. Marchione Brand. contra Paulum Iouium.

## ELEGIA XV.

Candida

Candida posteritas, olim quæ temporis huius,
Viuere quo nobis contigit, acta leges:
Historiam, Iouius quam nostro condidit æuo,
Plurima pro ueris falsa referre scias.
Ille quidem ueri studiosus (ut arbitror) egit,
Ederet ut scriptis non nisi uera suis,
(Tam præstantis enim clariq; uoluminis autor,
Quod facit, ingenij non leuitate facit)
Sæpe sed, Euganeæ quod & accidit urbis alumno,
Commentis habuit credulus ille fidem:
Falsaq; narranti deceptas præbuit aures:
Hinc, quæ cassa fide, sint quasi uera, refert.
Vt cum magnificis Perenum laudibus ornat,
Confecit patriæ qui mala multa suæ:
Cunq; ducem belli Ioachimum appellat inertem,
Magnanimiq; uiri pectus habere negat,
Principe quo uix est animi præstantior alter:
Illi militiæ detrahit omne decus.
Ad uada Danubij cingentem mœnia Pesti
Narrat degeneri sic trepidasse metu,
Vt sese abdiderit, neq; sit conspectus ab ullo,
Marte fero quoties pugna cienda fuit.
Infausti culpam belli deriuat in illum,
Vt qui nescierit munus obire ducis.
Multaq; præterea de principe narrat eodem,
Quæ nimis à uera sunt aliena fide.
Ergo secuturo ne tempore forsitan erres
Posteritas Iouij cum monimenta leges,

Accipe

Accipe uera, quibus mendacia tanti refellam:
(Quod dictum tanti pace sit oro uiri)
Non ego scriptoris proscindam carmine nomen
(Haud adeò nostro cessit ab ore pudor)
Sed referam fraudes intestinosq; tumultus,
Deploranda quibus Marchio damna tulit,
Et quibus est factum, licet imperterritus esset,
Ne gereret ductu prospera bella suo.
Præterit has fraudes Iouius tacitasq; relinquit,
Quas tamen historici prodere munus erat.
Subuentura suæ Germania fida sorori
Pannoniæ, duro quam pede Turca premit,
Iusserat armari ualidas in bella cohortes
Ipsa quibus miseræ ferre parabat opem,
Atq; arcere procul nostris à finibus hostem,
Regia qui Budæ mœnia capta tenet.
Totius imperij Ioachimus uoce rogatus,
Difficilis belli suscipiebat onus.
Iamq; uiris armisq; suis instructus ad Istrum
Venerat: inq; hostem ductor iturus erat:
Sed non imperij miles confluxerat omnis
Ante sub aduentum iussus adesse ducis.
Maxima pars aberat, lenteq; trahebat eundo
Tempus: erat subito pars reuocata domum.
Nam cum fama leuis de Cæsare sparsa fuisset,
Naufragus æquoreis quod perijsset aquis:
Horrida tempestas armorum mota procellis,
Teutona diuersis perculit arua locis.

Effera

Effera Cæſareos inuaſit Gallia fines,
Vrbibus ac rupto fœdera damna dedit
Quas pater umbroſa redimitus arundine Scaldis,
Quasq; uidet ripis ſurgere Moſa ſuis.
Belgica quin etiam populatus rura Sicamber
Funeſta populi non ſine clade fuit.
Atroci fremuit tellus quoq; Iulia bello:
Sumpſit in hanc ultrix Cæſaris arma ſoror.
Nobile Brunonis cognomen ab urbe tenentem
Saxones armata ui pepulere ducem.
Territus hoc ſubito uiolenti turbine martis,
Vicini metuit fulmina quiſq; ſui:
Pannoniæ nec opem tulit auxiliaribus armis
Cuiq; ſuæ propior cura ſalutis erat.
Auxilium quis enim, ducendaq; mitteret iſtuc
Agmina, diſsidio bella mouente domi?
Nec minus Hungariæ proceres, quos arma iuuabat
Noſtraq; ſancito fœdere ſigna ſequi,
Obſtantem fecere moram, Germania poſtquam
Languida diſtracto corpore facta fuit.
Ardua res ipſis eſt uiſa, laceſſere Turcam,
Marte domi noſtros impediente duces.
Cunq; forent tandem bis terq; quaterq; uocati,
Viribus auxerunt agmina noſtra ſuis,
Caſtraq; iunxerunt caſtris: ſed idonea bello
Aeſtas interea temporis acta fuit.
Et iam Pannonicis ubi iuncta cohortibus eſſet
Noſtraq; robuſtis uiribus aucta manus,

Non adducta prius belli tormenta fuerunt,
Expugnanda quibus mœnia quassa ruunt,
Quàm ni ido cœli fulgentem sydere Libram
Aureus alatis sol peragraret equis.
Obstitit aduerso ualidus luctamine uentus,
Tunc ubi Danubij subueherentur aquis:
Flatibus aßiduis animosus inhorruit Eurus,
Ceu foret Eois æquior ipse Getis.
Inde procellosis agitatæ fluctibus undæ
Tormentis grauidas impediere rates.
Tristia quid referam sæuæ contagia pestis?
Quæ quoq; pro nostris hostibus arma tulit,
Multorumq; dedit crudeli funere stragem,
Lætifera spargens noxia tela manu.
Qualia senserunt Danai, cum cincta premebant
Pergama, & Iliacas obsidione domos.
Humidus autumnus, uento turbataq; cœli
Temperies, diræ pestis origo fuit.
Adde quod in castris quoq; nulla pecunia præsens,
Militibus ductor quam numeraret, erat.
Non suggeßit enim discors respublica sumptum,
Vnica uel legio quo potuisset ali.
Aeger, nudus, inops exercitus æra petebat,
Indigno renuens murmure iussa ducis.
Hæc ea causa, nihil cur sit memorabile gestum:
Ecquid enim ductor, qui caret ære, gerat?
Quod uero Iouius plenum formidinis illum
Infami memorat delituisse loco,

Tunc

Tunc ubi tormentis Pesti concussa fuerunt
Mœnia: non uero teste probata refert.
Conueniente loco turmas erat inter equestres
Marchio, sublimi conspiciendus equo:
Omnibus hoc illis notum, quicunq; secuti
Bellica tunc armis signa fuere suis.
Quodq; sit intrepidus princeps expersq; timoris,
Ipsius ante manu parta trophæa probant.
Vix ingressus erat florentis prima iuuentæ
Tempora, uirtutis cum documenta dedit:
Turcica Casani fudit ducis agmina, quorum
Austria montanis occulit ossa iugis.
Cunq; sit Heroum generoso sanguine cretus,
Non hominis certe pectus inertis habet.
Fortibus eduntur fortes: claroq; parentum
Semine progenies orta, timore caret,
Non pauidam Veneris uolucrem Iouis armiger ales,
Imbellem generat non leo fortis ouem.
Ergo Posteritas Iouio ne crede, sed omnem
Hac in parte illi detrahe, deme, fidem.
Et uos Aonides, quibus est concessa potestas
Ornandi æterno laudis honore uiros,
Hoc precor impressum Ioachimo nominis ingens
Dedecus, hanc turpem uos abolete notam.

## IN ANNVLVM INCLYTAE coniugis, illustrißimi principis Nicolai Radeuilæ, Ducis Olycæ, Palatini Vilnensis.

## ELEGIA XVI.

ANnule quē digito tulit inclyta Principis uxor,
Ac mihi pergratum munus habere dedit,
Tunc ubi longinquas orator missus in oras,
Quas uicina polo despicit arctos, eram
Meq; potens Olycæ Dux in sua tecta uocari
Iusserat: herboso tecta locata solo:
Vnde breui distant spacio celeberrima Regis
Mœnia, quæ Vilnæ nomen, ab amne tenent.
Ecquibus ornabo te laudibus annule? primum,
Non leuis es precij uile nec artis opus.
Insignem rutilo gemmam complecteris auro,
India quam calido sole perusta tulit.
Orbis & ex auro tuus est, quod nascitur illic,
Surgit ubi aërijs Pannona terra iugis.
Artificisq; manus te docta coloribus ustis
Pinxit, ut hac rara gratior arte fores.
At licet excellas gemma pretiosus & auro,
Fecerit artificis teq; perita manus:
Hoc tamen inprimis mihi nomine gratus haberis,
Fœmina quod dono te mihi tanta dedit,
Illustri quæ nupta Duci, quæ clara parentum
Stirpe, decus magnæ nobilitatis habet,

Lauda-

Laudatamq; refert Helenæ pulcherrima formam:
Sed thalami non sic frangit, ut illa, fidem.
Nanq; pudicitiæ leges, & honesta tuetur
Casto legitimi corpore iura tori.
Pluris ob id fies: charisq; uidendus amicis
Sæpius in digito conspiciere meo.
Te mea quin etiam festis quandoq; diebus
Induet articulis uxor amata suis.

## DE CRATERE SVO Philotesio.

## ELEGIA XVII.

INter inauratas pateras, & munera regum,
Quæ mensam decorant conspicienda meam,
Talis hic est crater fulgenti splendidus auro,
Docte fuit crater qualis Erasme tuus,
Dulcia quo musis & amicis uina solebas
Propinare, tuos cum subiere lares.
Ille potentis erat pretiosum & nobile munus
Principis: hunc etiam Principe dante tuli:
Principe, quo gaudent Litaui: quem regia iactat
Vilna Palatini nomen habere sui.
Ille ministrabat musarum nectar alumnis,
A quibus & crater dictus amoris erat:
Hic quoq; Pieridum, quibus est sacratus, alumnos
Nectare concordes exhilarante facit.

Illum fama manet nullo interitura sub æuo:
Huius erit similis carmine fama meo.
Hunc ego siue meis proponam lætus amicis
Siue tuo plenum Bacche liquore bibam,
Verba relaturus sum talia, pignus amoris
Hoc mihi Nicoleus Dux Radeuila dedit.

## AD IOANNEM SCHOSSErum, laurea Poëtica & insignibus nobilitatis à se ornatum.

## ELEGIA XVIII.

Regia qui gestant trabeati sceptra Quirini,
Distinctos hominum constituere gradus
Vt uirtus in honore foret: nec inertibus essent
Hi, quibus ingenium nobile & acre, pares.
Nam uelut agricolæ distinguunt semina frugum,
Et meliora serunt fertiliore solo:
Sic quoq; secerni decet hos à plebe, merentur
Qui clarum ingenio nobiliore decus.
Ergo magnanimo qui pectore castra secuti
Fortiter hostiles sustinuere manus:
Aut qui uirginei conscenso culmine montis
Aonidas studio demeruere suo:
His tribuunt reges, uel nobilitatis honorem,
Laurea uel nitidis serta gerenda comis.

Cum uero teneant ſpacio diſtantia longo
Oppida: nec poßint omnibus eſſe locis:
Mandauere ſuis munus regale miniſtris,
Qui tribuant claris nomen equeſtre uiris.
Et celebres ornent uates Daphneide lauro,
Dulce canens quorum labe Camœna caret.
Roma Palatinos Comites hos nominat ipſos,
Tale quibus regum munus obire licet.
Hos inter Comites ego ſum quoq; nomen adeptus:
Aula Palatinum me Laterana uocat.
At, mihi ſi quisquam lauro donandus: haberi
Hic Schoſſere tibi candide debet honos.
Aequat enim celebres tua carmine muſa Poëtas,
Quos uetus Auguſti tempore Roma tulit.
Lenia ceu placido labuntur flumina curſu
Conſita quæ blandis floribus arua ſecant,
Sic iucunda fluunt leni tua carmina ductu,
Et nihil in numeris aſperitatis habent.
Inſigniq; nitent cultu: referuntq; ſonoros,
Naſo dedit quales ore canente, modos.
Ergo laurigeri quo uatis honore fruaris,
Cingo tuum lauri fronde uirente caput.
Nec pudeat noſtro te munere ferre coronam:
Haud minus iſte meo munere creſcet honos,
Quàm ſi bellipotens eadem tibi ſerta dediſſet
Carolus, imperij qui moderatur opes.
Nanq; ego iudicium de carmine carminis autor
Belligero melius Cæſare ferre queo.

*Præterea quo maior honos & gloria maior*
*Excitet ingenium docte Poëta tuum,*
*Confero Laurigero uati tibi nomen equestre,*
*Quicquid & ordo simul iuris equester habet.*
*Hinc tua posteritas generosa uocabitur omnis,*
*Est è legitimo si qua futura toro.*
*At quibus utaris clarorum more uirorum,*
*Hæc monimenta tuæ nobilitatis erunt,*
*Cæruleus clypeus: uiridi galea aurea lauro*
*Præcincta: in clypeo fortis imago uiri.*
*Arma uir indutus fuluo cælata metallo*
*Stabit: is alatos debet habere pedes.*
*Falcatum dextra gladium, læuaq; tenebit*
*Impexum torto Gorgonis angue caput.*
*Talia tradantur tibi cur insignia quæris?*
*Inachidæ uatem Regis imago decet.*
*Ille nisi anguicomæ secuisset colla Medusæ,*
*Ipse Medusæus non foret ortus equus:*
*Irrorare quibus soliti sunt ora Poëtæ*
*Pegaseas Helicon mons nec haberet aquas.*
*Te uirtute sua Danaëius excitet heros:*
*Inflamment animos illius acta tuos.*
*Horrendam gladio confecit ut ille Medusam:*
*Sic te barbaries conficiente cadat.*
*Quod superest, istis insignibus utere felix:*
*Lauriger ac titulum nobilitatis habe.*

FINIS.

# CÆSARES GERMANICI DESCRIPTI A GEORGIO SABINO Brandeburgensi.

## EOBANVS HESSVS.

VNius immenso monimenta uolumine dixit
Mæonides, Ithaci claraq; facta ducis,
Multorum exiguo monimenta uolumine dixit,
Hoc duplici claudens fine Sabinus opus.
Accipe nunc generosa tuas Germania laudes
Ni sis, ut solita es, nescia forte tui.
Quanta sit ingenij, quæ gratia carminis huius,
Tam te scire uelim, quam rogo ut ista legas.
Si qua fides tamen est senioris habenda poetæ,
De iuuene, oracli carmen id instar habe,
Me nisi fama chori uatum uulgata fefellit,
Gloria Pieridum prima Sabinus erit.

# DE CAESARIBVS GERMANICIS.

## LIBER I.

### CAROLVS MAGNVS.

CArolus antiquis Francorum regibus ortus,
Imperij meruit uindice sceptra manu,
Cum Desiderij feræ contudit arma tyranni,
Finibus Ausonijs qui metuendus erat.
Cumq; rebellantes per multos Saxonas annos,
Traiecto domuit flumine Mœne tuo.
Excisis Auarum compescuit urbibus Hunnos,
Gens quibus asperior cognita nulla fuit.
Condidit & septem deductis castra colonis,
Pæoniæ celsis aspicienda iugis.
Atq; Saracenos ab Iberi depulit undis,
Irrigat Hesperios huc ubi Bætis agros.
Astrorum cursus, & fata regentia mundum,
Scrutari solitus tempore pacis erat.
Addictusq; fuit concessa per ocia Musis,
Doctus in alternos cogere uerba pedes.
Carmina, morte quibus Rolandum fleuit ademptum,
Quattuor hæc eius nomine uulgus habet,
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris binos octo super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.

Teutones

Teutones arctois etiam quibus utimur oris,
Nomina bissenis mensibus ipse dedit.
Cum quater, à decimo, tria lustra peregerat, anno
Vltima longæuum fata tulêre senem.

## LVDOVICVS PIVS.

Filius imperij cœpit Ludouicus habenas,
Nomen ab insigni qui pietate tulit.
Hic studium pacis cum bella perosus amaret,
Marte tamen clarus militiaq; fuit.
Cymbrica sedato pacauit regna tumultu,
Exitium fratri fratre mouente suo.
Compulit & sumptis absistere Britonas armis,
Stricta iubens sæua ponere tela manu.
Expulit Ausonios & Tybridis urbe Quirites,
Qui caput exortæ seditionis erant.
Fœlix, si sterili sobolem natura negasset,
Nullus & uxoris cognitus esset amor.
Quos genuit natos, crudeles repperit hostes,
A quibus heu captus uincula sæua tulit.
Mox tamen ereptus fatali carceris antro,
Cœpit honorata reddita sceptra manu.
Emeritam clausit supremo fine senectam,
Mogus ubi Rheni cornua miscet aquis.

## LOTHARIVS I.

Laude nihil dignum famaq; Lotharius egit,
Intulit iniustus fratribus arma suis:

A qui-

*A quibus aduerso belli certamine uictus,*
*Tristia cum turpi damna pudore tulit.*
*Dignus hic iniustis solet exitus esse tyrannis,*
*Impius in tantum quos scelus error agit:*
*Nominis ut fama, regniq; cupidine ducti,*
*Horrida cum proprio sanguine bella gerant.*

## LVDOVICVS II.

*Regia defuncti Ludouicus sceptra parentis,*
*Imperij summo dignus honore tulit.*
*Vandalicæ fregit superato principe gentis*
*Instabiles animos, instabilemq; fidem.*
*Huius ut in duro uirtus est cognita bello,*
*Sic etiam miti cognita pace fuit.*
*Ingenuas coluit studijs ac sumptibus artes,*
*Quæ multis odio regibus esse solent.*
*Tempore Cæsareas à quo suscepit habenas,*
*Bis geminis lustris additus annus erat:*
*Ausonijs placida cum morte quieuit in oris,*
*Insubrum celebri conditus urbe iacet.*

## CAROLVS CALVVS.

*Carolus imperij fraudauit honore nepotes,*
*Qui licet iniustus, uir tamen acer erat.*
*Deuicit Ligurum populantes æquora Mauros,*
*In celerem uertens barbara terga fugam;*

Et pro-

## GERMANICI

Et procul occiduo submotos orbe Britannos
   Compulit optatæ pacis amore frui.
Mincius Andinos ubi flumine proluit agros,
   Mixta bibit medici fraude uenena sui.

## CAROLVS CRASSVS.

CRassus ab infesto submouit Pannonas Istro,
   Cimbrica uictrici fudit & arma manu.
Sed quàm fortis erat primis & strenuus annis,
   Tam senio factus mollis inersq; fuit.
Regis ob ignauam priuatus nomine uitam,
   Turpiter imperio decidit ipse suo.

## ARNOLPHVS.

ASpera cum Cimbris Arnolphus prælia fecit,
   Quos patria domitos uictor abegit humo:
Gallica qui longo uastantes oppida bello,
   Non leuis imperio causa timoris erant,
Cepit & Ausoniam depulsis ciuibus urbem,
   Templaq; militibus diripienda dedit.
Quas meruit iustas soluit pro crimine pœnas,
   Syllanis moriens uermibus esca fuit.

## LVDOVICVS III.

TErtius indomitis Ludouicus uictus ab Hunnis
   Multa tulit forti non patienda uiro.

*Perdere uindicibus quos ultor debuit armis,*
*Turpiter his empta pace tributa dedit.*
*Ingressus modico Veronæ milite portas,*
*Venit in hostiles, captus ab urbe, manus:*
*Supplicioq; graui membris genitalibus orbus,*
*Est datus, Insubrum rege iubente, neci.*

## CONRADVS I.

M*Arte ferox Scythicis Conradus restitit Hunnis,*
*Atq; neci uictor millia multa dedit:*
*Aenus ab Alpina præceps ubi rupe uolutus,*
*Humectat gelidis Norica rura uadis.*
*Francorum ueteri postremus origine Cæsar,*
*Stirpe fuit gentis deficiente suæ.*

## HENRICVS AVCEPS.

C*Vm sine legitimis defuncto Cæsare natis,*
*Regia progenies nulla superstes erat:*
*Albis ad arctoas Henricus transtulit undas*
*Sceptra, Luitholdo Saxone natus auo.*
*Fallere quod uolucres laqueis uiscoq; solebat,*
*Aucupis aucupij nomen ab arte tulit.*
*Hic domitis cogens mitescere cornibus Istrum,*
*Norica uastatis oppida cepit agris.*
*Misniacis celebri fama notissima terris,*
*Vrbs uetus à Martis nomine dicta iacet,*

Ad quam Pannonici contundens agmina regis,
Barbare te patria depulit Hunne sua.
Effera quid posset uirtute Bohemia sensit,
Inq; fugam celeri Dalmata uersus equo.
Marchiacæ pariter sensit ferus incola terræ,
Structa super ripas urbs & Hauele tuas:
A duce quam Brenno fundatam Teutones olim,
Vandalici sed tunc incoluêre duces.
Vt foret insignis uictoria nota triumphi,
Laudibus hic statuit digna trophæa suis:
Conditor erexit celsi fastigia templi,
Quod de Christipara uirgine nomen habet.
Mortuus est senos ubi quinq; bis egerat annos:
Non habuit longo tempore Roma parem.

## OTHO MAGNVS.

SAxonicis domitos Otho finib. expulit Hunnos,
Quos pater augusta uicerat ante manu:
Hosq; reuertentes ingenti clade peremit,
Hic ubi Sueuorum perfluit arua Lycus.
Centum uulneribus ceciderunt millia, septem
Vix sibi difficili consuluere fuga.
Bella lacessitus cum fratre domestica gessit,
Ad Rheni uictor quem superauit aquas.
Hostiliq; truces inuadens marte Bohemos,
Subdidit imperio regia sceptra suo.
Ausus & inuito Romam censere senatu,
Prisce dedit populo iura Quirine tuo:

Pasto-

Pastoremq; Dei lacero praefecit ouili,
Qui pius ac tanto munere dignus erat.
Cepit & Insubrum deuicto moenia rege
Ticini ferro depopulatus agros.
Argiuum Calabris eiecit montibus hostem:
Et Beneuentanum depulit urbe ducem.
Marte rebellantes Heduos, Gallosq; subegit,
Ingressus fines Sequana terra tuos.
Vicit & Hectorea natos ab origine Francos,
Imperij nobis qui peperêre decus.
Mogus ubi inuicto miscet sua flumina Rheno,
Et generi & nati contudit arma sui.
Inuida quae longo tellus absconderat aeuo,
Eruit Hercinijs prima metalla iugis.
Albiacis urbem uicinam condidit undis,
Quae de uirginibus nomen adepta tenet.
Clara sub hoc meruit Germania principe, laudis
Quicquid habet Latium, Graecia quicquid habet.

## OTHO SECVNDVS.

NEc fuit inferior primo uirtute secundus,
Multa domi gessit praelia, multa foris.
Danubius rapidis ubi Norica perfluit undis
Iugera, conseruit cum patruele manus:
Ipsius ambibat qui seditiosus honores,
Factus & iniusto marte rebellis erat.
Sole coloratos Mauros, Numidasq; feroces,
Finibus eiecit Daunia terra tuis.

Victa

Victa triumphalem dedit illi Græcia palmam,
Infectasq; sua Gallia cæde manus.
At nauale gerens externo milite bellum,
Incidit in Siculas proditione rates:
Captus ubi docto prædones ore fefellit,
Quod poterat Graio reddere uerba sono.
Aequa solo posuit Beneuenti mœnia flammis,
Hac quod ab infida proditus urbe foret.
Passa sub hoc longum Germania Cæsare frigus,
Penè fuit sæuo tota perusta gelu.
Tempore quo calcat maturas uinitor uuas,
Bruma repentinas sparsit oborta niues:
Et concreta suum tenuerunt flumina cursum,
Donec hyems tepido uere soluta fuit.
Cœruleus leni quam perfluit agmine Tybris,
Mortuus extremum clausit in urbe diem.

## OTHO III.

VEnit ad imperium teneris Otho tertius annis,
Imperio nondum cum satis aptus erat:
Sed matura uirum quo tempore fecerat ætas,
Nec patre, nec forti degenerauit auo.
Germano Latias ingressus milite terras,
Romulea cepit mœnia facta manu:
Crescentemq; illic hostilibus obruit armis,
Cæsaris Aeneadæ quem coluere loco.
Victor & eripuit bella certamine capto
Pontifici, fossis lumen utrunq; genis:

Nil ueritus summi quod ianitor esset olympi,
Cœlestes posset qui reserare fores.
Vt penes immensi nos tota potentia mundi,
Semper & imperij gloria summa foret.
Regia constituit quibus est electio curæ,
Præcipua septem nobilitate duces:
Teutonicaq; genus qui non ab origine ducunt,
Hæredes uetuit nominis esse sui.
Legibus acceptum Germania debet Othonis
Ferre, quod imperij laudibus aucta manet:
Et quod adhuc nostri uiget integra gloria regni,
Gloria, Francorum quam peperêre manus.

## HENRICVS CLAVDVS.

CVm priuatus adhuc princeps Henricus agebat
A patruele suo uictus Othone fuit:
Sed postquam summos est Cæsar adeptus honores,
Auspicijs gesit prospera bella suis.
Coniugis edomuit fratrem, semperq; rebellis
Ipsius est forti milite capta Metis.
Cinxit & infestis Gandaui mœnia signis,
Tempore quo subijt Flandria uicta iugum.
Oenotrijs hostes Argiuos expulit oris:
Contudit & Phrisios, Marte fauente, duces.
Sarmatica iunctos fudit cum gente Bohemos:
Omnes Vandalici fregit & hostis opes.
Rege sub hoc, ueterum cultus exosa deorum,
Pannonis est Christi terra professa fidem.

Magnus

Magnus & insolitis arsit feruoribus æstus,
Ortus ubi uterno tempore Maius erat.
Sole laborantes ussit sitis arida campos:
Ac perijt culmis languida facta seges.
Vnde per Europam uictus annona negauit,
Pestis & est longam dira sequuta famem.
Additus Henricus cum celite coniuge diuis,
Annua promeruit numine festa suo.

## CONRADVS II.

Signa Pharetratos mouit Conradus in Hunnos,
A quibus infesto marte petitus erat.
Versaq; pugnaces Heduos dare terga coëgit,
Quos Burgundiones tempora nostra uocant.
Sarmaticum regem dum fortibus adiuuat armis,
Qui patrijs exul sedibus actus erat:
Sæpe triumphatos affecit clade Polonos,
Sæpe Bohemorum cæde repleuit humum.
Vda paludosis habitatur terra Sicambris,
Martia uulgatum Geldria nomen habet:
Aeger in hac obijt supremo funere mortem,
Imperium nato suscipiente suo.
Rhenus ubi Nemetum ueterem præterfluit urbem,
Conditus in diuæ uirginis æde iacet.

## HENRICVS NIGER.

Pannonio geminos Henricus ab hoste triumphos
Contusis retulit uiribus Hunne tuis;

Non negat algenti Sauus id conterminus Iſtro,
Purpureum cuius ſanguine flumen erat.
Compulit & fortes celeri uirtute Bohemos,
In ſua ſubmiſſas tendere iura manus:
Hic ubi flauentes exæſtuat Albis arenas,
Et celer undoſo gurgite Mulda fluit.
Vicit & extremos Morinos, Belgasq́; potentes:
Dedita tunc ſtudijs gens ea martis erat,
Nunc agit imbellem diſcincta per ocia uitam,
Mutandisq́; ſuas mercibus auget opes.
Tres quoq; pontifices Romana ſede potitos
Arbiter Auſonia cedere iuſsit humo.
Quæq; graues olim belli motura tumultus
Cauſa fuit, nato pernicioſa ſuo:
Sedis Apoſtolicæ proceres iurare coëgit
In patriam fecit cum rediturus iter,
Vt quicunq; ſacri munus paſtoris obiret,
Cæſaris electus uoce probante foret.
Qua ſitus eſt genitor, requieſcit in urbe ſepultus
Ad liquidas Rheni prætereuntis aquas.

## HENRICVS IIII.

GRegorium ſacræ priuauit honore cathedræ
Quod magicæ ſtudio deditus artis erat,
Et contra mandata ſui legesq́; parentis
Pauit, apoſtolico munere functus, oues.
Cumq; rebellarent antiſtitis arma ſecuti
Qui ripas habitant Saxones Albi tuas:

Vaſtatos

Vastatos incendit agros, pœnamq; coëgit
 Oppida uindictæ capta subire suæ.
Vltus & est digna mulctatum cæde Rodolphum
 Carmine cum tali qui diadema tulit:
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho:
 Munus enim falsi præsulis istud erat.
Hunc, ubi prostratus uiolenta morte iacebat,
 Delicti puduit pœnituitq; sui,
Tam quod ob indignam deserto principe causam,
 Impia Pontificis iussa secutus erat.
Scilicet aspiciens mutilatam uulnere dextram,
 Talia mœrenti pectore uerba dedit.
Ergo quod iniustus cum Cæsare prælia feci,
 Bellaq; suscepi marte nephanda meo,
Iuratamq; fidem manus hæc scelerata fefellit:
 Perfidiam pœna conueniente luo.
Post ducis interitum supremaq; fata Rodolphi
 Cæsar ubi facta pace quietus erat,
Imperio nati crudelibus excidit armis:
 Res ea Pontificis fraude peracta fuit.
Exul apud Belgas lumen uitale reliquit:
 Defuncti Nemetum corpus in urbe iacet.
Teutones hoc Solymam uiuente recepimus urbem
 Cæsare, quæ longo tempore capta fuit:
Quam ferus Aegypti regnator ademerat armis,
 Imperio cuius subdita Memphis erat.

## HENRICVS V.

Iusta tulit natus scelerati præmia facti,
Proq; sua pœnas impietate dedit:
Quem prius adiutum socijs defenderat armis,
Detestanda gerens cum patre bella suo:
Terribiles huius diras & fulmina sensit:
Hæc solet Ausonij præsulis esse fides.
Cæsar at æquali fraudem mercede rependens,
Fecit in Italiam cæde cruentus iter:
Omnia concutiens ubi tristibus oppida bellis,
Hostili Latios igne cremabat agros.
Martia quæ iactat se nomine Roma Quirini,
Plena cadaueribus, sanguine plena, fuit.
Discedensq; sui crudelia signa furoris
In patriam uictor cum referebat humum:
Vincula Pontificem captiui more gerentem
Ante triumphales ire coëgit equos.
Quattuor hoc uno signantur marmora uersu,
Quo situs in Nemetum conditur urbe loco:
Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet istic:
Marmora uisuris inspicienda patent,
Surgit ubi diuæ templum uenerabile matris,
Quæ sacra uirgineo pondera uentre tulit.

## LOTHARIVS SAXO.

Saxo rebellantes uirtute Lotharius urbes
Compulit imperij fœdus inire sui.

Hostilem

Hostilem domuit Capuam, domuitq; Cremonam:
Multaq; diuersis oppida capta locis,
Addua quæ gelidis, quæ perfluit Aufidus undis,
Ac taurina gerens cornua fronte Padus.
Noricus ultori Pegnesidos accola ripæ,
Obsessa domitam tradidit urbe manum.
Captaq; de Nemetum uictorem plebe triumphos
Spira coronatis ducere uidit equis.
Formidanda sui spernentem fulmina martis,
Te quoq; Cæsareo subdidit Vlma iugo.
Nec minus urbanas ad pacis idoneus artes,
Fortia quàm belli promptus ad arma fuit.
Restituit ueterum neglecta uolumina legum,
Inq; scholis iußit publica iura legi,
Quæ prius obscura sub nocte sepulta iacebant,
Plenaq; squalebant puluere, plena situ.
Ipse suo dictam de nomine condidit urbem,
Mortuus in patria qua requiescit humo.

## CONRADVS SVEVVS.

MAgnanimos Cõradus agens in prælia Sueuos
Ad Solymas longum per mare fecit iter:
Aduentusq; sui formidine terruit hostem,
Victor Idumæam qui populatus erat:
Vindice quem dextra Iordanis ab amne fugauit,
Humectat Pharios huc ubi Nilus agros.
Ac celebri partum ducturus laude triumphum,
Cum reduci patriam classe petebat humum,

Nomen ubi ponto Nepheleias induit Helle,
Vastus & Euxinas Bosphorus arctat aquas:
Perdidit inuictas amisso milite uires,
Hospitis indigna proditione sui.
Ergo nec immeritas expendit Thracia pœnas,
Nunc ab inhumanis capta Borysthenidis.
Sustinet imperium Getici crudele tyranni,
Quod fuit in iustos fraude maligna duces.

## FRIDERICVS BARbarossa.

INclyta Germanæ Fridericus gloria gentis,
Ingenio duri martis amante fuit.
Sedibus ac regno Gelphos eiecit auito,
Pingue Cheruscorum qui tenuêre solum:
Saxonici pulsis quibus Electoris honores
Abstulit, Ascaniæ principibusq; dedit,
Quos tribus augustis natos ab Othonibus aiunt
Nobile Cæsarei sanguinis esse genus.
Eruit Insubrium disiectam funditus urbem,
Tempore quo summi præsulis hostis erat:
Remq; breui gestam signari carmine iussit,
Hic stetit Insubrium nobile gentis opus.
Mos antiquus erat, qui publica commoda pacis
Cæsare turbasset bella gerente foris,
Totius imperij reus inspectante senatu,
Vt canis impositum, corpore ferret, onus.

Ergo quod Italicis dum concita geßit in oris
Bella, Palatinus mouerat arma domi:
Hunc, licet inuitum detractantemq;, coëgit
Inclyta per Nemetum mœnia ferre canem.
Imposuitq; duci nomen regale Bohemo,
Qui sua militiæ signa secutus erat:
Cuius in ambiguo sæui discrimine martis,
Sæpe fuit uirtus, sæpe probata fides.
Cum Veneto geßit quo tempore bella senatu,
Procubuit summi Præsulis ante pedes:
Supplice delicti ueniam, quibus, ore precatus,
Oscula cum turpi fixa rubore dedit.
Terrarum dominum quid inani ludere fastu,
Iuuit Pontificem Roma superba tuum?
Armeniæ uitam submersus in amne reliquit,
Fortia cum sæuis intulit arma Getis.
At nisi crudeli præuentus morte fuisset,
Imperij fines ultima Bactra forent:
Hostis & Europæ qui nunc affectat habenas,
Vix Asiæ minima parte teneret humum.
Hoc stetit, hoc cecidit Respublica Cæsare Christi,
Quæ sine nunc ullo uindice lapsa iacet.

## HENRICVS VI.

TRistia submersi natus post fata parentis,
Regia concordi sceptra fauore tulit.
Obsidione premens Vbiorum mœnia cinxit,
Vltus & est capta Præsulis urbe fidem:

Qui Burgundiacæ confiſus robore gentis,
Imperij lapſas deſpiciebat opes.
Edomuit uictor Calabras & Iapygis oras,
Pulſaq; Sicanio trinacra regna mari:
Sunt ubi Cyclopum fumantibus antra caminis,
Vrget & Enceladi molibus Aetna caput,
Cuius anhelanti prorumpunt ore fauillæ,
Brachia cum ſæuo fulmine tacta mouet.
Funeris ante diem nato commiſit habenas,
Imperium certo ne ſine rege foret.

## PHILIPPVS.

CAeſarea pepulit de ſede Philippus Othonem,
Proq; ſuo regni frena nepote tulit:
Donec is utilibus creſcens adoleſceret annis,
Qui patris electus tempore Cæſar erat.
At Romana pium damnauit curia regem,
Curia quæ nunquàm regibus æqua fuit:
Cæſaream ſtygijs animam deuouit & undis,
Præſul enim pulſi fautor Othonis erat.
Motus ob id ſæuos tulit arma Philippus in hoſtes,
Conſilio quorum res ea geſta fuit.
Diripuit captas Vbiorum præſulis urbes,
Qui totius erat fons & origo mali.
Tyrigetasq; acres domuit, quos noſtra Doringos
Barbara corrupto nomine lingua uocat.
Poſt uarios belli caſus, actosq; labores,
Dum ſecura trahens ocia, ſolus agit:

Ac iubet incidi turgentem ſanguine uenam,
Traditus occubuit militis enſe neci.

OTHO IIII.

SVmmus ad imperium præſul reuocauit Othonē
Mox ubi ſublatus cæde Philippus erat.
At Deus exegit pœnam iuſtißimus ultor:
Cæſareas paruo tempore rexit opes.
Excidit imperio Romani fulminis ictu,
Læſus ubi ſpreto numine præſul erat.
Hic, quibus inceßit dominandi praua cupido,
Exitus iniuſtus regibus eſſe ſolet.

# DE CÆSARIBVS GERMANICIS.

## LIBER II.

### FRIDERICVS II.

IMperium pulſo Fridericus Othone ſecundus
Cepit, ubi natus bis duo luſtra fuit:
Quem prius exoſum Romanus præſul habebat,
Cum regale puer nomen adeptus erat:

Legiti-

Legitimusq; patri succedere debuit hæres,
Præripiente fero munus Othone suum.
Sueuus hic Argolicis potuit depromere uerbis
Omnia, quæ uoluit scribere, siue loqui.
Eq; Saraceno uersos sermone libellos
Transtulit in linguam Roma diserta tuam.
Marte Brabantiacas urbes populosq; rebelles,
Atq; Lotharingos contudit acre genus:
Adductoq; procul ferientes Pannonas arcu,
Quos Sauus & gelidis asperat Ister aquis.
At dum uindicibus repetitas asserit armis,
Quas sacer imperij præsul habebat, opes:
Ianitor intumuit cœlestis Honorius aulæ,
Formidata mouens numinis arma sui.
Offensi metuens Fridericus præsulis iram,
Posset ab hostili tutus ut esse dolo,
Imperij natum consortem in sede locauit:
Falsa sed heu quantum pectora fraudis habent:
Natus ad infestum desciuit perfidus hostem,
Quo patris adiutor tempore factus erat.
Captus ob id facinus, uinclisq; coercitus arctis,
Supplicio pœnas conueniente dedit.
Expulerat Solymum Nili ferus accola regem,
Cæsaris implorans ille petebat opem.
Cæsar Idumæas cum classe profectus ad urbes,
Auxilium regi marte fauente tulit:
Sed procul externis dum belligeratur in oris,
Ausoniam præsul fraude subegit humum;

Atq;

Atq; per insidias, ab Hetruscis capta, recepit
Oppida, Cæsareæ quæ ditionis erant.
Idcirco Solyma Fridericus ab urbe retractus,
Mouit in infidum præsulis arma caput.
Effera tunc Italas turbauit factio gentes:
Factio perpetui noxia causa mali.
Partibus augusti fautor Gibelinus adhæsit,
Pontificiq; tulit transfuga Gelphus opem.
Ipse suis præsul sed cum diffideret armis,
Auxilio tutus posset ut esse Dei:
Regis in exitium templis decreta fuerunt
Mille sacerdotum murmura, mille preces.
At Deus iniustis obstruxit uocibus aures:
Irrita præcipites uerba tulêre noti.
Qui pugnacis erant fera præsulis arma secuti,
Cæsarea uicti succubuêre manu:
Euganei Phrygia Veneti de stirpe creati,
A quibus Adriacum nunc mare nomen habet.
Interea Solymas hostis Mahometicus arces
Occupat: hæc illa commoda lite tulit.
Ergo quod à Scythico Iudæa subacta tyranno
Oppida, synceram destituere fidem:
Quodq; prophanatus locus est, ubi rector olympi
Sanguine deleuit crimina nostra suo:
Hoc Romana tuæ debetur curia fraudi,
Præsulis hæc bellum culpa gerentis erat:
Qui nisi uictoris remoratus cæpta fuisset,
Acta sub imperium Caspia regna forent:

Impia

Impia sensisset Sueuorum Turcia uires,
Ac dominus Nili Rhene futurus eras.
Pulsus ab infestis sed cum Ptolemaide Turcis,
Teutonicæ miles nobilitatis erat:
Aduersus Scythiæ populos Asiæq;, relictus
Cæsare qui Solymis digrediente fuit:
Vicit adorantes Idola uetusta Borussos,
Aequor ubi canis succina gignit aquis.
Ipse sed æthereas qua morte reliquerit auras,
Non perhibet certam cognita fama fidem.
Si quid habent priscis annalibus edita ueri,
Creditur extremam non obijsse diem.
Arx uetus est, primus fundasse Lotharius illam
Fertur, ab authoris nomine nomen habet:
Istic rumor ait somno dormire solutum,
Ante nec effœto corpore posse mori:
Quàm Geticus Solyma pellatur ab urbe tyrannus,
Cæsareumq; ferat Turcia capta iugum.
Huius enim uiua sub regis imagine spectrum,
Conspicitur tepido membra fouere toro,
Frigida cum medio uoluuntur sydera lapsu,
Et subuecta rotis nox tenet atra polum.

## CONRADVS IIII.

Mortuus in tristi cum carcere filius esset
Regis, ab offenso qui patre captus erat:
Frater adoptatus fratris Conradus honores
Auspicio regni prosperiore tulit.

Hic

Hic cum Tyrigetis ad Mœnum prælia fecit,
Dura gerens forti pro patre bella manu.
Sed fuit à summo deuotus præsule diris,
Dum negat illius iussa superba sequi.
Vrbs ubi Parthenope sublimibus ardua muris
Surgit, & æquoreis pulsa feritur aquis,
Reddidit expirans animam, natoq; reliquit
Frena parum fausta suscipienda manu:
Deficiente suæ qui stirpe propaginis, hæres
Vltimus ex tota gente superstes erat.
Hunc Papa crudeli uiolenter cæde necauit:
Sueuia principibus sic fuit orba suis.
O faciles animos, & mitia pectora regum,
Hæc à præsulibus quod potuêre pati.
Iusticiæ ficto quoties te nomine iactas,
Hoc agnosce tuum crimine Roma scelus.

## GVILHELMVS.

DVm gerit incautis bellum temerarius armis,
Nec satis instructo prælia marte facit:
Occidit à Phrisio Guilhelmus milite cæsus,
Per geminos annos uix ubi sceptra tulit.
Huius ab interitu sedes sine rege uacauit,
Dum tria sunt annis addita lustra tribus.
Interea magno fremuit Germania motu,
Factaq; sunt multis prælia multa locis.
Cum duce dux bellum, princeps cum principe gessit:
Vlla nec urbs solida pace queta fuit.

Scilicet ut certo naues rectore carentes
Obruit insani fluctus & unda maris:
Sic labefactatur belli ciuilibus undis,
Imperij sedes cum sine rege uacat.

## RODOLPHVS.

Compoſuit mitis ciuilia bella Rodolphus,
Temporibus pacem reſtituitq; ſuis.
Marte Doringiacas latronum ſubruit arces,
Aduena frugiferos qua Sala findit agros.
Vltus & eſt iuſtis Odoacrem fortiter armis,
Regna ſub arbitrio Vandala cuius erant.
Boiorumq; ducem domuit: Sueuumq; ferocem
Qui duo cum gemino cornua piſce gerit.
Norica finitimis iacet urbs contermina Francis:
Diuitijs uſquàm uix habet illa parem.
Huius honorificum titulum nomenq; Rodolphus,
Principibus dono cum regione dedit,
Qui piſcoſa tuæ dominantur Marchia terræ:
Ac titulos hodie Noridos urbis habent.

## ADOLPHVS.

Auſtriaco bellũ cum principe geßit Adolphus,
Sceptra trucidatus quo capiente fuit,
Hic ubi Vangionum ſedes urbemq; uetuſtam,
Alluis inſtabili Rhene bicornis aqua.
Vrbs fuit hæc uaſtis habitata Gigantibus olim,
Corpora cum tellus prodigioſa tulit:

Vt teſtan-

*Vt testantur, ubi grauibus quæ nexa cathenis,*
*In medio pendent ossa stupenda foro:*
*Qualia Trinacrio memorant subiecta Peloro,*
*Grandia congestis molibus ossa premi.*
*Quin & Misniacæ Fridericus Marchio terræ,*
*Qui profugæ morsus dente parentis erat:*
*Hunc fera miscentem superauit prælia uictor:*
*Mœnibus angustis urbs ubi parua iacet,*
*Tyrigetis fortes quæ limite separat Hessos,*
*A crucis & nomen monte uocata tenet.*

## ALBERTVS PRIMVS.

*INtulit Albertus uiolentis arma Bohemis,*
*Attribuens nato regna tenenda suo.*
*Et Moguntiaco gessit cum principe bellum,*
*Cum duce quod Bauaro fœdere iunctus erat,*
*Qui cupidus regni summos ambibat honores:*
*Contudit hostili uictor utrunq; manu.*
*At misere perijt iugulatus fraude nepotis,*
*Qua iacet Austriaci fertilis ora soli.*
*Vtq; parum iustis armis oppreßit Adolphum:*
*Sic obijt cæsus uindicis ense necem.*

## HENRICVS VII.

*QVæ florente statu rerum Florentia nomen*
*Vrbs tenet, ac ripis adiacet Arne tuis:*
*Cæsaris Henrici parere negebat habenis,*
*Freta suis opibus, robore freta suo.*

Hanc, ubi uindicibus cinctam legionibus urbem,
Ipse subacturus fulmine martis erat:
Thuscia conduxit sceleris mercede ministrum,
Dominici tonso de grege frater erat:
Toxica qui præbens illi sub corpore Christi,
Manducanda sacro pane uenena daret.
Allatura pijs mortalibus esca salutem,
Causa necis regi perniciosa fuit.

LVDOVICVS BAVARVS
& Fridericus Austriacus.

Regibus inceßit discordia magna duobus,
Summa quibus rerum tradita cura fuit.
Aspera collatis inierunt prælia signis:
Qua celer humectat Neccarus arua uadis.
Attulit optatam Bauaro uictoria palmam:
Austriaci uires succubuêre ducis.

CAROLVS IIII.
Et Gintherus.

Hos quoq; sæua duos elegit factio reges,
Sed lis alterius morte dirempta fuit.
Inclyta qua Mœni lapidosis adiacet undis,
Vrbs à Francorum nomen adepta uado:
Acria ciuili moturum bella tumultu
Funere Gintherum mors properata tulit.

Qui

Qui ramosa gerit uelocis cornua cerui,
Indomiti fregit Carolus arma ducis:
Gymnasiumq; recens ad flauum condidit Albim,
Hic ubi turrito culmine Praga iacet.

## VENCESLAVS IGNAVVS.

Pigra quod ignauo traduxerit ocia luxu,
Nactus id à uita deside nomen habet.
Gloria non illi, sed turpis inertia curæ,
Atq; saginato corpore uenter erat.
Militiam fugit, pacis uirtute nec unquàm
Egregio dignum principe fecit opus.
At piger ingluuiem dapibus uinoq; replebat,
Et graue distenti uentris alebat onus.
Omnibus inuisus ceu detestabile monstrum,
A proprio captus uincula fratre tulit.
Hoc inuenta fuit sub Cæsare machina belli,
Cuius ab impulsu mœnia quassa ruunt:
Concipiens rapidum quæ fomite sulfuris ignem,
Acta procul nitri puluere saxa iacit:
Atq; coruscantis flammas imitatur olympi,
Aethera terribili concutiente sono:
Ceu uibrata cadunt trifidis ubi fulgura telis:
Hoc sibi Germanus uendicat autor opus.

## ROBERTVS.

INsuber infregit Galeatius arma Roberti,
Cum tulit auxilium gentibus Arne tuis,

Pro quibus aduersi discrimina martis adibat,
Victor ubi Tuscos est populatus agros.
Inclyta qua doctis iacet Edelberga Camœnis,
In patria leni morte quieuit humo.

## SIGISMVNDVS.

TErra iacet gelido sub sydere Mænalis ursæ,
Terra paludosis inuia fluminibus:
Marchia nunc, quondā sed dicta Nomarchia Græcis
Est, & ab imperij præside nomen habet.
Summus enim præses Romani Cæsaris olim
Argolica dictus uoce Nomarcha fuit.
Vnde quidem prisci uestigia nominis extant,
Vna sed est primo syllaba dempta loco.
Tempore quo pugnax rapuit Germania Drusum,
Indigenas Sueuos hic habitasse ferunt.
Hoc Sprea testatur gelidis uberrimus undis,
Qui ueteri dictus nomine Sueuus erat:
Cœruleum cuius perlabitur agmen aquarum
Hanc & arenoso flumine radit humum.
Post, ut ab Augusto deducto Cæsare, Sueui
Mutauêre, prius quos tenuere, lares:
Teutonibus pulsis, multos habitata per annos
Vandalicis regio gentibus ista fuit.
Donec ab aucupio nomen qui dictus habebat
Cæsarea meruit sceptra tenere manu.
Expulit externos hoc uindice Marchia reges,
Vrbis ubi fractas debilitasset opes:

Quàm

Quàm bibulæ dirimit sulcator Hauelus arenæ,
Humida qui patriæ perfluit arua meæ.
Hæc nisi clara suis Heroibus ante fuisset
Terra, Sigismundo principe clara foret.
Natus enim ueteri magnorum sanguine regum,
Is prius arctoæ Marchio gentis erat:
Quàm uel Pannoniæ fuit accersitus in oras:
Aut regni tenuit frena Boheme tui.
Mitis ut optata concordia pace coiret,
Cum sacra plena diu curia litis erat:
Concilium solenne patrum regumq; uocauit,
Qua fuit Hus duram passus in urbe necem.
Tres ibi Romano solio priuauit iniquos
Pontifices: inter quos graue schisma fuit.
Signa Borysthenidas ultricia mouit in hostes,
Marte sed aduerso tristia damna tulit.
Ingenuas habuit summis in honoribus artes,
Atq; uiris doctis munera multa dedit:
Cum quibus interdum conuiuia lætus agebat
Ex humili quamuis ordine plebis erant.
Sicq; suos proceres hortari sæpe solebat,
Artibus ut uellent incubuisse bonis:
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes,
His fauor ac regum conciliatur amor.
Ipse sed incertis patrias hæredibus urbes,
Morte relicturus cum sine prole foret:
Marchiacas dono Friderico tradidit oras,
Inclytus is præses Noridos urbis erat:

Bellaq; uindicibus pro Cæsare gesserat armis,
Tunc ubi Pannonio captus ab hoste fuit.
Teutonici genitor fuit hic Fridericus Achillis:
Cuius & hic paucis uersibus acta canam.

ALBERTVS MARCHIO
Brandeburgensis, Germanicus
Achilles appellatus.

QValis erat, quantusq; fuit bellator Achilles,
Hectora qui circum Pergama traxit equis:
Talis erat, tantusq; fuit uictricibus armis
Qui ducis Aeacidæ Marchio nomen habet.
Militiæ teneris hic castra sequutus ab annis,
Conseruit fuso sæpius hoste manus:
Quàm pleriq; duces belli sub imagine, ficto
Ludicra uiderunt prælia marte geri,
Nec fugiens unquam tergo, sed pectore semper
Fortis in aduerso cognitus hoste fuit.
Ora manusq; gerens, concissaq; brachia ferro,
Mille cicatrices, uulnera mille tulit.
Inuictos domuit populos gentesq; feroces,
Frigida quas rigidis educat ursa plagis:
Quas niue duratas & Rheticus asperat Ister:
Non tulit in molles strenuus arma uiros.
Quæ preciosa legit canis electra sub undis
Prußia, Sarmatico limite iuncta solo:
Ipsius audito tremuit clangore tubarum,
Victaq; pugnaci milite terga dedit.

Ipsius

Ipsius attoniti fugerunt arma Poloni,
Territa montanum ceu fugit agna lupum.
Norica quæ duris uiget artibus inclyta belli,
Istius urbs nouies marte cruenta fuit.
Adde quod Hußitas compescuit: adde quod agmen
Silesij pepulit uictor equestre ducis.
Qui parere ferox illiq; subesse negabas,
Contudit ac forti te Pomerane manu.
Bella sed aßiduo licet irrequietus agebat,
Si qua fuit, nunquam pax odiosa fuit.
Huius adhuc uiuunt gemini de stirpe nepotes,
De quibus hoc addam pauca sed apta loco.

## IOACHIMVS PRIMVS, ELE-ctor Marchio Brande-burgensis.

QVæ Ioachime tuis præcona laudibus addam?
Qui trahis à magno natus Achille genus:
Nam tua promeruit tantam facundia laudem,
Magnanimi quantam dextera fortis aui.
Os quoties cœleste moues linguamq; disertam
Exuperas dulci Nestora uoce senem:
Suauior hybleo tibi copia melle redundat,
Verbaq; seu densis imbribus acta fluunt.
Te mirata frequens fuit urbs Augusta loquentem,
Rhetoris imposuit cum tibi Cæsar onus.
Ipse nec es patrio tantum sermone disertus
Cuncta potes Latio, quæ cupis, ore loqui.

*Edita testatur cultis oratio uerbis,*
*Omnibus ingenij nomine grata tui.*
*Nec uarias piguit rerum te discere causas,*
*Quæ sacra cœlestis semina mentis habent.*
*Quas honor antiquis Aegypti regibus olim,*
*Summaq; principibus gloria nosse fuit.*
*Cognita syderei tibi sunt animalia cœli:*
*Præscius & longe fata futura uides.*
*Cumq; bonis faueas studijs, ac rebus honestis:*
*Ingenuas artes qui coluere, colis:*
*Quos, ut ab Hetruscis Mecœnas regibus ortus,*
*Sic tua profusis sumptibus aula fouet.*
*Atria struxisti doctisq; palatia musis,*
*Auspicijsq; recens est schola cepta tuis:*
*Hic ubi Marchiacos disterminat Odera fines,*
*Ac tua Sarmatico iungitur ora solo.*
*Nec diuina tui clementia pectoris unquàm*
*Bellica ciuili prætulit arma togæ.*
*Publica tranquillæ conseruas ocia pacis:*
*Nullaq; funesti prælia martis amas.*
*Hæc te semideis uirtus Heroibus æquat:*
*Non habet hoc similem tempore Roma tui.*

ALBERTVS CARDINALIS,
*Elector, Archiepiscopus Moguntinus, & Marchio Brandeburgensis.*

Nec

NEc te carminibus nostris Alberte tacebo,
Nobile præsul aui nomen adepte tui,
Ipsa gubernatrix caput & Germania mundi,
Quo nihil, excepto Cæsare, maius habet.
Omnis cura tibi magnarum tradita rerum,
Inq; tuis humeris grande recumbit onus.
Tu medium pacis te conditionibus offers,
Teutonis armorum dum pauet ora metu:
Dumq; ducunt tacitæ fraudes, & operta tumescunt
Bella domi nobis, bella timenda foris:
Et sacra turbatur uarijs Ecclesia sectis:
Omnia mixta quibus fanda nephanda iacent.
Ergo quod exultant securis publica terris
Ocia, suppresso bellaq; marte silent:
Quodq; graui nondum Germania mota tumultu,
In sua conuertit uiscera cæde manus:
Se debere tuis meritis Alberte fatentur,
Compositæ quotquot commoda pacis amant.
Ne qua sed existat metuendi causa furoris,
Afflictis fidei rebus & affer opem:
Induat ut uerum pietas renouata nitorem,
Quæ modo dißidijs tot labefacta ruit.
Quod si composito, per te sublata, tumultu
Schismata turbatæ relligionis erunt:
Donec adorabit nomen Germania Christi,
Laudis erit nunquam fama caduca tuæ.

## ALBERTVS II. CAESAR.

COntulit Alberto regale Bohemia sceptrum,
Ac subiecit opes Pannona terra suas:
Nupta quod illius thalamo, lectoq; iugali
Nata Sigismundi regis Elissa fuit:
Quæ uelut exemplum Lucretia casta pudoris
Aequabat morum nobilitate genus.
Teutonici ductu Thaboritas fudit Achillis:
Colluuies quædam gens ea plebis erat,
Templa Bohemiacis quæ disijciebat in oris:
Atq; sacerdotum diripiebat opes.
Illaturus erat Turcarum bella tyranno,
Morte sed extinctus præueniente fuit.

## FRIDERICVS Tertius.

TErtius utilior Fridericus ad ocia pacis
Aspera quàm duri martis ad arma fuit.
Quo Burgundiones Vbiorum depulit oris,
Teutonici bellum gessit Achillis ope.
Quæ dedit ars nobis impressos ære libellos,
Facta sub hoc primum Cæsare nota fuit.
Hæc, si temporibus priscis inuenta fuisset,
Qua nihil utilius totus hic orbis habet:

*Nostra libris hodie frueretur pluribus ætas,*
*Defraudata quibus secula nostra carent.*
*Hanc operosa nouam Moguntia protulit artem,*
*Quæ celebris Mogi nomen ab amne tenet.*

## MAXIMILIANVS.

*MAximus occiduis fuit Aemilianus in oris*
*Captus, ab indigenis perfida Brugi tuis.*
*Ipse sed ereptus celeri uirtute parentis,*
*Vincula qua tulerat, mox tulit arma, manu.*
*Depulit Hunniaden à sedibus ultor auitis,*
*Qui fuit Austriacis marte potitus agris.*
*Signaq; regalem uictricia mouit ad Albam:*
*Horruit inuicti Cæsaris arma Sauus,*
*Pannones euersis & submisere pharetris*
*Spicula, quæ ferro tinctile uirus habent.*
*In Mahometigenas deduxit & agmina Turcas,*
*A quibus affectus clade Liburnus erat.*
*Ante sed aggressus, quàm prælia miscuit, hostem:*
*Versa metu pauidi terga dedere Getæ.*
*Contudit indomitum debellauitq; Sicambrum,*
*Victa prius nunquam dextera cuius erat.*
*Norica uastantes occidit & arua Bohemos,*
*Marte Palatinas cum sequerentur opes.*
*Nec semel est ultus rumpentem fœdera Gallum:*
*Instabilem summi pontificisq; fidem.*
*Conscendens Tyrij ductoris & æmulus Alpes,*
*Fudit in aërijs montibus Heluetium.*

Quid

Quid loquar Euganea Venetum cum plebe senatum?
Quos domitos terra, quos superauit aqua.
Adriaci uasto trepidabant æquore nautæ
Mercibus ac plenas destituere rates:
Vrbis ubi uictor Patauinæ mœnia cepit:
Tantus erat terror tantus ubiq; metus.
Vltima, post duros ærumnososq; labores,
Fata pium terris eripuere senem.

## CAROLVS V.

Diue quibus cœlo te Carole laudibus æquem?
Carole non ipso quem regis orbe minor:
Cæsare quo maior ualidisq; potentior armis,
Nullus ab Augusti tempore sceptra tulit.
Imperium terris, animos æquabit olympo,
Auspicijs fœlix Teutona terra tuis,
Qui prius ibat ouans Gallus plaudentibus alis,
Præda tuis Aquilis sanguinolenta fuit:
Signaq; Ticini captus submisit ad undam,
Militis inuicti robore fracta tui.
Clauigeriq; Petri sub nomine regna tenentem,
Arcta coëgisti uincula ferre Papam:
Sæua cohortatus Venetum quod ad arma senatum,
Et noua cum Gallo fœdera pactus erat.
Tendere te Latias Florentia sensit in oras,
Sanguineo martis fulmine capta tui:
Quæ confisa suis opibus, rebusq; secundis
Irridere tuum non metuebat auum:

Illum

Illum retrogradi cum tergo insidere cancri
   Pinxerat hoc titulo: Tendimus in Latium.
Turca triumphato qui formidabilis Istro,
   Barbara Germanis tela minatus erat:
Et cessura suo sperabat cuncta furori,
   Iuratus patrios, numina uana, deos:
Quod foret Euxinas numquam rediturus ad undas,
   Ni prius ad Rheni castra locasset aquas:
Ante tubam fugit, nec bellica degener hostis
   Militis est ausus signa uidere tui.
Marchio uertentem Ioachimus terga secutus,
   Auspice te magna funera strage dedit:
Millia prædonum bis quattuor intulit Orco,
   Austriacam quorum cæde piauit humum.
At procul ad septem fugiat licet ostia Nili,
   Aspera uindictæ sentiet arma tuæ.
Edita nam priscis oracula uersibus extant,
   Qualia Cumeæ carmina uatis erant:
Quæ tibi de Solyma promittunt urbe triumphum.
   Illa quod imperium sit subitura tuum.
Ergo nisi ueterum sunt irrita carmina uatum,
   Quæ reor euentus mox habitura suos:
Tempus erit, cum te spolijs Orientis onustum
   Quadrijugis referet currus eburnus equis:
Liuentiq; gerens immania uincula collo,
   Ante tuas ibit Turcia capta rotas.
Plaudentesq; tuis resonabunt laudibus urbes
   Argolicæ, per quas uictor iturus eris:

Læticiaq;

Læticiaq́; fremet conceptaq́; gaudia ducet
Pannonis hostili terra soluta metu.
Tunc ego non paruis elegis, humiliq́; Camœna,
Sed tua Mæonio carmine facta canam:
Si modo quæ uitæ dispensant fata sorores,
Temporibus dederint stamina longa meis.

## FERDINANDVS.

HOc opus exegi florentibus integer annis,
Bis duo cum natus lustra Sabinus eram:
Tempore quo Geticos rex Ferdinandus in hostes
Arma, suo bellum fratre gerente, tulit:
Vnanimis cum quo regni moderatur habenas,
Et graue terrarum sustinet orbis onus.
Viuite Semidei, concordes uiuite fratres:
Omnia sub uobis, uesper & ortus, erunt.
Vos metuat primus, uos ultimus horreat orbis:
Vos & si qua parum terra ueretur, amet.

FINIS.

DE

# DE NVPTIIS INCLYTI REGIS POLONIAE SIGISMVNdi Augusti, & Elissae Caesaris Ferdinandi filiae, Georgius Sabinus.

VOs mihi quæ puero Nasonis amabile carmen
Dulcia Pegasei dictastis numina fontis:
Nunc sublime mihi carmen concedite uatis,
Conceptum genuit quem Mincius Andide Nympha.
Grandibus assurgens numeris Hymenæia dicam
Gaudia, Sarmatici quibus exultantia regis
Atria, dant lætos, ubi uoluitur Istula, plausus.
Si uos rite puer colui, uobisq; dicatas
Sæpe coronaui sertis halantibus aras:
Aspirate mihi, cœptisq; fauete Camœnæ.
Forte sub undosi muscoso gurgitis antro
Istula cæruleus tumidarum rector aquarum
Nymphis iura dabat, qua uertice Carpathus alto
Frigida Sarmatiæ prospectat iugera: cuius
Montis adusta rigent canis iuga summa pruinis.
Ipse sedens urnamq; manu sceptrumq; tenebat,
Carbaseæ glauco pallæ uelatus amictu:
Naiades circum fontanaq; numina stabant
Quæq; lacus, amnesq; colunt, udasq; paludes.
Venit mobilibus cœli per inania pennis

Fama

Fama uolans, lætis quæ uocibus attulit istuc,
Sarmatiæ claris Augustum regibus ortum,
Esse maritali connubia fœdere pactum:
Ducere Cæsarea natamq; propagine sponsam.
Quas pater arrectis ut uoces auribus hausit,
Protinus ex Nymphis formosam Callianassam,
Phyllodocéq;, Rhaninq; uocat, Crocalenq;, Thoenq;
Insignemq; comis oculisq; nitentibus Aeglen.
Omnes pingere acu doctas, omnesq; peritas
Arguto tenues percurrere pectine telas.
His tum præcipiens, rarum ac memorabile munus
Inquit adornandum sponso: nunc arte magistra
Est opus: ergo manu celeres incumbite Nymphæ,
Pictaq; rebus imaginibusq; aulæa uetustis
Texite: Sarmaticosq; illic deducite reges:
Sponsus ut effigies, præclaraq; facta suorum
Inde recognoscat, ualidis imitetur & armis.
Talia fecisset cœtu cum uerba soluto,
Haud mora: textricum cingunt ad pectora ritu
Collectas Nymphæ uestes, nudantq; lacertos.
Post hæc expediunt longas subtegmine telas,
Intentæq; sedent operi, peraguntq; laborem.
Series historiarum — Primus falcato spectandus acynace Læchus
Texitur, argento fulgenti auroq; coruscus.
Læchus marte satus: quo non pugnacior alter
Regna Lycaonio tenuit subiecta Bootæ.
Ille uagam syluis eduxit in oppida turbam,
Claraq; Sarmatiæ tribuens cognomina genti

Læchi=

Læchidas, quorum gestabat sceptra, uocauit. Læchus.
Torua uiro facies: apicatum more Getarum
Tegmen habet capiti: cristáq; rubente decorum:
Barbáq; supremo labro riget hispida: pendet
Ex humero clypeus, qualem Telamonius Aiax
Gessit: Amazonia manus est armata securi.
Inde Palatini bis sex in sedibus altis 12. Palatini.
Augusta grauitate sedent, populumq; gubernant.
Additur his prisca Romanus origine Gracchus, Gracchus.
Diuitijs ac marte potens: qui rege sub Anco
Pulsus in exilium, trabeati celsa Quirini
Mœnia deseruit: gelidamq; profectus ad arcton
Condidit auspicijs illic felicibus urbem,
Quæ uetus à Graccho ducit Cracouia nomen.
Surgit ad hanc urbem terrena mole sepulchrum
Vastum, immane, ingens, quo conditus ipse quiescit.
Pingitur in tela sæuissimus alter ab illo
Sceptra gerens Læchus, qui solus ut arbiter esset Læchus 2.
Sarmatiæ, solus rerumq; teneret habenas:
In densis syluis, ubi plurima lustra ferarum,
Heu fratrem regni consortem cæde peremit:
Vulgatoq; fidem patrias rumore per urbes
Fecit, ab immani diuulsum dentibus urso
Occubuisse. subit scelerato Vanda tyranno, Vanda.
Quæ cum mille procis, quod erat formosa, placeret.
Innuba uirgo tamen casti sine labe pudoris
Mansit, & ætatis uer intemerata peregit.
At non fœmineis calathis, non dedita molli

Illa fuit lanæ: duris assueta sed armis
Figere terribilem longis palearibus urum:
Frendentemq; suis excire cubilibus ursam.
Martia si quando fremuerunt claßica, belli
Laudibus insignes æquauit & Heroinas.
Quippe Borysteniden, debellauitq; Gelonum:
Binaq; magnanimo cum Teutone prælia fecit.
Corniger ardebat uictricis amore puellæ
Istula, cumq; suo uidisset in amne lauantem,
Mollibus excipiens amplexibus abstulit illam
In uitreas sedes, thalamiq; in honore locauit.
Inde figurantur multi sine nomine reges,
Quorum fama iacet tenebris ac nocte sepulta.
Hosq; sub ignotos depingitur inclytus heros,
Stilico. Qui fuit Ausoniæ Stilico gratißimus urbi.
Belligero cataphrattus equo fugientibus instat
Hostibus, ac fulgens auratis emicat armis:
Qualis ab occidua surgens nitet Hesperus unda.
Et nunc uictor agit Ruffini castra secutos,
Hunnosq;, Mysosq;, sagittiferosq; Tomitas,
Prælia miscentes & acuta falce Gelonos:
Nunc premit Afrorum cæso Gildone cohortes,
Ingentemq; facit conuersa per agmina stragem.
Haud secus ac paleis ubi separat area fruges,
Triturante leues boue conculcantur aristæ:
Sic quacunq; ruit, prosternens conterit hostes.
Circumfusa iacent pallenti corpora leto
Tradita: purpureusq; cruor diffunditur aruis.

*Cæsar ob insignes Theodosius ergo triumphos,*
*Deligit hunc generum sibi, connubioq́; Serenæ*
*Ornat, & Aeneadis præfert socer omnibus unum.*
*Additur armipotens iuuenis, qui dictus ab astu*
*Nomen Lesco gerit: Stiliconi sanguine iunctus.* Lesco.
*Cæsareum sed ferre iugum, fastumq́; superbæ*
*Italiæ nequit, imperioq́; subesse recusat.*
*Aspera martigenis hic bella Quiritibus infert.*
*Pannoniumq́; armis iuuat auxiliaribus Hunnum*
*Tunc ubi Carnorum ferus occupat Attila sedes,*
*Teq́; dat excidio captam, pulcherrima quondam*
*Vrbs, Antenoreo fœlix Aquileia Timauo.*
*Primus claustra manu reserat, portasq́; refringit:*
*Inijcit infandum uictorq́; penatibus ignem.*
*Tristia collucent diffusis mœnia flammis:*
*Concussasq́; domos, impendentesq́; ruinas*
*Nympharum textura refert. subiungitur acer*
*Gensericus, & armorum fulgore coruscus* Gensericus.
*Pingitur, hastatos cuneos, clypeataq́; secum*
*Ducere bellator sub fortibus agmina signis:*
*Hesperias æquare solo, quas spectat ab altis*
*Candida subiectas Pyrene rupibus, urbes:*
*Herculeumq́; citis transmittere claßibus æquor,*
*Subdere & antiquas Tyriæ Carthaginis arces.*
*Inde profectus iter, maris emensusq́; profundum,*
*Capta Quirinalis Romæ dare mœnia prædæ.*
*Hinc alacri uultu Lesconis imago secundi* Lesco 2.
*Omnibus arridens, precioso intexitur ostro.*

Editus obscura iuuenis qui stirpe parentum
Ardua conscendit magni fastigia regni.
Scilicet orba suo sedes ubi rege uacabat,
Et decretus erat de regno cursus equorum:
Hic meruit celeri uictor suffragia cursu.
Lesco 3. Tertius extincto succedit Lesco parenti
Bellaq; Teutonibus facientes adiuuat Hunnos.
Post hunc uilloso deducitur horridus ursi
Poppilius. Tergore Poppilius: quem turpis inertia regem
Occupat immodico baccho, somnoq; uacantem.
Ipse sedens inter cyathos, mollesq; puellas,
Acribus armorum præfert conuiuia curis.
Poppilius 2. Nominis eiusdem coniungitur ebrius illi
Filius, ignauiq; simillimus omnia patris:
Hunc scelerum pœnas crudeli morte luentem,
Infesti perimunt arroso corpore mures.
Pyastus. Tum gestanda seni traduntur sceptra Pyasto:
Qui cum iustitiæ uindex, & cultor honesti
Esset, ab incuruo (nam rura colebat) aratro
Pauper ad hos regni tantos ascendit honores.
Indutus crudo stat adhuc perone, geritq;
Agricolæ solito spaciosum more galerum.
Semouitus. Inde Pyastides trahit agmina Semouitus
Aclidibusq;, sparisq; & acutis densa sagittis:
Vandaliæq; domat populos, urbesq; potentes
Balticus arctoo quas alluit æquore Nereus.
Lesco 4. Ocia quartus agit Lesco, bellumq; perosus
Sistit & augustæ sancit data fœdera pacis.

Nec

Nec minus extinctis amplecteris ocia bellis
Semomilae: tuo tenebrasq; recedere nato, Semomilaus.
Excussaq; dari uisum caligine gaudes:
Editus ex utero qui cœcus, amabile solis
Lumen, & æthereos nunquam conspexerat ignes.
Consulis & uates, puero quid reddita cœco
Lumina portendant: responsaq; lætus ab illis
Accipis: insigni natum pietate futurum.
Filius ut Mesco sceptrum suscepit auitum, Mesco.
De se uera probat dixisse, nec irrita, uates.
Primus enim Christum profitetur, primus adorat:
Et ueterum cultus abolet, ritusq; sacrorum.
Nam tum Sarmatiæ reges idola colentes,
Impia barbarico faciebant origia ritu.
Cæsaris ante pedes procumbit natus Othonis
Buleslaus, & imposito diademate regem. Buleslaus.
Imperij sese gaudet sociumq; uocari,
Subijcit infracto domitos hinc marte Bohemos,
Inclusumq; iugis Morauum gentesq; rebelles,
Quas umbrosa uident gelidi pineta Silesi.
Te quoq; crudeli uastat Pomerania bello:
Subdita quæq; iaces algenti Prußia cœlo.
Alter at ignauo similis, similisq; puellæ
Mesco figuratur: mollißima purpura corpus Mesco 2.
Velat: Erythæis ornantur pectora gemmis:
Punicei includunt & leuia crura cothurni.
Huius molliciem, uitamq; perosus inertem
Vandalus, arma capit: capit arma Bohemus, & acer

Qui colit Austriacæ Morauus confinia terræ:
Excutiuntq; iugum, noluntq; subesse Polonis.
Heu pudet ignaui quantum te Sarmata regis,
Sub quo triste potens fecit respublica damnum.
Casimirus. Pellitur infœlix patrijs Casimirus ab oris,
Indutoq; facit monachorum uota cucullo.
Mox è cœnobio reuocatur, & arma capeßit:
Persequiturq; trucem uiolento marte tyrannum,
A quo pulsus erat, regnoq; exutus auito.
Signa feris infert Hunnis, prædamq; secundus
Buleslaus 2. Buleslaus agit domito bis uictor ab Istro.
Inq; fugam turmas Morauorum uertit equestres:
Ingentiq; Scythas & Alanos cæde trucidat.
Laudibus armorum nullis heroibus esset
Inferior: si non diro correptus amore
(Heu scelus execrandum, heu detestabile crimen)
Incaluisset equæ: Tyrio quam murice cultam.
Legiferi taurum Minois ut uxor, amauit.
Ac te diue nisi pia Stanislae monentem
Sacras obtruncasset acynace crudus ad aras.
Ergo terrificis oculis, uultuq; minaci,
Sacrilegum pingunt Nymphæ similantq; tyrannum
Cæde suas scelerare manus: in frustaq; sectos
Proijcere alitibus canibusq; rapacibus artus.
Nulla sed impietas manet impunita: tyrannus
Ecce solum, tristi uexatus Erynnie, uertit:
Exul & à canibus flauum laceratur ad Istrum.
Huic animo mitis, sæuæq; tyrannidis expers,

Ladislae subis: pugnacem strenuus acri Ladislaus.
Marte Quadum, sed iusta coactus ad arma, fatigas:
Cassubium duris & cladibus afficis hostem.
Rebus in aduersis uicino tertius Hunno
Buleslaus opem signis uictricibus affert: Buleslaus 3.
Cogit & augustas illinc dare terga uolucres.
Nauigat inde legens Arctoum classe profundum,
Deuictisq; edit naualia prælia Cymbris.
Candida pandentes concurrunt uela carinæ:
Duraq; mißilibus fiunt certamina telis:
Armamenta natant collisaq; rostra per undas,
Transtraq;, puniceoq; rubescunt sanguine fluctus.
Læta Polonorum classem fortuna tuetur,
Præpetibusq; uolat circum uictoria pennis.
Alter agit turmas hinc Ladislaus equestres: Ladislaus 2.
Funestumq; mouens proprio cum sanguine bellum,
Sæua suis infert germanis arma tyrannus:
A quibus ipse tamen (sic arbiter impia regum
Punit facta Deus) patrijs expellitur oris.
At tu quarte gerens cristata caßide pennas
Buleslae, manus cum Cæsare signaq; confers: Buleslaus 4.
Cæsare, cui nomen dedit ænea barba: nec horres
Illius inuictas uires, animumq; ferocem.
Tertius iniustis dum uectigalibus urbes
Mesco suas onerat, solio deiectus ab alto Mesco 3.
Luget, & amissos regni suspirat honores.
Suscipit eiecto Casimirus fratre secundus, Casimirus 2.
Commissasq; sibi regit inculpatus habenas.

*Abrogat iniustas leges, rescindit iniqua*
*Quæ fecere truces olim decreta tyranni.*
*Liberat & censu populum, laxatq; tributis.*
Lesco 5. *Quintus Lesco facit diuerso prælia casu:*
*Nunc patruum uincit, patrui nunc uincitur armis.*
*At dum nudus agit, corpusq; tepentibus undis*
*Abluit, infœlix rigida transfigitur hasta:*
*Lucis & usuram crudeli uulnere reddit.*
Buleslaus 5. *Traditur imperium post tristia Buleslao*
*Fata patris: magnas hoc rege Polonia clades*
*Accipit à trucibus Scythiæ prædonibus istis,*
*Furua quibus dirum fecerunt tartara nomen.*
*Namq; uelut septem stagnantis ad ostia Nili*
*Densa locustarum nubes se concitat alis:*
*Cultaq; deuastat plorantibus arua colonis:*
*Sic uagus à Tanai, Scythiæq; paludibus hostis*
*Irruit, effuso populatur & agmine latos*
*Sarmatiæ campos: captiuaq; corpora ducit:*
*Corpora nodosis loris & uincta cathenis.*
*Hinc tuus affectat regnum Masouia princeps,*
*Obsidet ac ueteris Conradus mœnia Gracchi:*
Lesco 6. *Teutones at sexti Lesconis iura tuentes,*
*Obsessis pellunt infestum mœnibus hostem.*
*Amplaq; spectatæ uirtutis præmia grato*
*A Lescone ferunt: is nam decernit, ut ipsam*
*Gracchi nemo regat, soli nisi Teutones, urbem.*
Henricus. *Conserit Henricus pugnam, uictoq; triumphat*
*Hoste: sed incauto dirum bibit ore uenenum,*

Quo

Quo miser ante diem perit, effertur'q; pheretro.
Inde Bohemorum fortißimus arma laceßit,
Infestat'q; ducem rex Primislaus Othonem
Marchia progenuit quem flumine mater Hauelo. Primislaus.
At dum læta parat motis conuiuia signis,
Securus poto cum milite Sarmaticus rex:
Improuisus adest per opacas Marchio syluas,
Castraq; nocte subit multo sopita lyæo:
Stertentem'q; capit regem, captum'q; trucidat.
Venceslaus adit regnum, sceptro'q; potitus Venceslaus.
Mænalio certos compescit Pannonas arcu:
Et gerit Alberto durum cum Cæsare bellum.
Aequa sed indomitis populis dat iura duobus:
Quos & Sarmatiæ gelido sub sydere tellus,
Hercyniaq; tenet præcincta Bohemia saltu.
Tertius algenti rex Ladislaus ab arcto Ladislaus 3.
Educit Lituuos, & Alanos: agmine quorum
Humida Marchiacæ deuastat iugera terræ:
Mox & uictor abit spolijs, & cæde peracta.
Filius Augustæ Casimirus pacis amator, Casimirus 3.
Suscipit extincto regalem patre coronam:
Et cum Marchiacis populis in fœdera transit.
Regnaq;, facta diu latronibus inuia, purgat:
Et reprimit cædes, & legibus arma coërcet,
Certaq; constituit dubijs fora litibus, æquus
Prætor ubi dicat Germanica iura Polonis.
Quin & turrigeris Grachi sub mœnibus amplam
Ponit, & ipse suo de nomine nuncupat, urbem.

Quattuor externos & eodem tempore reges.
Magnificis epulis lautißimus excipit hoſpes:
Pannoniæ, regemq; Cypri, regemq; Quiritum,
Inq; procelloſo dominantem marmore Danum.
Ampla dat Auſonio regi quoq; dona: ſuamq;
Legitimo thalami coniungit fœdera neptem.
Ludouicus. Poſt hunc Sarmatiæ Ludouicus frena capeſcit.
Qui genus à priſco ſe Pæone ducere iactat:
Pæone, cæruleus regnum cui ſubdidit Iſter.
Nec uirtute tamen minus eſt, quam ſanguine, clarus:
Magno uictor agit Litauos certamine fuſos,
Hic duo fœminei Ludouicus pignora ſexus,
Corpore præſtanti caſtoq; pudore, relinquit:
Iagello qui & Ladislaus 4. E quibus, egregia Litauus de ſtirpe Iagello
Ipſe ſibi iungit tedis ſolennibus unam:
Et dotale capit nupta cum uirgine regnum,
At prius abluitur cœleſtis fonte lauacri,
Proq; Iagellonis ſibi nomine nomen adoptat
Ladislae tuum: namq; impius ante nefandos
Diuorum cultus, & barbara ſacra colebat.
Ergo pia Chriſtum nunc relligione profeſſus,
Præcipit excindi lucos: anguesq; necari
Indigenæ Litaui quos numinis inſtar adorant.
Erigit inſtaurans & dulcibus atria muſis
Academia Cracouienſis. Hic, ubi flauentes celer Iſtula uoluit arenas.
Rege ſub hoc uertunt infeſtis terga Polonis
Candida qui geſtant Mariani pallia fratres:
Innumeriq; cadunt aduerſo marte perempti.

*Se uidiſſe negat Thraſimenus, & Allia tantam,*
*Accipit infœlix hic quantam Prußia, cladem.*
*Haud ſecus, ac niuibus madet humida terra ſolutis,*
*Dura relaxantur cum frigora tempore ueris:*
*Sic undante natat cæſorum ſanguine campus.*
*Ipſe triumphalem proſtrata per agmina currum*
*Lætus agit uictor: ſpolijsq; exultat opimis.*
*Iamq; ſenex reddit languenti corpore uitam:*
*Et ſua ſceptra puer tibi Ladislae relinquit.* Ladislaus 5.
*Egregia uero tu præditus indole mentis*
*Indigenas tanta populos cum laude gubernas,*
*Te quoq; Danubij declaret ut accola regem.*
*Ergo amplis opibus, fretusq; potentibus armis:*
*Ipſe tuis annis maioraq; uiribus audes.*
*Ingreſſus Macedûm numeroſo milite fines,*
*Ponis in Orphei tentoria ſaltibus Aemi.*
*Non te nubiferæ rupes, non ſæua retardant*
*Frigora, quæq; cadunt altis de montibus amnes:*
*Donec Amurathes ad Varnam Turca paludem*
*Te cohibens tandem uictricibus exuit armis.*
*Bis tamen impulſos, cogis dare terga, bis hoſtes*
*Diſijcis: ante tuo uitam quam ſanguine fundis.*
*Heu miſerande puer: te clara Boryſtene tellus,*
*Te cum Danubio pater Iſtula luget ademptum:*
*Limoſoq; gemunt Varnæ ſub gurgite Nymphæ.*
*Poſt ducis interitum, funeſtaq; prælia, tradit*
*Regia Sarmatiæ Caſimiro ſceptra ſenatus,* Caſimirus 4.
*Hic uero nemorum ſtudioſus, tempora quercu*

Cincta gerit, latoq; tenens uenabula ferro,
Aut uenator agit pauidos in retia ceruos,
Setigeros aut figit apros: comitantur euntem
Rhiphæiq; canes, armillatiq; Moloßi.
Nec tamen armorum præfert uenatibus artes:
Occupat ereptas Marianis fratribus urbes.
Tu subis inde patri, magnumq; sub arma coactum
Ioannes Albertus. Ducis, Ioannes Alberte binominis, agmen.
Vlturusq; necem patrui, quem Varna peremptum
Abstulit: instauras in sæuos prælia Turcas.
Et iam signa moues, iam barbara uertere cogis
Terga, sagittifero Dacos & Iasygas arcu:
Cum grauis affligit te morbus & eximit æuo,
Ne præsentis agas suscepta negocia belli.
Tristia lugubres faciunt tibi funera musæ:
Nam tu Callimachum, genuit quem Tuscia, uatem
Dulcia Pieridum tangentem plectra fouebas.
Alexander. Edit Alexander uarijs spectacula ludis:
Gymnica nunc leuibus certamina ponit ephœbis,
Corporis exercent agili qui membra palæstra,
Nunc pugnæ simulachra ciet sub equestribus armis,
Gaudet & in circo concurrere grandibus hastis.
At non hostili sine sanguine ludicra semper,
Seria sed miscet duri quoq; prælia martis.
Fortibus ulciscens armis periuria Mosci,
Proxima nimboso Boreæ loca cædibus implet:
Terrarumq; uagos Scythica de gente latrones
Rhiphæos ultra montes, Tanaimq;, repellit.

Hinc

Hinc ætate grauis dat regia iura Polono,
Cana Sigiſmundus diademate tempora cinctus: Sigiſmundus.
Muſcorumq́; ducem, qua flaua Boryſtenis errat
Vnda, rebellantem memoranda clade coërcet.
Victor Hyperboreæ compeſcit & agmina gentis,
Taurica quam tellus pharetratæ culta Dianæ
Educat, humanæ gaudentem ſanguine cædis.
Nec minus à patrio digreſſum limite Dacum
Arcet, & edentem crudelia funera, ſternit
Hic, ubi ſpumoſo per inhoſpita ſaxa uolutus
Labitur amne Tyras, dirimensq́; rapacibus undis
Sarmatiæ fines Dacorum ſeparat oris.
Quin parere ſibi ueteresq́; ſubeſſe Boruſſos
Cogit, odora legunt qui ſuccina nata profundo.
Inq́; ſuam redigit ditionem, quicquid habebat
Inclyta nobilitas Germani ſanguinis illic.
Ecce autem triſtem defuncta coniuge luctum
Percipit Hunnorum ueteri quam ſanguine cretam Barbara.
Carpathis ediderat prope fontem Nympha Tybiſci.
Iamq́; ſuæ poſtquam conſorti iuſta peregit,
Vritur igne nouo: fixusq́; cupidinis arcu,
Dulcia Sphortiados connubia uirginis ambit: Bona.
Inter Iapygias qua pulchrior altera Nymphas
Non fuit, aut animo præſtantior: eſſe fatetur
Hanc ſibi conſilio Iouis edita uertice Pallas,
Ore Venus, grauitate parem ſaturnia Iuno.
Ducitur in thalamum regali nupta paratu:
Qualiter Aemonio Nereia ſponſa marito

Est adducta Thetis. nuribus comitata latinis
Turba puellarum sequitur, quas Daunia tellus,
Priscaq; miserunt longinqui mœnia Barri:
Ornatæ auratis incedunt uestibus omnes.
Paruus ad extremum puer his intexitur actis,
Sceptra Sigismundus regni gesturus auiti:
Sigismundus Augustus. Qui teneras inter forma præstante sorores,
Candida circundans materno brachia collo,
Ludit, & Augusti cognominis omine gaudet.
Idem florentes iam puber ut induit annos,
Elissa. Excipit amplexu consortem sponsus Elissam:
Cæsareos quæ monstrat auos, ducitq; paternum
Regibus orta genus, quos ditibus Austria terris
Edidit, ac rerum dominos Germania fecit.
Astat uinctus hymen sertis: amor astat honestus:
Blandaq; formosam comitatur gratia nuptam.
Finis historiarum. Sarmatiæ cunctos huc usq; ab origine prima
Pinxerunt Nymphæ reges, operiq; supremam
Imposuere manum: pars cingitur ultima telæ
Nexilibus folijs hederæ, atq; uirentis Achanti.
Ergo Nympharum labor ac solertia postquam
Hoc uetus aulæis intexuit argumentum:
Illicet undanti pater Istula surgit ab antro,
Altaq; Carpathijs sub rupibus atria linquit:
Illuc dona ferens, turrita ubi mœnia surgunt,
Romulides quorum posuit fundamina Gracchus.
Densis progreditur cannis, & fronde saligna
Cinctus: & attollit roranti cornua uultu.

Naribus

*Naribus unda fluit, madidis fluit unda capillis:*
*Hærentemq́; rigant uligine flumina barbam:*
*Humida cæruleo uelamine membra teguntur,*
*Cuius nexa ſonant picto conchylia limbo.*
*Proſequitur totus Nympharum cœtus euntem,*
*Quaq́; pedes, udoq́; mouet ueſtigia greſſu,*
*Naiades ſpargunt flores, ac ſerta Napeæ.*
*Iamq́; propinquabat regali ſpumifer urbi,*
*Cum procul impulſo reſonare frementia cœlo*
*Tympanaq́;, raucisq́; tubas clangoribus audit:*
*Ac uidet inſignes illinc fulgentibus armis*
*Teutonas, hinc patrio clypeatos more Polonos*
*Comminus accelerare, et equeſtres pandere turmas.*
*Conſiſtit uiridi decliuis margine ripæ,*
*Veſtigatq́; oculis inter tot millia ſponſum:*
*Quem ſonipes gemmis & multo ſplendidus auro*
*In medijs portat turmis, aurata ſequentem*
*Eſſeda, nupta quibus ſedet, inuehiturq́; per agmen.*
*Talibus inde ſuum compellans Iſtula uerbis*
*Affatur regem: ſponſamq́; ſalutat Eliſſam.*

*Oratio Iſtulæ ad ſponſam & Regem.*

*Salue uirginei decus inclyta Nympha pudoris,*
*Sarmatici conſors, Romani filia regis:*
*Hasq́; meo late quas irrigo flumine terras,*
*Ingredere auſpicio fauſto: di læta cubilis*
*Gaudia, fortunentq́; tuæ connubia tedæ.*
*Tu (ſi uera mihi nec rettulit irrita quondam,*
*Noſſe futura ſenex qui creditur omnia Proteus)*
*Tu dabis heroum claros paritura nepotes,*

Qui

Qui superent fama proauos: qui fortibus ausis
Ardua Sarmatiæ tollant ad sydera nomen:
Victa triumphantes ualidis quos sentiet armis
Turcia: quosq; tremens horrescet Caucasus: ergo
Tanta tuus cunctis aduentus gaudia rebus,
Vt montana fremant lætis iuga plausibus, affert.
Vocibus alituum resonat mea ripa canoris,
Inflatisq; leues Satyri modulantur auenis
Carmina: nosq; tibi gratamur ouantibus undis.
Tu quoq; rex animi præstans, qui clara parentis
Aeneadæq; refers Augusti nomina; salue.
At miranda tibi Nympharum munera sponso
Ecce fero, regum intextis ornata figuris.
Munera, quæ precio gemmas, quæ nobile uincunt
Lydia quod gignit, quod Pannona terra, metallum.
Qualiter Aeneæ clypeus monumenta Quiritum,
Hæc ita maiorum referunt monumenta tuorum.
Hinc imitanda petas exempla domestica uitæ:
Te seu læta quies pacis, seu bella manebunt.
Scipio si quando statuas spectabat auorum,
Incensus magno uirtutis amore flagrabat:
Quos tibi uirtutis, stimulos, illustria regum
Hæc simulachra, istis effica tapetibus: addent?
Aspice Mesconem, pugnaces aspice Lechos,
Quos toga, quos acris commendat gloria martis.
Hos propone tibi morum, uitæq; magistros:
Hos contende duces longo præcedere cursu
Laudis: at inprimis reges de stirpe Iagella,

Atq;

*Atq; Sigismundum factis imitare parentem.*
*Nulla quidem uirtus est principe dignior, ardens*
*Quam pietatis amor: quocirca ante omnia curam*
*Relligionis agas, & propagare memento*
*Hunc, sacra quo gaudet Christi respublica, cultum.*
*Iura deinde tuis sapienter ut æqua ministres*
*Ciuibus: officium poscit munusq́; regendi.*
*Namq; deus celsa reges in sede locauit,*
*Ac tantis opibus, tantis & honoribus ipsos,*
*Auxit: iustitiæ quo sint legumq́; ministri,*
*Attenti & caueant, ne turpi cedat honestum:*
*Néue relaxentur scelerato frena furori.*
*Clemens esse bonis debes, & sontibus atrox:*
*Aequat enim superis animi clementia reges.*
*Ardua magnarum si quando negocia rerum*
*Sunt tractanda, uiris prudentibus utere: ne quid*
*Inconsultus agas: nec te dulcedine captum*
*Fallat, & illecebris ad inertem blanda uoluptas*
*Desidiam, mollis traducat & ocia uitæ.*
*Acres namq; tibi populos fortuna regendos*
*Commisit, cœlo quos frigida despicit arctos:*
*Duratosq́; gelu quos martius excitat ardor.*
*Non ignaua ferunt hi desidis ocia regis.*
*Adde quod effrenis es gentibus undiq; septus:*
*Hinc Scythiæ Nomades tibi bella minantur, & illinc*
*Hostis ab infesto Mahometicus imminet Istro:*
*Sæuaq́; molitur uiolentus prælia Moscus.*
*Ipse tot indomitis populis es præda futurus,*

*Si tua torpuerint ignauo pectora luxu.*
*Strenuus ergo geras animum curamq; uirilem:*
*Nilq; prius uirtute putes: hæc regna tuetur.*
*Turpis auaritiæ quoq; deteſtabile crimen*
*Effuge: nullus enim reges non odit auaros.*
*Nec tamen in cunctos effundas prodigus aurum:*
*Debita munificus uirtuti præmia confer.*
*His da largus opes, qui martia ſigna ſecuti*
*Ob patriam duris adiere pericula bellis.*
*Quiq; nouem claris Muſarum dotibus aucti,*
*Ingenio præſtant alijs linguaq; diſerta.*
*Nam largis opibus debent à rege foueri,*
*Quæ ſacra uirtutis ſeruant cunabula Muſæ.*
*Plura monendus eras: uolucrum ſed mater amorum,*
*Teq; ſacras expectat Hymen ducturus ad aras.*
*Ergo detineam ne te, remorerq; loquendo:*
*Hæc agedum læto nunc accipe munera uultu:*
*Sic tibi, conſortiq; tuæ, felicibus adſit*
*Tædifer auſpicijs, cui ſunt connubia curæ.*
*Sic uos alma ſuo genitrix Aeneia ceſto,*
*Iungat & æternis concordia nexibus ambos.*
*Hæc pater oblato cum munere uerba dediſſet*
*Iſtula, conticuit: caput occuluitq; ſub undis.*
*Rex accepta ferens Nympharum munera ſecum.*
*Inde redecebat ductis ad mœnia turmis.*
*Omnis at ore fremens populus, plauſuq;, per urbem*
*Hymen ô hymenææ hymen hymenææ ſonabat.*

ECLO-

# ECLOGA GEORGII SABINI de Gallo ad Ticinum Capto, Scripta ad Stanislaum à Lasco Poloniæ Baronem.

Lycidas, Aegon.

Accipe syluestri tenerum quod arundine carmen
Lasce tuus cecinit frondente sub ilice uates,
Insubriæ tristem referens de clade querelam,
Quam duo pastores habuerunt: Italus Aegon,
Et Lycidas huius notißimus incola terræ.
Illi ubi caprigenum pecus ad uada fluminis ambo
Compulerant, Lycidas prior est sic ore locutus:
Edite Mantois quid agis pastoribus Aegon? L.
Frondentes inter salices ubi serpit Hauelus
Cinctus arundinibus creberq; palustribus uluis:
Nostra quid hic tondent Andinæ rura capellæ?
Exul ago ô Lycida, patrijsq; fugatus ab oris, Ae.
Herbiferos colles & florida pascua liqui:
In quibus argutas inflauit pastor auenas,
Qui patulæ fagi sub tegmine lentus in umbra
Formosam docuit resonare Amaryllida syluas.
Quæ natale solum te uertere causa coëgit? L.
Dura ne pauperies: an mens non conscia recti?
Me neq; pauperies, ullum neq; crimen abegit: Ae.
Nam me faunigenis Melibœis glorior ortum.
Illic iura dabam pecorum legesq; magistris,

Tectáq; flauenti spaciosa mapalia culmo,
Centum clausa quibus stabant armenta, tenebam.
Quin mihi cultus erat, plenusq; leguminis, hortus:
In quo præter olus, uescumq; papauer, habebam
Alliáq;, maluasq;, & odoriferum serpyllum:
Nec spirantis eram Boreæ uenturus ad arcton
Me fera monstra nisi patria de sede fugassent.
L. Heu sortem indignã: sed quæ fera monstra fugarunt,
Teq; coëgerunt patrios mutare penates?
Ae. Expediam paucis, atq; ordine singula pandam,
Iniucunda licet mihi sint & acerba relatu.
L. Incipe, sed nobis ne forte loquentibus æstus
Sit grauis: his mecum succede uirentibus umbris.
Arboris hic densæ præbent umbracula frondes:
Lætaq; se uario tellus hic flore coronat.
Ae. Est procul, obliquis ubi Sequana flexibus errat:
Allegorica descriptio Galliæ. Regius, Hesperidum quo nullus æmoenior, hortus:
Vtq; meus quondam mihi rettulit hospes Amyntas,
Aurea uernanti surgunt ibi lilia campo:
Quæ (uelut Atlantis custos pomaria serpens)
Haud minor armigero seruat Iouis alite Gallus.
Crista rubens illi, pictæq; coloribus alæ:
Multum plaudit ouans quibus, elatusq; superbit.
L. Ergo quid ille mali pastoribus attulit ales?
Ae. Martius extremis erat in confinibus horti
Anguis, ad Eridani uiridantes gramine ripas:
Dux Mediolanensis. Insubriæ custos terræ, sinuosior illo
Angue, Lycaoniam qui circum elabitur arcton.

Gallus in hunc ardens odio (nam mutua ſemper
Cum colubris ineunt criſtatæ bella uolucres)
Concipit horribiles iras: mox tollitur alis
Huc, ubi nubifera proſpectat ab alpe rubentem
Terga uolubilibus conuoluere nexibus anguem.
Eridani campos deuaſtat, agrosq́; feraces
Ticinus uitreo quos lucidus amne pererrat.
Maturas ſegetes, reſecandaq́; farra colonis,
Florentesq́; ſolo radicitus eruit herbas.
Dirus & in pecudes armentaq́; ſæuijt ales:
Velocem non curſus equum, potuitue tueri
Cornea quæ duro præfigitur ungula ferro:
Non potuere truces defendere cornua tauros.
Nec minus agricolas, armentorumq́; magiſtros,
Vnguibus arripuit, roſtroq́; peremit acuto:
Tanta fuit rabies ac tanta ferocia Galli.
Vos ô montiuagi paſtorum numina Panes, L.
Et nemorum colitis qui teſqua uirentia fauni:
Vos talem noſtris terris auertite Gallum.
Tandum Vindelicis ex Alpibus aduolat iſtuc Ae.
Alituum regina, Ioui quæ tela miniſtrat.
Hæc ubi funeſta paſtorum ſtrage ſuperbum
Ad uada Ticini Gallum offendiſſet euntem:
Ecce coloratas quatit atro fulmine pennas,
Criſtatamq́; inuadit auem: contraria pugnax
Gallus bella mouet totis conatibus ac ui.
Horrida committunt ut iniqui prælia uenti,
Alter ab occaſu quando ruit, alter ab ortu;

Luctantesq; fremunt, explosaq; fulmina torquent:
Haud secus indomito concurrunt marte uolucres.
Quippe suis instant armis, & utrinq; fatigant
Nunc se uulnificis rostris, nunc unguibus uncis:
Donec ad extremum longo certamine Gallus
Frangitur, amittens euulsas corpore plumas.
Tunc aucta insigni uolucrum regina triumpho
Subuolat, & crista Gallum plumisq; carentem
Sistit ad Herculeas Gades, ubi maximus Heros
Carolus Alcidæ uictricibus æmulus armis,
Geryonis populos ac Betica regna gubernat.
L. O Iouis optatam uobis, ac numinis instar
Semper honorandam uolucrem pastoribus Aegon,
Sublato æternam quæ reddidit alite pacem.
Ae. At mox ille redit Lycida, plumisq; renatis
Prædam factus agit multo crudelior ales.
Auxiliumq; ferens illi procul aduenit Vrus,
Sæuior indomitis bobus, quas Aesone natus
Phasidos ad ripas iuga ferre coëgit aratri.
Aduenit infrendens & acutis dentibus Vrsus:
Informis uillis Vrsus, quo nulla ferarum
Incolit Heluetiæ rigidas uiolentior Alpes.
Tum uero fugiunt omnes, laribusq; relictis
Antra petunt, sese nemorumq; recessibus abdunt.
Tum pater Eridanus taurino cornua uultu
Muscosumq; caput flauentibus occulit undis:
Cernere Ticinus nec tristia damna suorum
Sustinet: ac trepida formidine Mincius horret,

Noua expeditio Galli in Italiam.

Vrus & Vrsus insignia Heluetiorũ.

Mincius

Mincius argutos qui flumine nutrit olores.
Deniq; tum lugent affecti cladibus horti
Auricomæ Sirenis, ubi redolentia spirant Neapolis
Arboris amittunt quæ nunquàm citria florem. obsessa.
Ergo ubi iunxerunt se monstra ferocia Gallo,
Ipse procul fugiens Cadmeæ pascua Mantus
Desero, ne fiam crudeli præda uolucri.
Exul & huc uenio rerum nunc omnium egenus,
Has nisi quod mecum macilentas duco capellas.
Degimus hic inopem tecto sub paupere uitam: L.
Si libet, ô nostris succede penatibus Aegon.
Sunt mihi tosta domi non acribus oua fauillis,
Cerea uimineis seruataq; pruna canistris.
Et iam rore madent herbæ, subituraq; noctis
Incipiunt altos operire crepuscula montes.

ECLOGA EIVSDEM, DE
*nuptijs illustrißimi principis Alberti,*
*Marchionis Brandeburgensis, pri-*
*mi Ducis Prußiæ: & Annæ*
*Mariæ, filiæ Erici*
*Ducis Brun-*
*suicensis.*

Palemon, Faustus.

FAuste quid exultant læto Ducis atria plausu? P.
Hic ubi piscosus sinuato gurgite septem

Bregela turritæ pontes ſubterfluit urbis :
Quam rex ( ut perhibent ) Odoacer condidit olim,
Regalemq; ſuo montem de nomine dixit.
Nam pulſata ſonant tibicine tympana mixto :
Lætus & auditur concentus in arce tubarum.

F. Gaudia percipiens hymeneia ducit Iolas :
Hæc noua læticiæ eſt ( ſi neſcis ) cauſa Palemon.
Tertius extremo iam cardine uertitur annus,
In uiduo cœlebs cum triſtia ſigna cubili
Suſtinuit : nunc ſponſus init noua fœdera lecti,

P. Illic pauper ago ſyluis frondator in altis
( Vt ſcis ) nulla uenit quò rerum fama nouarum :
De quibus ergo refers, mihi ſunt incognita tædæ
Gaudia : ſed memini, ſummoq; dolore recordor
Temporis illius, quo tota Boruſsia luxit
Principis heu triſti conſortem morte peremptam.
Nanq; ego ſtridenti plauſtro tum uectus ad urbem,
Iuniperi baccas & olentia lingna ferebam
Flens ubi ducebat miſerabile funus Iolas.

F. O ſi uidiſſes ſpectacula læta Palemon,
Agmen & Heroum, longamq; ex ordine pompam,
Ipſe triumphanti ſimilis qua ſponſus in arcem
Aſcendit, nuptamq; nouam per mœnia duxit.

P. Eia age fare precor : ſic candida Nais & Aegle,
Hic quibus emiſti crepidas mollesq; cothurnos,
Dent optata tibi flagrantibus oſcula labris
Ad patrios quando remeabis ab urbe penates.
Ac refer in primis, quo ſanguine ſponſa parentum

Creta sit: & nunquid generosa prædita forma.
Edita prælustri Gelphorum sanguine sponsa F.
Est, ut Pieridum cultor mihi rettulit Aegon,
Omnia qui nouit clarorum stemmata regum.
Nobile Gelphorum genus est, notumq; per orbē: P.
Quin & idem bellis assuetum & fortibus armis,
Nescio quos olim Gibelinos contudit hostes,
Vt uulgata docent antiqui carmina Fauni
Quæ Dryades nostræq; canunt per rura Napeæ.
Ortus ab his claris Heroibus acer Ericus F.
Hanc genuit sponsam, quo non laudatior alter
Dux, celebri nomen Brunonis ab urbe gerebat,
Dum triplices illi ducebant fila sorores.
Ipse suas habuit sedes, ubi Fulda pererrat
Saxoniæ campos, & lucidus amne Visurgis.
Diues agri, diues pecoris: tot pinguia terræ
Iugera, tot saltus, tot habebat pascua, miluus
Tota luce uagus quot non circumuolet alis.
Nec non expertus belli mauortia fecit
Prælia, liligero tutatus ab hoste colonos,
Insubriæ quorum scinduntur uomere campi.
Et uetus & certe genus est illustre paternum: P.
Sed de materna quid dicis origine sponsæ?
Si bene commemini de sanguine mater eodem F.
Ducit Elisa genus, satus est quo sponsus Iolas.
Principis est etenim Ioachimi filia primi
Qui fuit imperij Septemuir, & inclyta Brenni
Mœnia possedit: moderamina rexit & omnes

Marchiacas urbes, quas incoluisse feruntur
Teutones, ac primi Sueuorum Semnones olim.

P. Gratulor hoc nobis de principe: gratulor ipsi
Et sponso: tali nam coniuge dignus Iolas.
Verum perge precor narrare, ipsamq; puellæ
Nunc effinge mihi uerbis atq; exprime formam.

F. Qualis mane nouo cœli radiantibus astris
Enitet auroræ præcedens lucifer ortum:
Talis uisa mihi sponsa est, quam splendidus auro
Cultus, & insignem reddebat gratia formæ,
Vestibus auratis carpenta aurata premebat,
Nympharum stipata choro, quibus omnibus idem
Ex auro uestitus erat, diuesq; paratus.
Sed tamen in toto formosior altera cœtu
Non conspecta fuit, quàm sponsa: hæc ansere Lędæ
Candidior, roseo suffecta colore nitebat,
Mixta papaueribus ceu candida lilia rubris.
Vtq; decus formæ, sic (quod reor ominis instar)
Ipsa etiam felix & amabile nomen adepta est:
Nanq; refert auiam & genitricem nomine Christi.

P. Si uiget egregio præstans in corpore uirtus,
Ipsaq; contingunt (ut opinor) nomina fato:
Moribus haud dubie sanctis, uitaq; pudica,
Quarum nomen habet diuas imitabitur ambas:
Sic, quo dicta fuit, dignam se nomine geßit
Dorotheæ, tumulo quæ conditur altera princeps:
Seq; Dei donum uirtutibus esse probauit.
Mitis erat, populo nec non affabilis omni,

Multaq;

Multaq; pauperibus donabat farra colonis.
Hactenus hæc: paucis ipsam nunc accipe pompã. F.
Vt noua sponsa suis adducta cohortibus urbem
Ingressura fuit, cœtu comitatus equestri
Sponsus in occursum tendebat, & obuius illi
Huc, ubi spumantis sinus incipit æquoris, ibat
Intextam multo uestem circundatus auro:
Fuluaq; cornipedem mandentem frena regebat
Acer, & erecto iactantem pectore crura
Sæpius in gyrum facili flectebat habena.
Corporis armati custodes undiq; septum
Claudebant, humeris & acuto lucida ferro
Gesa, Ducum quæ sunt custodibus arma, ferebant.
Se fratri comitem frater Gilielmus eunti
Præbebat sponso, qui Rigæ mœnia præsul
Liuonumq; tenet contermina iugera Moscis:
Et uigil ætherei pastoris ouilia custos,
Extremo algentis cœli sub cardine seruat.
Visendi studio portis effusa iuuentus,
Complebat denso spaciosos agmine campos:
Haud secus ac muscæ sub adulti tempora ueris
Obsita pastorum fuligine limina complent.
Iamq; salutata cum uirgine multa locutus,
Agmine conuerso repetebat mœnia sponsus:
Lætior intrabat turmis & ouantibus urbem.
Hic tibi quid referam phaleras, cristasq; comantes,
Atq; argentatos enses, aliosq; decoros
Ornatus: quibus ipse meo nil tempore uidi

Splendi-

Splendidius: ſenior nec ſe uidiſſe Menalcas
Commeminit, quamuis centum iam uixerit annos,
Ante Ducem uero clangebant æra tubarum,
Cum quibus & rauco caſtrenſia tympana pulſu
Mota dabant ſonitum: circum carpentaq; ſponſæ
Inſignes ibant proceres, currumq; tenebant:
In quo cernere erat ſimulachra effićta leonum,
Inclyta Gelphiacæ quæ ſunt inſignia gentis.
Quaq; uehebatur dućtus per compita currus,
Læticia celebriq; fremebant omnia plauſu.

P. At quos Heroas, quos ſecum ſponſa propinquos,
Ad noua longinquas hæc gaudia traxit in oras?

F. Marchio qui Brenni cognomen ab urbe Ioannes
Ducit, in has terras ipſius auunculus unà
Venit; magnanimus princeps, quem caſtra ſecutum
Decertaſſe ferunt pugna pro Daphnide nuper
Ad uada Danubij, cum marte acerrimus Alcon
Qui iuga Cattorum tenuit contermina Rhenō,
Aſpera ſceptrifero cum Daphnide bella gerebat.
Syncerę perhibent hunc relligionis amantem,
Intrepido uerum profiteri pećtore cultum
Tradita rite docent quem nos oracula Chriſti.
Principis huius adeſt & laudatiſsima coniunx,
Edita Gelphiacæ Catharina propagine gentis.
Venit & huc princeps Gilielmus, origine Gelphus:
Qui ualidis audet contendere fortiter haſtis,
In circo ludi cum committuntur equeſtres.
Præterea aduenit formoſus & indole præſtans,

Dux

Dux qui torua gerit nigri bouis ora Ioannes
Albertus, fortes quo sese principe Cymbri,
Vandaliæ & iactant ad Balthica littora gentes.
His coniunctus adest & uitricus ipse puellæ
Gallinæ de monte Comes: cui nobile Poppo
Nomen. quin etiam lectißima fœmina quædam
Fertur adesse, soror sponsæ: illiusq; maritus
Popponis frater Comitis: multiq; potentes,
Et clari uirtute uiri: me nomina quorum
Prætereunt, & auita fugit natalis origo.
Vix celebrata reor tanto connubia cœtu, P.
Cum Thetis Aemoniæ Nereia nupsit alumno.
Tandem ubi uecta rotis excelsam contigit arcem F.
Sponsa, Ducis thalamũ Nymphis comitãtibus intrat.
Atria imaginibus pictisq; ornata tapetis,
Intus fulgentiq; nitent auro atq; argento:
Illic mille scyphos, gemmataq; pocula uidi
Pondere uasta graui, uarijs cælataq; signis
Pulchrius, Arcadici quàm fagina pocula Mopsi.
Inde ubi noctis equos uesper ducebat opacus,
Ecce ferunt pueri tædas de more iugales,
Sponsaq; subsequitur sponsusq; frequente caterua:
Congreßiq; manus solenni fœdere iungunt,
Sancit & amborum connubia rite sacerdos.
His actis abeo: nam duro stipite sumpto
Sæua minabatur mihi uerbera ianitor aulæ.
Protinus ipse tamen sub cœca nocte reuertor.
Ornatumq; gerens buxo frondente galerum

Principis

*Principis ingredior reuolutis atria ualuis:*
*Contemplorq; dapes & regia fercula cœnæ.*
*Non ibi cæpa rubens, fumoso coctaq; lardo*
*Rapa, uel instructas onerabat braßica mensas:*
*Sed caro nescio quæ, Panchæi cinnami odorem*
*Late diffundens: hic lancibus ora ferarum,*
*Hic capita immani stabant & hiantia ricto.*

F. *Formidanda refers magnorum fercula regum:*
*Miror ad has ipsas epulas, rictusq; ferinos,*
*Ducere magnates læto conuiuia uultu.*

F. *In patinis non sunt metuendi dentibus apri,*
*Sicut in umbrosis, fera dant ubi uulnera, syluis.*
*Postera lux uero cum noctis abegerat umbras,*
*Ingreditur sponsus sacrati limina templi*
*Cum sponsa: precibusq; pijs ibi numen adorant,*
*Iamq; choros læti ducunt: & in arce iuuentus*
*Martia commißis edit spectacula ludis:*
*Armatiq; uiri concurrunt grandibus hastis.*

P. *Acre mihi gelidos nisi frigus adureret artus,*
*Edita narrares etiam spectacula uellem.*
*Sed iam digredior: uotisq; ardentibus opto,*
*Coniugium nostro Deus ut fortunet Iolæ.*

FINIS.

# GEORGII SABINI LIBER EPIGRAMMATVM.

## AD VIRVM DIGNITATE ET *doctrina præstantem, Paulum Prætorium, Sigismundi Archiepiscopi Madeburgensis, consiliarium & præceptorem.*

*QVæ legerët hilari iuuenes epigrammata uultu,*
*Vatis ad exemplum compositurus eram.*
*Quem tulit urbs Celtis & Iberis condita priscis*
*Bilbilis, irrigui cincta Salonis aqua.*
*Affectansq; sales, argutaq; dicta, precabar*
*Vellet ut inceptis musa fauere meis.*
*Illa mouens risu caput, ò quid inanibus optas*
*Votis? tu ne paras esse iocosus? ait.*
*Te grauis anxietas animi, curæq; fatigant:*
*Ingenio gaudet liberiore iocus.*
*Quin & Bilbilici dicteria multa poëtæ*
*Sunt obscœna: nigro multaq; felle madent:*

At lacerant famam: sed non imitanda modestis
Ingenijs, nec sunt moribus apta tuis.
Quæ tamen exhilarent lectoris carmina mentem
Ludere si plectro te breuiore iuuat,
Lude verecunde: nec spinis asper acutis
Punge: nec obscœnis ora resolue modis.
Dixerat: illius monitis & iussa secutus,
Ingenua duxi nil grauitate prius:
Hæcq; breui ludens epigrammate carmina feci,
In quibus arguti sunt sine felle sales,
Obscœniq; nihil: resonam nunc alloquor Echo:
Tristia nunc titulis orno sepulchra suis:
Et iocor interdum, recitoq; mouentia risum
Dicta: tamen uana quæ leuitate carent.
Hos tibi Pieridum cultori dedico lusus,
Ingenij fautor candide Paule mei.

## LIBER AD LECTOREM.

NOn ego sum lepido cõpar epigrammate uati
Quo didicit salsè Roma iocante loqui.
Ipse sed illius quasi simius, æmula ludo
Carmina: quæ quanquam non tibi forte placent,
Tu tamen euoluas: cura grauiore uacantem
Te, cum simiolo ludere quando iuuat.

## ECHO.

Dic mihi Nympha cauis habitans in uallibus Echo,
Semicaper Faunus cur ita clamat? ECHO, amat.

Quæ tamen illa furit cuius male sanus amore?
Diuitis an Codri filia Nais? ECHO, ais.
Est opulenta quidem, sed turpibus obsita rugis:
Debuit hanc bifrons ducere Ianus. ECHO, anus.
Candida me uero Thaumantias urit amantem,
Cuius forma decens & generosa. ECHO, rosa.
Huius amore flagro: sed dic resonabilis Echo,
Quæ res ergo graues sunt in amore? ECHO, moræ
Ver est conueniens blandis & amoribus aptum:
Vere nouo sponsum me fore reris? ECHO, eris.
Interea gelidis in uallibus ipsa ualeto,
Vox tua sæpe mea uoce sonabit, ECHO, abit.

## EPITAPHIVM FRIDERICI Marchionis Brandeburgensis Archiepiscopi Madeburgensis, qui obijt Anno M.D.LII.

Reddidit ante diem Fridericus Marchio uitam,
Factus ubi præsul Parthenopæus erat.
Hunc ubi conspexit Respublica morte solutum
Fleuit: & hæc mœsto pectore uerba dedit:
O columen Friderice meum: ceu mißis in herba,
Ah tua sub primo flore iuuenta perit.
Te uix alter erat præstantior indole princeps:
Spes erepta mihi funere quanta tuo?

## DE ASTROLOGO & aratore.

*Dixerat astrologus cœlum sine nube futurum*
*Principe syluarum lustra petente suo.*
*Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem*
*Vertere consuetus bobus arator humum.*
*Vix ingressus erat princeps nemus ilice densum,*
*Cum subito pluuiæ præcipitantur aquæ.*
*Laudat aratorem princeps, ipsumq; doceri*
*Astra, sed astrologum sumere rastra, iubet.*

## APOPHTHEGMA DIVI Augustini.

*Dum Lybicis Christũ pater Augustinus in oris*
*Asserit, ac peragit munus in æde suum:*
*Dum miranda refert populo primordia mundi,*
*Esse docens uerbo cuncta creata Dei:*
*Impius assurgit uerbisq; procacibus Afer,*
*Ergo opifex rerum quid faciebat? ait,*
*Et quibus intentus fallebat tempora curis?*
*Mundus adhuc nondum cum fabricatus erat.*
*Præsul adhæc Lybicus, fabricabat tartara dixit*
*His, quos scrutari talia mente iuuat.*

## IN TVCCAM, OBtrectatorem.

*Parua quod alterno deduco Poëmata uersu,*
*Diceris ingenium carpere Tucca meum.*

EPIGRAM.

Sunt mea parua quidem, tenuiq; simillima riuo:
Leniter immunda sed sine sorde fluunt.
Multa turget aqua septemplicis alueus Istri,
Sed nimis est multa turbidus Ister aqua.
Nemo petit sitiens ingentia flumina: paruo
Fonte leuant homines, flumine bruta sitim.

IN EFFIGIEM IOACHI-
mi II. Marchionis Brandebur-
gensis, principis Ele-
ctoris.

FVlmine dum belli tempestas perculit omnes
Quos tenuit martis dira cupido duces,
Optimus hic princeps intactus fulmine mansit,
Vlla nec hostili uulnera clade tulit.
Quæ ratio? pacem coluit, pacisq; sequester
Martia consilio sustulit arma suo.
Maius ob id nomen, quàm si fera bella dedisset,
Seq; cruentasset sanguine plebis, habet.

DE AQVILA BRAN-
deburgensi.

DVm uolucres aliæ cum Cæsaris alite bellum
Vnguibus armatis exitiale gerant,
Fortia signatus regali pectora sceptro
Ales, Cæsareæ fidus adhæret aui.

## TORMENTVM BELLIcum, Iulij II. Pontificis imagine insignitum.

QVi truculentus eram bellator, & effera cuius
Mens olim rigido durior ære fuit,
Aenea sum belli nunc machina: fulminis instar
Et nunc igniuomo Iulius ore fremo.
More meo strages, & funera stragibus edo:
Vrbibus exitium dirus, ut ante, fero.
Sic mihi uis eadem remanet post fata nocendi:
Tristia mee populus damna tonante facit.

## AD SIGISMVNDVM ARCHIepiscopum Madeburgensem, Sigismundi Regis Poloniæ ex filia nepotem.

QVanta Sigismundi grauitas, sapientia, uirtus,
Quem coluit regem Sarmatis ora, fuit:
Tanta tibi grauitas, illius tanta nepoti
Virtus, tamq; sagax contigit ingenium.
Quin eadem facies: habitusq; simillimus oris:
Inq; tuo ualidum corpore robur inest.
Indole sic animi, sic fausto nominis illum
Omine, sic oculis, sic grauitate, refers.

 117

## DE IOACHIMO II. MARchione Brandeburgensi exercitum contra Turcas in expeditionem educente augurium.

CVm patris educẽs Ioachimus Marchio turmas
Castra profecturis signaq; mouit equis,
Auspice qui contra pharetratos Cæsare Turcas,
Acria pro Christi nomine bella gerit:
Ingrediente uiam cantantes principe pulli
Insolitum liquida uoce dedere sonum,
Præpete qui nondum uestiti corpora penna,
Ante duos sed adhuc oua fuere dies.
Hæc bona felicem portendunt signa triumphum:
Augurijs faustum talibus omen inest.
Nanq; ubi Thebanis uicti Lacedæmones armis,
Sanguine fecerunt Leutra cruenta suo:
Martis aues, læto uictoribus omine, galli
Prospera uocali gutture signa dabant.

## TROPHAEVM EIVSdem Marchionis.

HAec tibi Turcarũ Ioachimus Marchio uictor,
Militiæ statuit Christe trophæa suæ:
Arcusq;, Clypeosq;, sagittiferasq; pharetras,
Barbara quæ fusis abstulit arma Getis,
Cæsaris auspicio pugnans ubi contudit hostes:
Dedicat hæc templis munera uota tuis.

## COLLATIO SATVRni & Papæ.

FAlcifer hic olim Saturnus regna tenebat,
Ausonius sedem nunc ubi præsul habet.
Ille parens crudelis erat, natosq; uorabat:
Hic simili præstat se feritate patrem.
Nanq; suos natos, cum bile tumescit & ira,
Ad Stygias sæuo fulmine mittit aquas.
Ille grauem fertur deglutiuisse molarem:
Faucibus hic arces, oppida, regna, uorat.

## DE ALBERTO ACHILle Germanico, Marchione Brandeburgensi.

CErtior Albertus cum Marchio redditus esset,
Acre sibi bellum quinq; parare Duces:
Atq; moneretur ne tot contenderet impar
Hostibus: intrepidus iussit abesse metum.
Quin referam tanto plus laudis ab hostibus, inquit,
Illorum quanto copia maior erit.
Anxia solliciti quam causam turba pauoris
Attulit: hæc illi calcar ad arma fuit.

## DE TOLLIONE FVrante horologium.

QVod mouet æquales spacijs distantibus horas
Liliger auratum Gallus habebat opus:

Hoc ubi, militiam funestaq; bella secutus
Tollio, Normannus surripuisset eques,
Inq; sinu furtim per regia limina ferret,
Edidit horarum machina mota sonum.
Inditio tali fur proditur: omnia fiunt
Crimina iudicio sic manifesta Dei.

## DE IOANNE GEORgio Marchione Brandeburgensi.

INuia dum canibus syluarum lustra pererrans
Cuspide setosos Marchio figit apros,
Mars ait, hoc princeps studium depone Dianæ,
Et fac militiæ castra sequare meæ.
Me duce magnificas Asiæ uenaberis urbes:
Inq; tuos casses Turcica regna cadent.
Quæ uastat Scythicis egressa paludibus orbem,
Succumbet iaculis bellua fixa tuis.

## IN EFFIGIEM ALBERTI Marchionis Brandeburgensis, primi Ducis Prusiæ.

REgia laurigeris qui condidit atria musis
Hic ubi labentes Bregela uoluit aquas,
Primus & indigenas uera pietate Borussos
Imbuit, Albertus Marchio, talis erat,
Bis tribus adiectis quando natalibus æui
Dena recensebat lustra peracta senex.

## IN EFFIGIEM ANNAE Sophiæ, filiæ Ducis Prußiæ.

Qualis Amycleas inter formosa puellas
Tyndarei quondam filia regis erat,
Talis apud gentes, quas Parrhasis educat arctos,
Eminet ac roseo uix habet ore parem
Nobile quæ nomen Sophiæ de nomine ducit,
Anna Borußiaci clara propago ducis.

## EPIGRAMMA INSCRIPTVM termino in finibus Lituaniæ & Prußiæ posito.

Quando Sigismundus patrijs Augustus in oris,
Primus & Albertus Marchio, iura dabant:
Ille Iagellonis Lituorum principis urbes,
Hicq; Borussorum pace regebat opes:
Hæc erecta fuit moles, quæ limite fines
Signat, & amborum separat arua Ducum.

## EPIGRAMMA INSCRIPTVM in Palatio Ducis Prußiæ ubi depicta est genealogia Caroli V. Imperatoris.

FRancia quæ tribuit deuictis nomina Gallis,
Troiugena claros Hectore iactat auos,
Hos & progenuit reges, regumq; nepotes,
A quibus Habspurgæ manat origo domus.

*Vnde duces orti, quibus omnes Austria reges*
*Sanguinis exuperat nobilitate sui.*
*Cum genus Aeneadûm non amplius imperat, orbis*
*Cepit ab Hectorea posteritate regi.*

EPITAPHIVM LVDO-
*uici Regis Hungariæ, à Turcis*
*occisi.*

*NAtus ab antiquo Ludouicus sanguine regum,*
*Pannoniæ geßi sceptra potente manu:*
*Occubui, patriam dum protego fortibus armis,*
*Thrace fero regnum depopulante meum.*
*Nec tamen aduerso cecidi quod marte peremptus,*
*Patria quod mecum concidit ipsa, queror.*

DE PRINCIPVM
*discordia.*

*MVtua discordes faciebant prælia turdi,*
*Acris & alitibus pugna duobus erat.*
*Vidit ut amborum prædo certamina Nisus,*
*Vnguibus ac rostro dilaniabat aues.*
*Sic modo dum faciunt discordes prælia reges,*
*Turcicus Europæ diripit hostis opes.*

IN MVTATIONEM VR-
*bium Germanicarum.*

*Quando ruinosis stabant circumdata muris*
*Oppida, nec præceps fossa nec agger erat:*

Inclyta tum belli Germania laude uigebas,
Hoste tibi nullos incutiente metus.
At fossis postquam nunc est munita profundis,
Aggeribusq; urbes uallat arena tuas:
Nunc uirtute cares: nunc supplex porrigis ultro
Omnibus imbelles hostibus ipsa manus.
Grandia quod trepidos formidine cornua ceruos,
Hoc tua te fossis mœnia cincta iuuant.

## EPITAPHIVM BALDASARIS patris Georgij Sabini, Consulis Brandeburgensis.

Quas pater inferias, tibi quæ funebria soluam
Munera? quæ meritis præmia digna tuis?
Vrbis honoratus rexisti consul habenas:
Afflicta est populi te moriente salus.
Acer eras scelerum uindex, & cultor honesti:
Iuraq; reddebas ciuibus æqua tuis.
Tuq; mihi sumptus alimentaq; larga dedisti,
Cum puer his studijs erudiendus eram.
Pro quibus officijs quanquam tibi nulla rependi
Dona, nisi hæc luctus heu monimenta mei,
Funere sublatus tamen hoc solamen habebis
Chare parens, nequeat quod tua fama mori.
Nanq; tuum decorant tumulum seruantq; Camœnæ,
Per quas æternum uiuere fama solet.

## DE DIVITE ANU INSULtante pauperculæ mulieri.

PAuperis uxor erat ſed honeſti ciuis: ad illam
Veſtibus & gemmis ſplendida uenit anus,
Cuius ſacrilega ditatus fraude maritus,
Turpiter immenſas accumularat opes.
Sicq; locuta fuit: ſum diuite ſplendida cultu:
Tu quid inops inopis coniugis uxor habes?
Opportuna dedit uerbis reſponſa modeſtis
Pauper honorato fœmina iuncta ſeni,
Te decorant tyriæ ueſtes, gemmæq; nitentes:
Fama boni decorat me ſed honeſta uiri.

## EPITAPHIUM ALBERTI filij Georgij Sabini.

ALberti gelida conſumpti morte Sabini
Filioli ſunt hic oſſa ſepulta mei,
De quo magna quidem ſed inanis facta parenti
Spes mihi, detraxit quam fera parca, fuit.
Corpore robuſtus, teneris animoſior annis,
Ingenio præſtans, ore uenuſtus, erat.
Indicat infelix operoſi cura ſepulchri,
Quanta mihi miſero ſpes ſit adempta patri.

## ALIUD EPITAPHIum eiuſdem.

VNica Chriſte ſalus hominum qui triſtia nobis
Mortis ademiſti uincula morte tua,

Has

Has precor exuuias, animamq; tuere caduci
Corporis, hic gelida quod requiescit humo.

EPITAPHIVM CHRISTOphori filij G. Sabini.

TV quoq; Christophori nomen qui nate gerebas
Spesq; senescentis magna parentis eras,
Conditus hic dormis: & eodem iuncta sepulchro
Hic tua fraternis oßibus ossa cubant.

AD AFFINEM SVVM DOctorem Christophorum Ionam Regiomontanum.

CVnctaleonte Leon cum fratre forẽsibus armis
Decertat, dubio bellaq; marte gerit.
Belli causa patris non intellecta uoluntas,
Ipse suas utri nempe dedisset opes.
His etenim uerbis, mea do bona cuncta leonti,
Ante parens usus quàm moreretur erat.
Hinc sibi Cunctaleon patris bona uendicat hæres,
Omne patrimonium poscit & ipse Leon.
Tu refer antistes legum doctißime Iona,
Quis sit adepturus iure parentis opes.

DE AVLICO.

AVlicus incedit dum longa per atria solus,
Ore uelut coram principe uerba dabat.

Rusticus

Rusticus aspiciens hunc percuntatur & inquit;
Nemine quis tecum uerba loquente facit?
Aulicus hic moto stomacho: cur improbe dixit
Ista rogas? mecum quod loquor, an ne uides?
Ille sub hæc, fateor: sed cur non mutua ducis
Verba locuturus cum meliore uiro?

## PICTORIS IOCVS.

PIgnora coniugij deformia pictor habebat:
Vxor in hunc talem protulit ipsa iocum.
Cum tua præstantes manus exprimat æmula formas,
Cur secus ac pingis, corpora fingis? ait.
Nocte refert, soleo tenebrosa fingere pingo:
Clara nitet phœbo cum radiante dies.

## DE SENIBVS IN COEMIterio confabulantibus.

COmplorata iacent mœstis ubi corpora bustis,
Garrula soluebant uocibus ora senes,
Certabantq; iocis: ad quos puer ore proteruus,
Sunt, ait, ad uestras gaudia quanta domos?
Confectos ætate senes, lethoq; propinquos,
Ipsorumq; notans, esse sepulchra, domos.

## AD IOANNEM HORNBVRgium, Episcopum Lubusanum.

VNice Mecœnas & uatis amice Sabini,
Vt quoq; carminibus tu celebrere meis,

Hoc mea te donat succincto musa libello:
At mihi cur donas hoc leue munus? ais.
Nempe quod in tenero doctorum carmine uatum,
Te nihil arguta plus breuitate iuuat.
Salsa sed hæc (inquis) non sunt epigrammata: cur hæc
Dulcibus aspersit non tua musa iocis?
Publica dißidijs turbantibus ocia, rarus
Hæc quo scribebam tempore risus erat.

EPITAPHIVM VXORI
erectum ab Antonio Borg,
Prußiæ Præfecto.

ACcipe perpetui sed flebile pignus amoris
Nuper eras thalami quæ decus Anna mei
Hos memores uersus, clarum post funera nomen
Vnde recognoscant secula longa tuum.
Non uirtute minus, quam nobilitate, fuisti
Inclyta: te uitæ candida fama manet.
Inuiolata mei seruasti fœdera lecti:
Culta tibi pietas, est tibi culta fides.
Nec sterilis, sed eras fœcunda: nec altera, dulci
Fœmina quæ uultu te superaret, erat.
Munera pauperibus conferre benigna solebas:
Luxerunt inopes te moriente nurus.
Nunc es apud superos: Christum moritura uocabas
Voce redemptorem deficiente tuum.

## EPIGRAMMA INSCRIPTVM IN pariete Gymnasij Regiomontani.

Quando redemptoris post incunabula nostri,
Addita ter centum lustra duobus erant,
Phœbus & undecies ternos compleuerat orbes,
Lucida qui cœli signa pererrat equis,
Hic erecta fuit doctis Academia musis,
Quas fouet Alberti cura benigna Ducis.

## ALIVD IBIDEM.

Qui regit indomito præstantes marte Borussos,
Gymnasio princeps hæc dedit arma suo,
Nempe duas aquilas, inuictum Heroaq;, cuius
Aonidas forti protegit ense manus.

## IN MERCVRIVM VANDALVM.

TE magis elinguis cum sit nec agrestior alter,
Quare Mercurij nomen inepte geris?
Non ita, dicendi quod præstas laude, uocaris:
At potius, turpi furta quod arte facis.

## IN EFFIGIEM MATTHIAE Stoij Regiomontani.

STоius Aonidum cultor, quo clarus alumno
Factus, honoratum Bregela nomen habet,
Sic oculos, sic ipse genas, sic ora ferebat
Quando Borußiaci pars Heliconis erat,

In quo plectra mouens Amphionis æmula uatis,
Traxit Apollinea saxa ferasq; chely.

## IN POETAM IMPVDENter adulantem.

PHœbus adulantem compellans uoce Poëtam
Qui de liligero rege poëma dedit.
Improbe, te ne pudet confingere talia? qui sis
Miror, utrum uates, an parasitus? ait.

## DECOCTORIS IOCVS.

CVm sua decoctor subeuntem limina furem,
Quærere speratas nocte uideret opes:
Nocte quid in nostris circumspicis ædibus? inquit,
Hic ego nil media cernere luce queo.

## AD ACHATIVM.

VT merito quanquam Germanus origine natus
Nobile Troiani nomen Achatis habes
Inter quotquot erant Aeneam classe secuti
Troas: nemo magis fidus Achate fuit.
E multis mihi certa fides est cognita quorum,
Cognitus est fidus te mihi nemo magis.

## EPITAPHIVM PASTORIS.

TRistia disce meo uitare pericula casu
Hospes & alterius cautior esse malo.

Nox erat,& gelidos emiserat Aeolus euros,
Cum puer armentum pascere iussus eram.
Excito fumosum radice sub arboris ignem:
Inde soporatum me premit alta quies.
Dum capio somnum, uiolentis ignibus arbor
Corruit: exitio meq; ruina dedit.

IN PHILIPPICAS CICEronis & Ouidij libros Methamorphoseôn.

CVlta iuuentuti Ciceronis scripta Sabinus
Tempore brumali iam redeunte legam:
Scripta quibus pugnax Antonius urbe fugatur,
Cæsaris ulcisci dum parat ense necem,
Qui funesta mouens aduersus bella senatum,
Ciuica Romanos traxit in arma Duces.
Dulcia quin etiam Peligni carmina uatis,
Inq; nouas formas corpora uersa, legam.
Hæc ego iam biduo uenturas ante calendas
Ordiar auspicijs enucleanda bonis.

IN SYMBOLVM STEPHAni Doleti. Omnia amußim dolo.

SI dolat expoliens ad amußim cuncta Doletus,
Cur sua non etiam carmina scabra dolat?

IN POEMATA EIVSDEM.

CArmina facturus sublimia, fecit oletum:
Hinc Bauio peius uate Doletus olet.

## EPITAPHIVM DOCTOris Ioannis Brismanni, Præsidis Sambiensis.

ILle ego qui Christi Brismannus ouile regebam
Hic ubi mons triplici Regius urbe iacet,
Totaq; cui clarum tribuebat Sambia nomen
Præsidis: hic uili sum tumulatus humo.
Me pia sed magnis ecclesia laudibus effert:
Semper enim uigilans in statione fui,
Diuinoq; lupum baculo insectatus abegi,
Ne mihi commissas dilaniaret oues.
Vana superstitio, fanaticus error, & omnis
Hinc dedit impietas me duce pulsa fugam.
Olim quisquis eris nostri successor honoris,
Fac eadem sacri sit tibi cura gregis.

## AD STANISLAVM HOSIVM, Episcopum Varmiensem, Prosopopeia Poëmatum G. Sabini.

QVi fuit Euganea tibi notus in urbe Sabinus,
In uiridi genuit nos Helicone parens.
Excipe pierij natos & pignora uatis,
Præsul Apollinei candida fama chori.
Est studium nobis (studium si forte requiris)
Dulcia Threitiæ plectra mouere lyræ.
Inclyta magnorum canimus præconia regum,
In quibus ipse tuus rex quoq; nomen habet.

Si

 

*Si dignatus eris præbere canentibus aures,*
*Nostra canent laudes postmodo plectra tuas.*

## EPITAPHIVM MELCHIORIS *à Creucen uiri dignitate & uirtute præstantis.*

*Melchior hic situs est, uir sanguine clarus equestri,*
*Cuius auita domus de cruce nomen habet.*
*Mißnia fulgenti tellus opulenta metallo*
*Edidit hunc patrio progenuitq; solo.*
*Venit in has terras æuo florente, regebat*
*Saxo Borussorum cum Fridericus opes.*
*Inde sub Alberto traduxit principe uitam,*
*Qui titulum meruit primus habere Ducis.*
*His à principibus magno fuit auctus honore:*
*Ante alios quoniam fortis & acer erat.*
*Natos ipse duos sublatus morte reliquit,*
*Hæc statuere suo qui monimenta patri.*

## EPITAPHIVM CATHARINAE, *coniugis D. Ioannis à Creucen, Cancellarij Ducis Prußiæ.*

*Condita quæ tristi iacet hoc matrona sepulchro*
*Nobilis est claro sanguine nata patris,*
*Argolicis habuit gratum Catharina puellis*
*Nomen: Ioanni de Cruce nupta fuit,*
*Vnanimis septem cum coniuge uixit in annos:*
*Candidus amborum lite carebat amor.*

Casta pudicitiæ famam seruauit honestam,
Qua laudata nihil fœmina maius habet.
Quin & adorauit sincero pectore Christum,
In gremio uitam mortua cuius agit.

IN POEMATA ANdreæ Munceri Elbingensis.

Diues ut Aegæi quondam maris insula Lesbos
Threitij meruit uatis habere lyram,
Cuius mirifica dulcedine saxa feruntur,
Brutaq; in Ismarijs obstupuisse iugis:
Nunc ita diuino præstantes carmine uates
Educat Orpheam Prußia nacta Chelyn:
In quibus Andreas Muncerus nobile nomen,
Inclytus Aonij fontis alumnus habet.

DE SACERDOTE FVrem consolante.

Qvidam Sacrificus furem comitatus euntem
Huc, ubi dat sontes carnificina neci,
Ne sis mœstus, ait: summi conuiua tonantis
Iam cum cœlitibus (si modo credis) eris.
Ille gemens, si uera mihi solatia præbes,
Hospes apud superas sis meus oro, refert.
Sacrificus contra: mihi non conuiuia fas est
Ducere: ieiunans hac edo luce nihil.

## DE QVODAM DVCE.

SAepe rudes inter mutata ueste colonos
Noricus agricolæ Dux faciebat opus.
Nunc pascebat oues nunc gramina falce secabat:
Vomere proscindens nunc subigebat humum.
Et simul illato de se sermone, rogabat
Plurima: nempe quibus moribus ipse foret:
Iustus an exigeret pœnas à sontibus ultor?
Debita conferret præmia num ne bonis?
Quærenti uero causam, cur regibus ortus,
Princeps agricolam se simularet, ait:
Me iuuat è rudibus cognoscere uera colonis:
Seruit adulatrix auribus aula meis.

## AD VRBANVM.

DIceris Vrbanus: sed nominis immemor huius,
Semper inurbanus, cum bibis, esse soles.

## DE HERMETE.

EST pedibus uelox, sed lingua tardior Hermes:
Currere, non hominũ corda mouere potest.
Si coniuncta pedum linguæq; uolubilis esset
Mobilitas, poterat nuncius esse Iouis.

## AD BARBARAM.

PUlchra fores, Lybicæ nisi uirginis instar haberes
Fusca coloratam Barbara sole cutem.

## IN HARPALEVM.

*AVrea suspendis quare digitalia collo?*
*Articulos debent quæ decorare tuos.*
*An quia non hominis digitos, sed uulturis ungues,*
*Cuncta quibus tollas raptor auarus habes?*
*His igitur merito, digitorum uincula demis:*
*Vt rapias quiduis liberiore manu.*

## IN QVENDAM TENACEM *nomine* Polydorum.

*NVlla suis unquam qui munera donat amicis,*
*Euclio dicendus, non Polydorus, erat.*

## Dictum ἀπροσδόκητον.

*EBrius occlusas pulsabat Vandalus ædes*
*In quibus Illyrici sanguinis hospes erat:*
*Impatiensq; moræ cum nigra bile tumeret*
*Hospite confestim non reserante domum,*
*Ecce quid Illyricum, clamabat, & inter asellum,*
*Quo pecus est nullum turpius, esse rear?*
*Ille refert contra: dubius quid talia quæris?*
*Anne uides, quod sint inter utrumq; fores.*

## IN ARGVM.

*Cum non luminibus centum, sed præditus uno*
*Sis oculo, Cyclops Arge uocandus eras.*

## EPIGRAMMA INSCRIPTVM aedibus Francofordiae ad Oderam.

Parua quidem domus est, sed in hac habitante Sabino
Calliope sedem gaudet habere suam.

## DE BIBLIOTHECA MOnachorum.

HAud secus ac duro fugitiuos carcere seruat
Vestra cathenatos bibliotheca libros.
Quid mirum? si nulla uiget doctrina, colendi
Doctrinae autores hic ubi uincla gerunt.

## IN POLEMOLOGVM.

Nil aliud, quando loqueris, nisi tristia narras
Praelia: ni fiant praelia, mutus eris.

## ABSTINENDVM A REPVBLICA.

ILlecebris ueluti meretrix inuitat amantes
Adferat ipsa quibus perniciosa malum:
Haud secus allectat iuuenum respublica mentes,
Perdit amatores quae male fida suos.
Quisquis es, hanc pariter deuites, hortor, & illam:
Vtraq; plena malae fraudis, amata nocet.

## IN ANCILLAM OBESAM.

Ne caro praepinguis, sale non condita, putrescat,
Nostra uorat multum Phyllis obesa salis.

*Hinc ne concipiat duros uesica lapillos,*
*Se liquido semper perluit illa mero.*
*Sic habet, immodico turgens abdomine, causam*
*Quare perpetuo sistat alatq; sitim.*

## DE MERCVRIO ET VVLCANO.

*Filius abstulerat Maiæ caducifer arcas*
*Taurea mulciberi uincula bina pedum:*
*Dißimulat placidis commotam uocibus iram*
*Claudus, Atlantiaden alloquiturq; faber,*
*Apta meis (inquit) fuerant quæ uincula plantis,*
*Apta precor pedibus sint Tegeæe tuis.*
*Scilicet exoptans: ut fur delapsus ab alto,*
*Distortos etiam poßit habere pedes.*

## IN FABRVM.

*Cur faber obscuri mea scripta Lycophronis instar,*
*Plena tenebrosæ noctis & esse refers?*
*An quia caligant atro tua lumina fumo:*
*Obscura apparent hinc mea scripta tibi?*
*Nec tamen est mirum si forsitan horrida pangam*
*Carmina, quæ nullo lumine clara nitent:*
*Nam mea peruigili studio se musa fatigat*
*Quando tenebrosæ noctis aguntur equi.*

## DE LVPA MERETRICE *noctu interfecta.*

*Dum se fingit anus formosam nocte puellam*
*Et Lupa fucato decipit ore procum,*

Suppositam ueluti Calchas pro uirgine ceruam,
Sic procus hanc mactans conficit ense Lupam.

## IN PHILOSTRATVM.

Quam sit marte ferox, belloq; Philostratus acer,
Picta cupidinibus, quæ gerit, arma docent.

## IN ELOQVENTEM ET deformem.

NEstor es eloquio, Thersites ore: dolendum est
Ingenium melius non habitare tuum.

## DE FOENERATORE.

PRo tribus exigeret cũ uilibus Euclio drachmis
Fœnus ab urbano milite, miles ait,
Ne diffide dabo: dubijsq; fefellit auarum
Dictis: accepto nam dedit ære fugam.

## IN SICVLVM GEMMIS ORNATVM.

INumeras gestat digitis, ceu fœmina, gemmas
Diuite Trinacrius Gantore natus Erix,
Omnibus ostentatq; locis, ac laudibus ornat
Tales, ipse quibus diues abundat, opes:
Hæc recreat uegetatq; oculos: hæc expedit iram:
Illa ueneficijs gemma medetur, ait.
Ex tot mirificis gemmisq; potentibus, unam
Debebat digitis applicuisse suis,

IN DECTICVM POE-
tam Laureatum.

CVr dedit è lauri Cæsar tibi fronde coronam?
Ingenuos uates laurea serta decent.
Conuenit urticæ mordacibus herba Poëtis:
Hac potius cingi Dectice dignus eras.

AD ALEXANDRVM SVCH-
tenum Gedanensem.

ACer ut inuictis domuit qui uiribus orbem
Natus Alexander martis ad arma fuit:
Sic & idem qui nomen habes Suchtene, uideris
Mitia Pierij natus ad arma chori.
Quis Deus impleuit iuuenilia pectora? quis te
Extulit ætatem spiritus ante tuam?
Haud minus oblectat me gratia carminis huius
Te quod amore flagrans Nympha canente dedit.
Quàm quod Abideno Leandro Sestias Hero,
Sydonis aut Phrygio misit Elisa duci.
Perge sacer uates Suchtenæ gloria gentis,
Impiger Aonia ludere perge chely.
Quodq; geris, faustum te nominis excitet omen,
Omina nominibus nam quis inesse neget?
Inter honoratos quos Teutonis ora Poëtas
Iactat, Apollineo carmine uictor eris.

EPITAPHIVM CATHARINAE
Reginæ Suetiæ, quæ fuit inclyti Re-
gis Gustaui coniunx.

Quam

Quam uelut orba ſuam deplorat Suetia matrem,
Vxor in hoc tumulo regis humata iacet.
Quattuor adiecto uix luſtra peregerat anno,
Clauſit ubi ſummum funere rapta diem.
Nec uitale tamen lumen ſine prole reliquit:
Vno facta tori pignore mater erat.
Nunc æterna capit cœleſtis gaudia uitæ,
Sincera coluit quod pietate Deum.

## AD PAVLVM SPERATVM A Rutulis, Epiſcopum Pomeſanienſem.

ME ſacer admonuit brumali menſe December
Carmina Pieria ludere pauca chely,
Vt canerem feſtæ ſolennia gaudia lucis,
Natalem Domini qua pius orbis agit.
Hæc edenda tuo ſub nomine carmina duxi,
Pauca, ſed à ſtudio non aliena tuo.
Nanq; redemptoris peragunt præconia noſtri,
Cuius es electas paſcere iuſſus oues.
Hos modo ſi paucos non aſpernabere uerſus,
Accipies animi pignora plura mei,
Vnde ſequens ætas longo uentura ſub æuo
Noſcet amicitiam me coluiſſe tuam.

## IN COMPTVLVM.

Sic picturatis te comptule ueſtibus ornas,
Te queat ut ſponſam ſponſa uocare ſuam.

## IN MALVM POETAM, opibus affluentem.

Esuriens ieiuna tamen non fecit Homerus,
Tu ieiuna satur carmina Plute facis.

## DE INVIDO.

Quæridis in terram demisso Demea uultu
Cur eat: alterius prosperitate dolet.

## IN OBTRECTATOREM Vlrici Hutteni.

FRigida tu ne uocas Hutteni carmina uatis?
Cuius in ingenio uiuida flamma fuit.
Quin tua musa gelu torpet: te si quis ad illum
Contulerit, glacie frigidiora canis.

## EPITAPHIVM NICOlai Misneri.

ECquis in hoc tumulo requiescit morte solutus?
Pallida defuncti corporis umbra refer.
Nicolei, dederat cui nobile Misnia nomen,
Hic super impositus contegit ossa lapis.
Quod genus hic uitæ, quas est sectatus & artes?
Deditus ingenuis artibus anne fuit?
Marchiaco docuit pueros ex principe natos,
Atq; Ducem nigri qui bouis ora gerit.
Quis fuit hunc tumuli dignatus honore? Sabinus:
Intimus huius enim uatis amicus erat.

Felix,

*Felix, præstantem quod amauit laude poëtam:*
*Aeterni fructum nominis inde tulit.*

## AD IOANNEM Ottingerum.

*Cum tua legisset miratus carmina Phœbus,*
*Aonij (dixit) montis adeste deæ.*
*Lauri fronde nouo præcingite tempora uati:*
*Iste Medusei gloria fontis erit.*

## DE PEGASO SVO.

*Hoc insigne mea peperi uirtute Sabinus*
*Cum mihi nobilitas nomen equestre dedit:*
*In sublime uolans cœlum pernicibus alis,*
*Ardua Gorgoneus nubila findit equus.*

## Amor κηριοκλέπτης.

*Dum puer alueolo furatur mella cupido,*
*Furanti digitum cuspide fixit apis.*
*Sic etiam nobis breuis & peritura uoluptas,*
*Quam petimus, tristi mixta dolore nocet.*

## DE CONCIONATORIBVS & Tyrannis.

*Cum ueluti lepores dare iura leonibus audent*
*Hi, sacra qui populum uerba fidemq; docent:*
*Conanturq; truces sine ui frenare tyrannos,*
*Contempti pœnas pro pietate luunt.*

## VERSVS CONTINENS NVMERVM *anni quo captus est Franciscus rex Galliæ ad Ticinum.*

Regia succumbunt pugnacis lilia Galli.

## EPITAPHIVM ANTONII Leuæ.

*Sequana uictori pareret uictus Ibero,*
*Tu nisi sublatus funere Leua fores.*

## EPITAPHIVM THOMAE BAI- *tij, Concionatoris Brandeburgensis.*

*Haec alterna legas ut carmina siste uiator:*
*Præditus hic rara uir pietate iacet,*
*Qui uigil excubias egit, ne turba luporum*
*Palantes Christi dilaceraret oues.*
*Sacrilegum genus ex adytis finisq; remouit,*
*Nulla quibus ueræ cura salutis erat.*
*Hunc igitur fato respublica luget ademptum:*
*Hunc pastore carens plorat ouile Dei.*

## SOLVTIO QVAESTIONIS IO- *cosæ, ad Stanislaum Rapagela- num Lituanum.*

*Quattuor empta minis lauri uel odora cupreßi*
*Si fuerint auido lingua cremata foco,*
*Quæris, quot cineri, sparso quot in aëra fumo*
*Cedant, igne struem depopulante, minæ.*

*Cura quid hæc angit te friuola? lancibus æquis*
*Pendantur cineres: cætera fumus erunt.*

## DE VINO SVLPHVRATO.

*Qui bibit ingrato fœdatum sulphure bacchum,*
*Præparat ad diri se phlegetontis aquam.*

## DE APPELLATIONE ET OFFICIO Papæ ad Ioannem Carionem.

*VNde Papæ factum sit nomen Cario quæris,*
*Pastoremq; sacrum cur ita Roma uocet?*
*Vox ea si nescis, mammam sonat: atq; papilla,*
*Quod quasi nutritor sit Papa, nomen habet.*
*Enutrire pios CHRISTI sic debet alumnos,*
*Vberibus natos ut sua mater alit.*
*Altrices sed habet Papa nunc sine lacte papillas:*
*Nomen ab officio quam procul illud abest?*

## IN HELMVM.

*COlligit exugens ut araneus undiq; uirus,*
*Vndiq; sic turpes colligis Helme iocos.*
*Noxia quæ fugiunt & abhorrent pabula florum,*
*Cur auidas mellis non imitaris apes?*

## DE SCVRRA IOCVS.

*Vsurpare ioco pastoris uerba Menalcæ,*
*Omnibus et solitus dicere scurra fuit,*
*Efficiam posthac ne quemquam uoce lacessas:*
*Ipsius hæc semper uerba iocantis erant.*
*Iam sed ubi capitis meruisset crimine pœnam,*
*Multa quod intulerat probra nefanda bonis,*

Cunq; foret laqueo iam suspendendus: eodem
Bucolico ludens carmine lictor, ait:
Efficiam posthac ne quenquam uoce lacessas,
Fracturus torto iam tibi fune gulam.

## AD LAEMARGVM.

Aulicus ille potens tua qui Læmarge frequentat
Limina, miratur quem tua tota domus,
Ampla tuis merito largitur munera natis,
Quandoquidem fertur compater esse tuus.

## AD ELISAM.

Quid trahis & laceras conuulsos ungue capillos:
Dum gemis interitum matris Elisa tuæ,
Parce comis ô parce tuis: quid desipis? an te
Caluitio luctum posse leuare putas?

## AD QVENDAM, DE MOnachis qui Patauij uocantur fratres ignorantiæ.

ECce cuculligeros rudis ignorantia fratres,
Euganei ciues quos uenerantur, habet.
Huc ades, hic magni fies: nihil obstat inerti
Primus in hoc cœtu, quo minus esse queas.

## AD ERARDVM A CVNheim equitem Prutenum.

Quo memor ipse tuos animo uenereris amicos,
Hoc quod adornasti testificatur opus,

E P I G R A M.

In quo picta tui cuiusq; sodalis imago,
Estq; figuratum stemma colore suo.
Inter amicorum uero monimenta tuorum
Vt referas etiam nomen Erarde meum,
Accipe præpetibus findentem nubila pennis,
Tradidit armipotens quem mihi Cæsar equum.

## MILITIS IOCVS.

TEmpore quo bellum cū Cæsare Saxo gerebat,
Seria festiuo res fuit acta ioco.
Bellica Saxonici quidam Ducis arma secutus
Miles, ab aduerso milite captus erat,
Ex quo Cæsareus cupiens resciscere princeps,
Esset quanta Ducis copia, quanta manus:
Ille suis aquilam qui territat ensifer armis
Saxo tuus, quantum roboris, inquit, habet?
Miles adhæc, demiror ait, cur talia quæras,
Cum Duce luctatum me ne fuisse putas?

## EPITAPHIVM, FILIO E- rectum à Gaspare Bartho L L. Doctore.

Mœstus & infelix pater, hoc tibi nate sepulchrum
Ingentis statui triste doloris opus.
Accipe, nanq; tibi maius dare munus adempto
Fata negant, luctus hæc monimenta mei.

*Qui mihi debueras naturæ lege superstes,*
*Vltima defuncto soluere iusta patri*
*Ante diem raptus lactantis ab ubere matris,*
*Nunc immaturo funere nate iaces.*
*At licet acciderit tuus hic mihi casus acerbus,*
*Hac tamen euenit nil tibi sorte mali.*
*Nam pius infantum fruitur si cœtus Olympo*
*(Vt docet ipse suo filius ore Dei)*
*Corporis exutus uinclis, expersq; malorum*
*Spiritus ætherea uiuit in arce tuus.*

## AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Ioannem Albertum, Ducem Megalbirgensem.

*NE domus intereat tua laudatißime Princeps*
*Mascula te proles nata parente facit.*
*Eiusdem ne fama domus intercidat ullo*
*Tempore, Boceri musa diserta facit,*
*Quæ postq̃ Anthyrij prognatos sanguine Reges,*
*Carminibus cecinit teq; tuamq; domum,*
*Nunc quoq; prosequitur uicturo carmine cunas*
*Filioli nomen concelebratq; tui.*
*Hunc tibi deuotum Princeps complectere uatem,*
*Per quem nobilius gens tua nomen habet.*
*Nec te pæniteat talem fouisse poëtam,*
*Qui tibi præclari causa decoris erit.*

Doctus

Doctus enim molles numeros, & amabile carmen,
Quale poëtarum gloria Naso, canit.

IN EFFIGIEM BRENNI,
conditoris ciuitatis Brande-
burgensis.

HAnc ego, quã Sueui tenuerunt Semnones, urbẽ
Ad ripam statui Brennus Hauele tuam:
Hancq; meo peperi famam tibi marte perennem,
Capta quod inuicto me duce Roma fuit.

IN REGES DANI-
cos, descriptos à Ioanne
Bocero.

SI data sunt olim Danorum regna Poëtæ,
Scriptor ut illorum nomine Saxo refert,
Pauca quod in laudem scripsisset carmina Regis
Interitu cuius Dania tristis erat:
Qualia Bocero debentur præmia uati:
Carmina de Danis qui meliora canit:
Nec facit unius, sed tot præconia Regum,
Quotquot bellipotens Dania marte tulit.
At quicunq; leges hæc carmina: talia certe
Sunt elegis, dices, æmula Naso tuis.
Copia diues inest, & florida gratia uerbis,
Sedato numeri mollius amne fluunt.

## IN TVMVLVM CATHArinæ uxoris Philippi Melanchtonis.

Conditur hoc tumulo Catharina Melanchtonis uxor
Fœmina quæ casta prædita mente fuit.
Cuius adoptiuum fausto tulit omine nomen,
Tam pia quàm Costi filia Regis erat.
Hanc modo, conspectu CHRISTI, cœloq; fruentem
Non secus ac illam, uita beata manet.

## IN TVMVLVM NOHAE Bucholceri Berlinensis.

Te nisi mors uiridi iuuenem rapuisset in æuo,
Haud minor Andino uate futurus eras.
Carmen in Illyricum tua musa Melanchtonis hostem
Assurgens numeris grandibus acre dedit:
Vnde sat apparet, patriæ, linguæq; latinæ
Quale sit amissum te moriente decus.

# GEORGII SABINI LIBER HENDECASYLlaborum.

## AD IOANNEM DANtiscum Episcopum Varmiensem G. Sabinus.

CVltor Pieriæ Sabinus artis,
Antistes uenerande te salutat
Hinc, qua iunipero uirente cinctus,
Curuo Bregela labitur fluento.
Vluosam residens ad huius undam
Musarum quid agat chorus, requiris?
Flagranti studio uacat canendi
Noctes atque dies, ut his in oris
Doctæ Palladis excitentur artes,
Orpheúmque docet mouere plectrum
Arctoi maris accolas Borussos.
Quin & sæpe tuas ad astra laudes
Pleno musicus ore cœtus effert:
Te sermonis & utriusque linguæ
Expertum canit, inclytúmque uatem.
Hæc ut nota tibi forent, & omnes
Rescirent gelido sub axe gentes:

*A nostro tibi Melchiore nuper*
*Hac in urbe dicatus est libellus.*
*Quem, ceu primitias noui Lycei,*
*Oro suscipias. Deinde plura*
*Nostræ Pierides tibi dicabunt:*
*Quæ, curis nisi tot grauatus esses,*
*Mißis hinc quoque sæpius tabellis*
*Scribendi studium tibi probarent.*
*Quod restant, tibi se tuus Sabinus*
*Commendat, cupidis petitque uotis,*
*Vt feliciter exigas tot annos,*
*Quot uer purpureos ubique flores*
*Nunc in mollibus educat uiretis.*

IOANNES DANTISCVS EPISCO-
*pus Varmiensis. Suo Sabino S.*

*REspondere tuis quidem uicißim*
*Cyrrhæis numeris uelimus, at nos*
*Curis implicitos negocijsq;*
*(Vt semper fugiunt senes puellæ)*
*Sueto destituunt fauore Musæ:*
*Quæ dant Aonios probè liquores*
*His qui sæpius ocio fruuntur,*
*Quod Sabine tibi, tuisque doctis*
*Asseclis, sine liuida fauemus*
*Nota, quódque diu geras sub illo*
*Felici pariter tenore uitam,*

Cum

Cum Phœbo fidibúsque, gratiosam
Optamus, propé Nestoris senectam.
Nos hic continuo labore torquent
Imo in pectore cogitationes,
Quas Respublica dat, domúsque nobis,
Vnde rara quies sub hoc tumultu
Quem fert turbo frequens negociorum.
Et si forte datur subinde duri
Qualiscunque remißio laboris,
Non durat, redeunt breui prementes
Angores animum molestiores.
Verum quando subit superna rebus
Terrenis meditatio relictis,
Mens curis uacat, & caret labore,
Hæc sed stare nequit diu uoluptas,
Ni iustè fuerit DEVS rogatus,
Qui quamuis malefacta semper odit,
Non odit tamen ille pœnitentes,
Sed clemens Pater hic graues remittit
Noxas, dans ueniam reis reuersis.
Hac spe uiuimus, & laboriosam
Vitam ducimus, hæc tibique nota
Vt sit, scribimus ad fluentis Allæ
Ripas, qui quoque Bregelam subintrat,
Ad uos unde fit auctior profusus.
Hos ergo endecasyllabos minutos,
Boni consule mi Sabine quæso
Non tuis similes Catullianis,

Qui dulces redolent salem ac leporem,
Cum multa simul eruditione.
Tot annis ualeas salubritérque
Quot uersus facis elegantiores
Quàm sunt quos ego cudo, præpeditus
Curis continuis, negocijsq́;:
Vel quot gratus ager refert aristas
Quum iam Sirius igneus calescit.
Quod si uersiculi parum placebunt
Quos ex tempore mittimus, uolanti
Adscribes calamo, profectioni
Namque intendimus, ad graues ituri
Tractandum, patriæ uocantis actus.

Vale.

Ex Heilsberga 3. Nonis Maij.
M. D. XLVI.

## AD IOANNEM DANTISCVM Episcopum Varmiensem G. Sabinus.

VOS quæ Parrhasio sub Axe Musæ
Hic pro Castalij liquore fontis
Piscosi uada Bregelæ tenetis,
Comtos cingite frondibus capillos,
Ne sol, æthereo propinqua Cancro
Qui etiam signa tenet flagrante curru:
Vobis ora graui perurat æstu.

Nam

Nam Phœbi rapido sub igne uobis
Est longo procul urbs petenda cursu,
Quæ ripas iacet ad fluentis Allæ,
Allæ, cuius agunt choros ad amnem
Ludentes per amœna rura Nymphæ
Cum pictis & Oreades Napæis.
Vrbem colle sub herbido iacentem
Fessæ quando subibitis camœnæ,
Illic limina præsulisque cellam
Mox conscendite Varmiensis arcem:
Quo nemo melius potest diserta
Lingua sceptrigeros mouere reges,
Quo nec Pierios ad Arcton alter
Cantat uoce sonantiore uersus.
Vos Antistes in atrium receptas
Cum deducet & alloquetur, illi
Blandis talia nunciate uerbis.
Dum formosus adest, & arua pingit
Maius purpureo colore florum,
Dum siluæq; comis uirent, & aër
Lætis alituum sonat querelis:
Ad te constituit Sabinus unà
Cum consorte sui uenire lecti,
Vt curis animum semel relaxet,
Conspectuq; tuo fruatur hospes.
Quare festus ubi dies agetur,
Quo mentes hominum regens piorum
Cœli spiritus est ab arce missus,

Si quos expetis hospites, habebis.
Curru forte uias agens eodem
Isinderus erit comes Sabini,
Præstans Socraticæ magister artis:
Quem natalibus educauit oris
Horrens pinifero iugo Silesus.
Hæc cum uerba meo relata iussu,
Ad uestrum celeres redite uatem.
Tum si conueniens mihique gratum
Responsum referetis ô Camœnæ,
Ingressurus iter parabo currum.
Quod si Volsca mihi Camilla uati
Esset fœdere nupta coniugali,
Quæ non fœmineæ colo, sed apta
Frenis cornipedum fuit regendis:
Vectus cum socia tori uenirem
Nostri tergore Pægasi uolantis,
Toruæ uictor aureus Medusæ:
Nunc ceu Gordius ille rusticanus
Qui plaustro Phrygias obibat urbes,
Illuc axe uiam rotáque carpam.

Pr. Non. Iunij.

IOANNES DANTISCVS EPIscopus Varmiensis Sabino suo S.

COmtas floribus, & rosis nouellis,
Et terræ uarijs uirentis herbis,

Quas

Quas hoc uer redolens reduxit orbi,
Nuper docte tuas Sabine Musas
Vultu uidimus obuias sereno
In nostro reditu, fluentis Allæ
Ad ripas, modulis simul canentes
Pimplæis, resonans ab ore carmen,
Carmen dulce, suaue, perpolitum,
Quod nos exhilarauit & refecit,
Et post hoc iter, omne tædiosum
Quod nobis fuerat, placens, ademit.
Quare tot tibi gratias habemus
Quot fert germina nunc humus tumescens
Hoc sub tempore, quo comas resumunt
Frondentes procul arbores in antris,
Et nostris prope quæ manent in hortis,
Quo iam celsa petunt Oreadésque
Pindi culmina greßibus citatis,
Et quo nunc Dryades suas choreas,
Impigroque gradu suas Napææ
In pratis, & agris, aquisque ducunt.
Iam quæcunque uidentur undiquaque
In campis uel in intimis uiretis,
Aut in uallibus, aut iugis in altis
Rident omnia, cuncta læta, rident.
Hoc ut tempore mi Sabine festo
(Quod sunt pollicitæ tuæ Camœnæ)
Quo iam singula gaudijs resultant,
Et quo Spiritus adfuturus ille,

Qui

*Qui replet pia corda Christianis,*
*Certò creditur, huc uelis uenire*
*A te poscimus, ac tui iugalis*
*Consortem thalami uenire tecum,*
*Isinderus item uelimus unà*
*Vt tecum ueniat uocatus hospes.*
*Pro Volsca tamen, Anna sit, Camilla*
*Quæ Turno tibi gessit in Latinos*
*Fidas suppetias, deditque quicquid*
*Sermonis Latij est politioris*
*A caro patre, cuius es profunda*
*Factus splendidus eruditione.*
*Præclarum quoque nactus es per orbem*
*Cum magno pariter fauore nomen.*
*Scribenti modò fertur appulisse*
*Vestri Nuncius huc Ducis Borußi*
*Est à quo mihi literas amicas,*
*Pultans ostia, redditurus, illum*
*Dum sic excipio, receßit omnis*
*Conceptus calor, atque me puellæ*
*Solum Pierides statim relinquunt.*
*At curæ redeunt molestiores*
*Quas respub. dat, trahuntq́; longè*
*A cœptis numeris, in ijs morari*
*Quàm gratum fuerit, tibi sit in te*
*Testis noster amor, sibi Sabinum*
*Promittens animo benigniore,*
*Quicquid scribitur, esse metiendum.*

Quòd

Quòd si forte licentia Catulli,
Interdum uel & utimur Marulli,
Fit cum copia largior negatur
Intento grauibus subinde rebus,
Si te uersiculi parum diserti
Huc ducent, satis est. Vale, uenique.

Ex Heilsberga Nonis Iunij.
M. D. XLVI.

## IN OBTRECTATOREM GALLVM.

QVid nos perfide Galle, quid laceßis?
Incesto laceras & ore cunctos?
Quotquot Palladias docemus artes,
Hic qua nobile Bregelæ fluentum
Doctas hospitio fouet Camœnas.
Seu conuiuia ciuium frequentas,
Commissos tibi seu doces Ephebos,
Thersites uelut alter huius æui
In nos peßima quæque probra confers:
Turpi nos petulantiáque carpis.
Per quas scurra tibi licere leges
Hoc impune putas? procace lingua
Effrenatus ut irruas in omnes?
Pœna nónne tenetur is bonorum
Famam qui petulanter ore lædit?
An non crimen atrocius putatur,

Famam

Famam non licitis ferire uerbis,
Quam uel corpora sauciare telo?
At fortaſſe tibi ſcolam regenti
Nunc ius excidit, excidere leges.
Nam qui iuris eras peritus olim,
Nunc es Grammaticæ profeſſor artis.
Vos ô qui celebres tenetis urbes,
Illic flumen ad Iſtulæ Boruſsi:
Et uos indomiti manu Poloni,
Quin compeſcitis huius os proteruum,
Quo nil manat ab ore quàm uenenum:
Vel talem remouetis urbe ſcurram,
Qui, tanquam rabidus Moloſſus, omnes
Doctos ore petit, feróque morſu.
Veſtros ſcilicet erudire natos
Obtrectator is inuidúſque debet,
Cuius nemo probat, ſed execratur
Mores, quiſquis amator eſt honeſti.
Quem propter ſcelus ac proteruitatem,
Princeps finitimis abegit oris,
Infamemq; palàm renunciauit:
Qui nil præter habet loquacitatem,
Qua natas ſuperat palude ranas,
Ac tota querulas die cicadas.
Ergo ne rudis imbuat iuuentus
Tinctos huius acerbitate mores,
Vos hunc (obſecro) uos ab urbe ciues
Prauis pellite moribus magiſtrum.

Tuq; ô Galle procax leuisq; scurra
I nunc delitias tibiq; ludos
Fac nos, amplius & lacesse uerbis.

## AD IOANNEM DANtiscum Episcopum Varmiensem.

CVm me propter Hyantias puellas,
Sacratum quibus hic recludo fontem,
Magno præsul amore prosequaris:
Me uir sollicito dolore pressus
Orauit, lachrymis per ora fusis,
Vt blandis mea te Camœna uerbis
Placaret sibi, leniens & acrem
Dulci carmine mitigaret iram.
Nam cum forte reus citatus esset,
Caussa nescio qua tuum tribunal
Declinauit: ob id subire pœnam
Est iussus, quasi contumax fuisset.
At quamuis mea musa non libenter
Mœstorum querimonias reorum
Tractet, causidici perosa munus:
Ipsius lachrymæ tamen precantis,
Huc me commiseratione ducunt,
Vt nulla ratione carmen illi,
A me quod petit, atq; profuturum
Confidit sibi, denegare poßim:

Præser-

*Præsertim tua cum mihi benigna*
*Mens sit cognita plurimis ab annis.*
*Si quid carminibus moueris ergo,*
*Amphion quibus & canorus Orpheus*
*Mouerunt lapides, ferasq; Tigres:*
*Te dilecta tuæ per ossa matris,*
*Et chari cineres parentis, oro:*
*Te per laurigeras nouem sorores,*
*Per si quid tibi dulce, uel suaue est,*
*His obtestor & obsecro Camœnis:*
*Concedas ueniam reo petenti,*
*Laxataq; graui seueritate,*
*Hanc illi modo noxiam remittas.*
*Te flectat pietas, & illa uirtus*
*Quæ magnos precibus uiros moueri*
*Exemplo iubet ipsius Tonantis:*
*Te demum miseranda flectat uxor,*
*Quæ de paupere deprecans marito*
*Hinc suspiria dat, tibiq; supplex*
*Tendit brachia paruulósq; natos,*
*His placabilis æquiórq; fias.*
*Sic longæuus agas, nec ulla prorsus*
*Duræ incommoda sentias senectæ:*
*Sic uitam tua fata cum reposcent,*
*Humani generis tibi redemptor*
*Præstet, molliter ut cubes, quietem.*

EPITA.

EPITAPHIVM ALBERTI CARdinalis Archiepiscopi Moguntini & Madeburgensis, Marchionis Brandeburgensis &c. Qui mortuus est, Anno M. D. XLVI.

ALbertus iacet hoc loco sepultus,
Qui de sanguine regio creatus
Lumen Cardinei fuit senatus:
Qui uirtute potentiáque rexit
Magni Saxonicas Othonis urbes,
Et Moguntiaci fluenta Rheni.
Nil Germania maius hoc habebat:
Nam de litibus arduisq; rebus
Conuentus ubi Principes agebant,
Verbis promptus & elegante lingua,
Ceu Laertiades regebat alter
Totum consilio suo senatum:
Ac tot dißidijs ubiq; motis,
Terrarum benè consulebat orbi.
Pacis suasor erat, quieta pacis
Sæuis ocia præferebat armis:
Quin & iustitiæ tenax & æqui,
Dignas sontibus irrogare pœnas,
Compectiq; bonos & innocentes,
Mitis non secus ac parens solebat,
Nec fuluum sibi congerebat aurum,
Doctos munera conferens in omnes:

Dispensabat opes, manuque larga
Sacras Pieridum fouebat artes.
Hunc lugubria tectus ora uelo
Albis, Rhenus, Hauelus, hunc peremptum
Fontis Pegasei cohors, & omnis
Est Respublica prosecuta fletu.

## IN HEROIDAS OVIDII.

QVisquis nobile Palladis Lyceum
Doctis deditus artibus frequentas
Hic qua Mœnalium fluens ad arcton
Fines Odera Marchiæ pererrat:
Si te musa sacri iuuat Poëtæ,
Quem Nympha genitum creasse iactat
Se Pelignus & educasse Sulmo:
Auditurus epistolas adesto
Quas Heroidibus poëta priscis
Inscriptas dedit elegante uersu.
Ex his commoda magna litterarum
Percepturus es, uberémq; fructum,
Verborum nitor, elegansq; cultus,
Et mirabilis est in his uenustas:
Manant omnia profluente uena,
Largi fluminis instar & redundant.
Nec fastidia, tædiumq; gignunt,
Miris afficiunt modis legentem.
Ecquis, blandius aptiúsq;, poßit

Affectus animi mouere Rhetor?
Quam uel Dulichij pudica regis
Flagrans uxor amore coniugali:
Dum se flebilibus refert querelis,
Angi sollicito timore, longas
Noctes fallere pendulaq; tela.
Non tantum sed ad elocutionem
Quin uitæ quoq; conferunt ad usum:
Nam rerum uarij leguntur illic
Euentus, memorabiléśq; casus,
Qui nos erudiunt docentq;, quantis
Cæci fluctibus æstuent amantes.
Has quapropter ut audias adhortor
Sulmonensis epistolas poëtæ:
Quas, cum Puniceis diem quadrigis
Mater lutea Memnonis reducet,
Aspirantibus inchoabo Musis.

## IN ORATOREM CICERONIS.

CVm Phœbus niuibus madensq; nimbis
Tectum phillyrij senis subibit,
Lecturus Ciceronis auspicabor
Doctis omnibus utilem libellum:
Quo cultum docet elegantis author
Sermonis genus, optimamq; formam:
Qualem Cecropiæ probant Athenæ,
Ac tradit numeros Isocratæos,

Est usus quibus ipse, cum Quirites
Blandis flectere uocibus solebat
Fandi Tullius optimus magister,
Linguæ gloria Tullius latinæ.
Hic magno liber usui est futurus
Non istis modo qui potente lingua
Nostri temporis inter eloquentes,
Clarum nomen habere concupiscunt,
Hinc ut uerba loqui diserta discant:
Sed doctis quoque cæteris, ut acre
De scriptoribus omnibus legendis,
Rectum iudiciumq; consequantur.
Quare hunc hortor ut audias libellum
Doctæ dedita Palladi iuuentus:
Quem qui non didicit, manebit infans,
Expers omnis & eruditionis.

## AD CARDINALEM PEtrum Bembum.

Sol qui luciferos regit iugales,
Iam uertentis iter peregit anni:
Cum mœstis elegis tibi querebar,
Quod Germania dißideret armis:
Et qui Pannoniam subegit Istrum,
Nobis barbarus immineret hostis.
Infando patriæ dolore tactus,
Quales cogor habere nunc querelas?

 

Nam ciuilia bella quæ parauit
Multos dedita litibus per annos,
En Germania tota nunc in armis
Tetrum marte gerit furente bellum.
Ducens Cæsaris hinc soror cohortes
Pugnas conserit, ac uirago duris
Hostem cladibus afficit Sicambrum.
Illinc efferus arma Danus infert,
Et, quem Saxones expulere nuper,
Guelphus signa mouere rursus ardet,
Vlturusq; suos putatur hostes.
Heu quantum parit hic mali tumultus?
Et quantum patriæ facit dolorem?
Princeps namq; meus Getas ab Istro
Totis Pannoniæ fugasset oris:
Hæc si pestiferi procella belli,
Tempestasq; coorta non fuisset.
Nunc inglorius est domum reuersus,
Lætum nec potuit referre sæuis
Quem sperabat ab hostibus triumphum.
Præter bella sed horridásq; clades
Paßim tanta furit lues per urbes:
Qualem rege sub Aeaco uetustas
Narrat Oenopios dedisse leto.
Quin & pascua, fertilesq; campos,
Per quos Odera, spumiferq; Sueuus
Molli labitur impeditus ulua,
Grassantes populantur hic locustæ,

Instantiq; famem minantur anno.
At quid singula persequor querelis,
Nos pessundedit ilias malorum.
Ergo à tristibus absit ut periclis,
Romanam meus hinc sodalis urbem,
Longum suscipiens iter petiuit:
Est syncerus, honestus, eruditus,
Ac te diligit, omnibúsq; præfert
Doctis Bembe nepotibus Quirini.
Hunc commendo meum tibi sodalem:
Summa proq; tua benignitate
Complectaris ut hunc amanter, oro.

## AD LVDOVICVM BECCATELlum, Phil. Gherium, & Triphonem Bentium.

SI uel Triptolemi rotas haberem,
Vel talaria quæ nepos Atlantis
Subnectit pedibus: celer per alpes
Hinc ad mœnia Tybridis uolarem:
Vt te mi Ludouice, teq; Benti,
Hæres qui mihi totus in medullis:
Ac doctißime te Philippe Gheri,
Pars desiderij mei, uiderem.
Longis ipse remotis hic in oris
Vestri semper ad Oderam recordor:
Nec me suspicor excidisse uobis.

At cur,

At cur, Danubij fluenta postquam
Liquistis: manibus notata uestris
Nullam charta mihi tulit salutem?
Nec sunt semina missa, quæ feraci
Nostro polliciti fuistis horto.
Hæc an uestra fides? sed illa tandem
Nobis mittite: litterisq; crebris
Scribendi officium probate uestrum,
Summum rebus in omnibus uicißim
Vobis officium meum probabo.
Forsan tempus erit, uolente Christo,
Altæ mœnia cum subibo Romæ,
Et uestros iterum uidebo uultus.
Vos feliciter interim Valete.

## AD IOANNEM MARcellum Regium.

HAs Marcelle tibi Sabinus uuas,
Et dono lapidosa poma mittit,
Antiqui Ducis hinc ab urbe Brenni,
Curuo flumine qua meat palustres
Serpens inter arundines Hauelus.
Hæc ad munera candidos amicos
Inuitabis, Acontium Poëtam
Nostri temporis alterum Tibullum:
Nec non Stigelium, sonante plectro
Phœbus quem stupet ac probat canentem:

Et plenum ſalibus iociſq; blandis
Vinshæmum, ueterem meum ſodalem,
Qui Turingiaci liquore Bacchi
Nos & fructibus arborum replebat:
Hoſpes quando frequens adire tecum
Eius limina ueſperi ſolebam.
His ut dulcia porrigens amicis
Menſæ munera præbeas ſecundæ:
Ad te meſpila, palmitiſq; miſi
Fœtus quos meus educauit hortus.

## AD FRANCISCVM CONtarenum.

FRanciſcum pete Muſa Contarenum,
Quem magnus Venetæ ſenatus urbis
Oratoris obire munus olim
Et mandata Ducis referre iuſsit:
Cum de conciliatione regum,
Diuus Carolus imperator egit:
Hic Boios ubi corniger per agros
Intrat Danubij fluenta Rhegus.
Illi, cum Venetam ſubibis urbem,
Multam nomine dic meo ſalutem:
Et pro ſplendido & elegante libro
Vatis, quem mihi miſit, Augurelli,
Ingentes age gratias eidem.
Fuluo nam pretioſior metallo,

Eois

Eois mihi gratiórque gemmis,
Eſt tam cultus & elegans libellus.
Poſtremo, pete, curet ut ferendas
Has ad mœnia litteras Quirini:
Scripſi quas elegis ad eloquentem
Bembum Romulei decus ſenatus.
Hæc paucis ubi perſecuta uerbis,
Extemplò repetes iter: iubebis
Franciſcúmque ualere Contarenum.

## AD SCOLASTICOS ACADEmiæ Regiomontanæ.

CLarus ſanguine Briſius parentum,
Nec non Pœoniæ peritus artis,
Vitales moriens reliquit auras,
Extremóque die peregit æuum.
At uerò, quoniam fauere noſtro
Vir doctißimus ordini ſolebat:
Nos cum Principis aulico ſenatu
Lamentabile funus efferemus,
Solenniq; ſuprema iuſta ritu
Soluemus, modo prandio peracto.
Quare mando ſcholaſticis ut omnes,
Digno funus honore proſequantur.

## EPITAPHIVM VXORIS EVſtachij à Schlieben.

HOc matrona loco capit quietem,
Præclarum decus Anna fœminarum:
Quæ cum dotibus elegantis eſſet
Formæ prædita, moribusq; caſtis:
Heu quantum moriens uiro dolorem,
Ac deſiderium ſui reliquit.

## AD SCOLASTICOS ACADEmiæ Regiomontanæ.

CRas uiceſima quinta lux Decembris
Muſarum à ſtudio datura nobis
Eſt & Gymnaſio uacationem:
Actus donec erit dies Magorum
Duxit præuia ſtella quos ab ortu
Ad cunabula deſtinata Chriſto.
Nam ceſſare decet ſacris diebus
Doctas in ſtudio ſuo Camœnas.
Vt præcone Dei docente uerbum
Diuinas peragant in æde laudes.
Rerum conditor his diebus olim
Natus, uera Dei propago, Chriſtus
Orbi læticiam dedit perennem:
Cum noſtras obijt uices, & infans
Caſtæ uagijt in ſinu parentis.
Hunc ut Pierides colant, & omnes
Quotquot Gymnaſium recens frequentant,
Nos hoc tempore ferias agemus:
Mox doctas iterum colemus artes.

## EPITAPHIVM FILIAE G. Sabini.

MAgdalena Georgij Sabini
Vatis nata, Melanthonisq; neptis:
Cum felicibus ac pijs quiescit,
Quos hæc area contegit sepultos.
Olim tempus erit, potente sacri
Quando numinis excitata flatu,
Cum felicibus ac pijs resurget.

## AD SCOLASTICOS ACADEmiæ Regiomontanæ.

NOstræ præcipuus scolæ patronus,
Cuius nobilitas auita clarum
A signo crucis est adepta nomen,
Condet filiolum suum sepulchro,
Quem uix lumina solis intuentem
Sæuæ (proh dolor) abstulere Parcæ.
Nos mœsti gemitu parentis omnes
Acerbo decet afficiq; luctu,
Ipsiúsq; uicem dolere nati:
Quem si mors properata non tulisset,
Præcellens erat ac disertus olim
Paterni eloquij futurus hæres.
Quanquam conditione mortis infans
Hoc à turbine liberatus æui,
Sic felicior est, agitq; lætus

Vitam cum superis beatiorem.
Nam celsas nitidi domos Olympi
Ipsorum docet esse paruulorum
Aeterno genitus parente CHRISTVS.
Quapropter Iuuenes adhortor omnes
Hac quicunq; uacant in urbe Musis:
Vt funesta ubi turribus sub altis
Moto signa dabuntur ære: ducant
Tristes exequias frequente cœtu.

## AD IOANNEM DANTISCVM Episcopum Varmiensem.

VT fato miserabili peremptam
Lugens Eurydicen gemebat Orpheus:
Sic Annam sociam mei cubilis
Deplorans gemo, quam salutis autor
Ad uitæ Deus exitum uocauit.
Nam sæuum mihi uulnus ac dolorem
Eius fecit acerba mors, & huius
Vitæ delitias ademit omnes.
Me non afficiunt, ut ante, dulces
Musarum cytharæ: nihil uirentes
Parnasi moror amplius recessus:
Sed nuda uelut aridaq; in ulmo
Considit uiduus gemitq; turtur:
Vitam sic modo duco luctuosam
Singultu, gemitu, dolore, fletu.

O si

O si pharmacon ipse nunc haberem
Illud, quod Polydamna Thonis uxor
Dono Tyndaridi dedit Lacenæ:
Quod cum Telemachus bibisset, omnem
Absterso posuit dolore luctum:
Nil illo mihi gratius daretur,
Obliuiscerer ut mei doloris.
At orbatus amore coniugali,
Quantum tristitiæ & doloris hausi:
Tantum præbuit his diebus, à te
Bembi mors mihi nunciata, luctum.
Illum numinis instar, atq; tanquam
Linguæ præcipuum decus latinæ
Sum miratus: & ille me uicißim
Complexus iuuenem senex amauit,
Immortalibus extulitq; scriptis.
Quare non minus ac meam maritam,
Extinctum doleo gemoq; Bembum:
Cuius tres Charites nouemq; Musæ
Lugent interitum, simulq; plangunt
Mœstis Adria, Tybris, Arnus, undis.
Sed qui sanguine nos suo redemit
Ambobus tribuat (precor) sepultis
CHRISTVS perpetuam beatitatem;
Longæuam tibi prorogetq; uitam.

AD EVNDEM.

PAruum suscipe præsul hunc libellum,

Quo te donat amans tui Sabinus.
Auro ſplendidus & niteret oſtro,
Me blandis niſi mollibusq; uerbis
Feſtinanter & ocyus rogaſſet
Vt Dantiſce tuus libellus eſſet.

IOANNES DANTISCVS EPISCOpus Varmienſis, Sabino S.

PErlegi cupidè tuum libellum
Leporis, ſalis, eruditionis
Plenum, quem toties uidere auebam:
Ex hoc ingenij libens acumen
Amplexus, numeros, iocóſque dulces
Tranſcurri: neq; Pegaſum uolantem,
Quem clarum tibi ſtemma iuſsit eſſe
Cæſar, præterij: nec hoc, amicis
Quicquid Pierides tuæ dicarunt.
Dignas hinc tibi gratias referre,
Deberem ſiquidem, ſed eſt ſuppellex
Scis quam curta mihi, ſub hac palæſtra
Iam pridem qui Heliconidas reliqui.
Ingratus tamen eſſe nolo totus,
Si Lucretia noſtra non placebit
Quam mitto, ueniam dabis, placere
Quod poſsit tibi fortè deinde mittam.
At patrocinio tuo, tuisq;
Doctis Hendecaſyllabis, Sabine,

Indignus

*Indignus fuit ille sordidatus,*
*Pro quo tot precibus simul profusis*
*Exposcis ueniam, licet sit usto*
*Dignus stigmate, contumax Iopas,*
*Qui tangens fidibus chelyn malignis*
*Infames uoluit meos fideles*
*Ciues reddere, dixerat fidem quos*
*Infregisse, docere quod nequibat.*
*Pœnas ferre graues calumniator,*
*Coram iudicio quod ergo fugit,*
*Leges quas statuêre, debuisset.*
*Quod porrò quereris, gemis, dolésq;*
*Mortem coniugis, optimiq; Bembi,*
*Tecum condolui, pijs utrisq;*
*Orans manibus ut quies beata*
*Detur cum superis, & hanc utrisq;*
*Nobis, quando uocabimur, petamus:*
*Nulli cedere nam solet propinquans*
*Cunctis terminus à Deo locatus.*

PETRVS LOTICHIVS SECVNdus, *ad Georgium Sabinum Brandeburgensem.*

*IMmortale decus Sabine uatum,*
*Qui nunc ad uada Bregelæ uetustos*
*Doctis artibus imbuis Borussos.*
*An feliciter es domum reuersus?*

Hinc

Hinc cum ſarcinulis tuis uenuſtis
Muſarum ſimul atq; liberorum,
Vt ſpero auſpicio bono profectus?
Ad flauum tuus Oderam Secundus
Iucundæ memor allocutionis
Syncereq; benignitatis, optat
Nunc & pegaſeos ſibi uolatus,
Et deſiderat omnibus diebus
Dilectos iterum uidere uultus.
Sed nunc aëra ſorte peſtilentem
Vitans, grex ſubito nouem ſororum
Tecum præcipiti fuga receßit,
Vrbes Bregela qua duas ab una
Pulchro ſeparat alueo, facitq́;
Curſus inter utranq; flexuoſos.
Hic (nam triſtia multa nuntiantur)
Hei, quantum mihi fecit audienti
Imis rumor in oßibus dolorem,
At quocunq; ſub axe uiuis, oro
Sis noſtri memor, anxioſq́; luctus
Dulci progenie, tuiſq́; leni
Curas diminuentibus libellis,
Dum ſoles redeant ſereniores.

## AD CLARISSIMVM VIRVM D. Philippum Melanchtonem, ſocerum & præceptorem ſuum G. Sabinus.

Qui

QVi facunde tibi Philippe reddit
Vatis Hendecasyllabes Sabini,
Est uirtutis amans & eruditus,
Albertum instituit meumq; natum:
Nec non sæpe suis minister illum
Vlnis impiger alleuauit ægrum.
Hunc ipsum tibi diligenter ergo
Commendo iuuenem, tui nepotis
Dulcis filioli mei magistrum.

IOANNES STIGELIVS
in tumulum Alberti filij Georgij Sabini.

ALbertum tegit hic lapis Sabinum
Prolem Pierij piam Sabini,
Diserti q; Melanthonis nepotem,
Patris delicias sacrum colentis
Cum musis Helicona laureatis.
Sic flos uere recens sereniore,
Quem duro secuit ligone fossor,
Diurnæ decus exuens iuuentæ
Siccis immoritur iacens arenis.
Ergo desijt esse, quod placebat:
Ergo desijt esse, quod decebat:
Sectator dominæ tenellus aulæ,
Sectator celebris frequens parentis:
Amißumq; doles beate princeps,

Cui nomen dederas, tuum relato
Cœtus in numerum Deo redempti.
Amissum gemitu uocant puellæ,
Ornatus chorus aulicus puellæ:
Forma, moribus, optimæ puellæ:
Sed uitæ dator arbiterq; Christus
Fato te puer abstulit benigno
Et charum, in gremium suum recepit,
Qua ducunt pueri beatiores
Plenum læticiæ sonantis æuum.
Felix qui potuit puer renasci,
Et puer patrium subire cœlum.

## AD IOANNEM STIGE-lium G. Sabinus.

Est nostræ locus hic propinquus urbi,
Quo picti uario colore flores
Rident tempore ueris, & uolucrum
Arguto resonant fruteta cantu.
Gemmantes ibi mane dum per herbas
Curis ambulo pressus inquietis,
Albertiq; mei recordor, olim
Qui uestigia discolore mecum
Hic in gramine fecit, atq; lusit:
Vmbrososq; perambulans recessus
Blandos mollibus abstulit Napæis
Flores, ipse quibus domum reuersus

Me donare patrem, quibus sorores
Et donare suas puer solebat.
En uiator adest mihiq; reddit
Musis chare tuos Poëta uersus,
Dulci nectare, melle dulciores,
Quos in filioli mei sepulchrum,
Præmaturaq; fata condidisti.
Magnum tristitiæ meæ leuamen
Hos sensi numeros tuæ Camœnæ,
Aeternum quibus & perenne nomen
Alberti tumulo mei dedisti.
His pro uersibus ergo gratus opto,
Vt saluus tibi filius Ioannes,
Nec non Callimachus tibi superstes
Viuat, Pieridumq; cultor æquet
Alter Battiaden, & alter Hessum:
Ambo Stigeliæq; gentis ornent
Multa nobile claritate nomen.
Me uero miserum nouus parentem
Luctus afficit: his enim diebus
Alter filiolus mihi est ademptus,
Cuius uita duos agebat annos.
Mellitus puer, elegans, uenustus,
Nomen Christophori tenebat: omni
Sic orbus modo prole sum uirili.
O uanas nimis, & nimis caducas,
Omnes deniq; spes meas inanes,

Sed cum certa Dei sit hæc uoluntas.
A nobis patienter hæc ferantur.

## IN LIBROS DE LEGIBVS, & Orationes Catilinarias Marci Tullij Ciceronis.

SI quem delitiæ iuuant amœni
Horti, cuius opes, nec acre frigus,
Nec Phœbi rapidus perurit æstus,
Nunquam tabida carpit aut uetustas:
Adsit, meq; ducem secutus, intret
Hortum copia, amœnitate plenum:
Quem non Flora suis odora donis,
Non Pomona, racemiferq; Bacchus,
Sed facundia Tulliana ditat.
Hic flores uiridi legemus horto,
Quos halantibus inserit corollis
Linguæ candida puritas latinæ:
Hic fructus animi sagatioris
Decerpemus, & hauriemus artes,
Bonis moribus utilesq; uitæ.
Nam cultißimus hortus hic redundat.
Largis fontibus artium bonarum.
Ipse autem eloquij parens latini
Arpinas medio sedens in horto,
Nostras ore suo disertus aures
Mulcebit, quasi Daulias uolucris,

Quando

Quando læta canit sonante luco.
    Tres nobis recitabit eruditos,
Quos de legibus edidit libellos:
Stirpem iuris, originemq; legum
Nobis tradet: eamq; disputabit
Non iussu uel opinione natam
Horum, qui populi tenent habenas:
Sed diuinitus esse constitutam,
Ipsis mentibus insitamq; nostris.
Leges Romulidum uetustiores
Pandet: nosq; iubebit obsequentes,
Aequi præsidibus subesse iuris.
    Posthæc commemorabit ipse nobis
Quæ Romæ Catilina perpetrarit,
Aeris prodigus, appetens honorum,
Dum cædes meditatur & rapinas:
Dumq; acri stimulo furoris actus,
Aedes templaq; consecrata diuis
Flammæ destinat: incitans & omnes
Asciscit sceleri suo ministros,
Quos obscœna libido, quos egestas,
Quos infamia reddit efferatos.
    Vt uero pueros boni parentes
Diri commemoratione monstri
Deterrere solent ab inquinatis
Vitæ moribus, improbisq; factis:
Sic doctißimus autor eloquendi,
Harum commemoratione rerum

*Nos deterret, & auocat nefandis*
*His à flagitijs, quibus flagrauit*
*Impulsor Catilina factionis,*
*Tempestas patriæ, procella pacis.*
*Ergo floridulum petamus hortum,*
*Hortis Hesperidûm beatiorem:*
*Atq; illius amœnitate mentem*
*Oblectemus, & audiamus illic,*
*Quid lingua referat potente nobis*
*Culti Tullius arbiter uireti.*

## IN TVMVLVM LOTHI Bucholceri Berlinensis.

*HIc curis hominum iacet solutus,*
*Et uili tumulatus est arena*
*Lothus, pieridum decus sororum:*
*Qui cum imberbis adhuc ephebus esset,*
*Tam dulces elegos sonante lusit*
*Plectro, tam faciles, & elegantes:*
*Vt non inferior poëta, Cordo,*
*Vel Hesso, uel Acontio fuisset,*
*Si maturius attigisset æuum.*
*O sæuam nimis inuidamq; parcam,*
*Quæ sic ante diem peremit, & quæ*
*Tantæ sustulit indolis poëtam.*

## AD REVERENDVM ET MAGnificum uirum, Dominum Ioannem Preremsky, Vicecancellarium Poloniæ.

QValis lucida, quam mihi dedisti
Dono, gemma micante fulget auro:
Nomen tale tuum, tuusq; talis
Splendor Sarmatica relucet aula.
Tu Regis quasi pectus, os, ocellus:
Omnes præcipuas grauesq; regni
Causas eloquio tueris: omnes
Res & consilio tuo gubernas.
Tu ius dicis, ut alter Vlpianus,
Regis nomine: contrahis nec arcte
Legum uincula nec nimis relaxas:
Dum tu iustitiæ tenes habenas,
Duro præualet æquitas rigori.
At pro munere pro tuo lapillo
Gratus quid tibi, quæso, quid rependam?
Quot pictos uario colore flores
Producit Zephyro soluta tellus:
Quot se frugiferis coronat æstas
Spicis: quot grauidis abundat uuis
Autumnus: quot hyems riget pruinis:
Quot pisces pelagi natant profundo:
Lucent cæruleo quot astra cœlo:

Tot nostræ tibi gratias Camœnæ
Istis uersiculis agunt minutis,
Quos si postera comprobabit ætas
Hinc (ut spero) feres perenne nomen.

## IN TVMVLVM CHRISTOPHORI Schrammij, celebris bibliopolæ.

SIcut Triptolemum ferunt poëtæ
Frugum semina dißipasse, totum
Et sparsisse manu sua per orbem:
Sic, qui conditus hoc iacet sepulchro,
Distraxit simili modo per orbem
Quicquid pierius chorus librorum
Herbosi residens ad Albis undam
Typis edidit, ac sacrauit æuo.
Quin uolumina codicesq; iuris
Magno sedulus undecunq; sumptu
Et libros medicæ coëmit artis,
Quos huc attulit exteris ab oris:
Oris, quas celeri Padus fluento,
Quas & Sequana, quas Garumna, nec non
Bætis, Durius, ac Tagus, pererrant.
His ergo meruit perenne rebus
Nomen, post obitumq; consecutus
Est hoc nobile Schrammius sepulchrum,
Quod, ne tabida deleat uetustas,
Musæ præsidio suo tuentur.

GEOR.

# GEORGII SABINI LIBER CARMINVM

## Adoptiuus.



AD CLARISSIMVM VIRVM, D. Thomam Matthiam Brandeburgensem, illustrißimi principis Electoris Marchionis Brandeburgensis consiliarium, affinem suum G. Sabinus.

HVnc quoq; pierio consperſum flore libellum
Candidus ut nostro nomine lector amet,
Serior inq; sinu post tempora longa uetustas
Gestet: adoptiuum uersibus addo meis.
Sic pater alterius natum genitoris adoptat,
Esse cohæredem quem cupit ipse suum.
Nec pudet hæc aliena meis adiungere scriptis
Carmina, cum non sint deteriora meis:
Multaq; contineant, quæ delectare legentem
Deq; meis rebus commonuisse queant.
Sic etiam Cicero Romanæ gloria linguæ
Iungit amicorum scripta legenda suis:

*Nec minus Ausonium, proprijs inserta libellis,*
*Carmina Paulini consociasse liquet.*
*At quia uos ambos genuit respublica Brenni,*
*Affinesq; gradu proximiore sumus,*
*Hunc tibi syncerae fidei monimenta libellum*
*Atq; uoluntatis dedico signa meae:*
*Vtq; reor, quoniam studijs es amicus honestis,*
*Ille tibi magni muneris instar erit.*

## DE NVPTIIS GEORGII SABINI ET ANNAE FIliae Philippi Melanthonis, Epithalamion autore Matthia Illyrico.

Χθιζὸν ἀνὰ ξύλοχον παρὰ ῥεύματα καλὰ βαθύῤ-
Ἄλβιδος οὐ πόῤῥω λευκορέοιο κίον, (ῥόυ
Φρασσάμενος κατὰ θυμὸν ὅτῳ σὺν, λῶστε Σαβῖνε,
Τιοίην δώρῳ παστάδα πτωχὸς ἐών.
Ἔνθα μοι ἀντιόωσα παραστάδον εἶπε Θάλεια,
Τοὔνεκα τηΰσίως ταῦτα μάταιε νοεῖς;
Ἔλδεαι ἀφραδέως κεῖνον τοῖσδεσσι γεραίρειν,
Ὧν πάρα γ' οὔτε τι σοι, οὔτε μέμηλεν ἔοι.

Οὐκ

Οὐκ οἶδ' ἐκ παίδων νιν δὴ φιλόμουσον ἐόντα
  Πλὴν μουσῶν μελέτην ἴσχεμεν οὖρα τινος;
Σύνθεν ἕπος μουσῶν ἔπεσι κλέεσθαι ὀπάων,
  Ἰχανάα, τὸ γέρας δέξεται ἀσπασίως.
Ἤτοι ἐγὼ μου ὁμόσπονδον χόρον ἄμμιγ' ἔχουσα,
  Ἵξομαι εὐκαίρως δαῖτ' ἐπὶ νυμφιδίην,
Οὔτε δέπας χρυσοῦν, οὔτ' ἀργύρεον τιφέρουσα,
  Ἀλλ' αὐτοῦ ἐτεῶς σύμφορα φρεσί γέρα.
Πόρσω οἱ εὐεπίην, πόρσω μελινδέα γῆρυν,
  Θεσπεσίην λαιμῷ ἀμφιχέουσα χάριν,
Τοῦτο γέρας δώσω, τὸ φιλοφρονέουσα παρέσχον,
  Ὥσπερ οἱ εἰσέτι νῦν, καὶ μετέπειτα πλέον,
Τοῦτο καὶ οἱ ἀραρὸν καὶ μοι οἷόν τε παρασχεῖν,
  Τῶ οὖν καδδύναμιν ῥ' ἄσμενα καί συ πόρε.
Ὡς εἰποῦσ', αἴφνης αὖ ἀπῴχετο κεῖθεν ἄοπτος,
  Ἤξασσ' οὐ τὸ τυχὸν μου νόον ἀμφίβολον,
Αὐτίκα δὴ ἀποβὰς ἔνθεν παλίνορσος ἐσῆλθον
  Ἂν πόλιν ἐς τόγ' ἐμὸν φίλτατον οἰκόπεδον,
Ἐνθάδε παννύχιος μεμαὼς σοι λῶστε Σαβῖνε,
  Εὔνοος ὀφθῆναι ταῦτ' ἐνὶ φρεσὶ νόουν:
Δεῦτε φιλόσοργοι νέοι, ἀνέρες, ἠδὲ γέροντες,
  Χαίρετε πάντες ὁμοῦ ἤματι τῷδε μέγα.
Δεῦρ' ἄγ' ἀγαλλιόων θᾶττον φιλόμουσος ὅμιλε,
  Κηρόφιν ἀμφήνας σφὸ φιλοφροσύνην.
Χάρματι γάννυσθαι μάλα νῦν ἐπικαίριος ὥρη,
  Νῦν ποδέεσσι πρέπει δ' οὕπου ὀρινέμεναι,

Πρὸς

Πρὸς γὰρ ἐϋπλοκάμου νῦν ἦλθε γαμήλια κούρης,
Ἥ γε κασιγνήτου ἡμετέροιο γόνος
Σήμερον ἠΰκομος ζευχθήσεται Αννα Σαβίνῳ,
Αννα μελαγχθονίου ἱμερόεσσα κόρη.
Τοὔνεχ' ὅπις σε φίλα φρονέοις μελεδήματα θυμοῦ
Ἐκσκεδάσας ταχέως ὄρσον ἐϋφροσύνην.
Αὐτὰρ ὑπερχόντως πραπίδεσσιν ἀγάλλεο σῇσι
Γάμβρε, τῶν τ' ἄλλων χάρματ' ἔγειρε φρένας,
Ἠΐδε σοι τέως τετέλεστο πολύλλιτος ὥρη,
Νῦν ποτε, τὴν ἐπόθεις, ἦλθε θάλεια φίλη.
Ὄσσεο πῶς σεμνῇσιν ἀγαλλόμεναι χαρίτεσσιν
Παρθενικαὶ τεύχειν ἐγκονέουσι στέφη.
Πᾶσαι ταὶ πρῶται πόλιος καλὸν εἶδος ἔχουσαι
Ἀμφιθαμίζουσιν τὴν σέο πυκνὰ νυὸν.
Μουσάων τε λιγυφθόγγων συναγείρεθ' ὅμιλος
Τῇσιν ὁ τῶν χαρίτων μιγμένος οὐ χόρος.
Τύμπανα νῦν ἔκλαγξε, γελᾷ δέ τε πενθεροῦ οἶ-
Πᾶν τε τὸ λευκόροον σέεται ἀγλαΐα (κος,
Οὐκοῦν ἀμφαδίην κεχάροιο φρένας φίλε γάμ-
Ἐν νόῳ οὐδέ τι σῷ ῥίγιον ὀσσόμενος. (βρε,
Οὐκέτι τοι δέος ἀμβολίας γάμου οὔτε τοῦ ἄλλο
Λυγροῦ, ἀλλ' ἃ πόθεις πάντ' ἐπίχειρα πέλει.
Ἤδη δ' ἠέλιος περανίσεται ἔνατον ὥρην,
Πρὸς δεκάτην τάχα που αὐτὴν ἐπαγόμενος,
Δὴ τότε παρθενικαῖς σὺν ὁμηλικέεσσι προήξει
Σοῦ χαρίεσσα νυὸς σηκὸν ἐς ἠγάθεον.

Εκ

Ἐκ δέ τε πασάων σελαγήσεται ἠΰτε μήνη,
  Ἔξοχα τοῖς ἄλλοις ἄστρασι σειριάα.
Θεσπέσιον δὲ σέβας ἕξει τοὺς εἰσορόωντας,
  Πᾶς τις ἐσαθρήσας στήσεται ἐκπεταφών.
Ὧδε τέ τις φήσει ὁρόων ἐς πλησίον ἄλλον,
  Ὦ περὶ ζηλωτὸς νύμφιε τῆσδε κόρης.
Βουλοίμην μὲν ἐγὼ πάντεσσιν ἐρίζεμεν ὄλβῳ
  Τήνδε τυχὼν νύμφην γνησίῃσι θεοῦ.
Αὐτὰρ ὅταν τετύχοι θεοδέγμονος ἔνδοθι ναοῦ
  Στᾶσα, μάκ' αἰδοίῃ ἀνθ' ἱερῆος ὀπί,
Ἔνθ' ἄρα σ' ἀρρήκτῳ εὐθὺς προσενώσεται ἑρμῷ,
  Τῷγε θεοῦ μονίμῳ αὐτοφύτοιο λόγῳ.
Ὄλβιε γαμβρὲ θεὸν πέρα πάντων σ' ἵλαον ἔχεις
  Πατρίδος ἐξ ἄκης ὧδε προσερχόμενος.
Αἰζηοὶ γὰρ ὅπου θαμέες τελέθουσιν ἀγαυοί
  Καλονῇ, ἠδ' ἀφενῷ σύντ' ἐπέεσσι νόῳ
Ἦχι συγ' ἐν τόσσοις τοίοις δέ τε θαῦμα πυθέσθαι
  Τήνδε πολυμνήστην κτήσαο παῖδα πρόμος.
Μοῦνος δ' ἐκ πάντων σὺ τὸν ἀνέρα πένθερον ἕξεις
  Ὅς ῥα περίκλειτος παρ μερόπεσσι τὰ νῦν,
Ὃς περὶ μὲν νοέειν, περὶ βάζειν, ἠδὲ διδάσκειν
  Οὐκ ἄν τις κείνῳ τοῖσδ' ἐρίσειε βροτοῖς.
Θελξίνοος καὶ ἀεὶ αὐτοῦ ἐνὶ χείλεσι πειθὼ
  Ἵζετ' ἀκουόντων κέντρον ἐνεῖσα φρεσί.
Οὔποτε Σιθονιοῦς Ὀρφεύς, οὐχ ὧδε Περικλῆς
  Κεκροπιδῶν μύθοις δεινὸς ἔπεισε φρένας.

Εἶτα

Εἶτα καὶ αὐθογενεῖς μῦνον μελιγήρεε κείνω
Οὔασι θαύμαζον θελγομένοισί τότε.
Τοῦδε πολυπτερίας θέλγει λιγυρώτατος ὀμφὴ
Τηλέδαποι ποτὶ τοῦδ᾽ ἐνθορέουσιν λόγον.
Οὐδέ τις ἀσχάλλων αὐτοῦ δηρὸν πὸρ ἀκοῦσαι
Φθεγγομένου, αὐτὰρ κάρτα τεταρπόμενος.
Ὡς δὴ ἀριφραδέος αἰεὶ πολυδαίδαλος αὐτοῦ
Γλῶσσα συναρμόζει πᾶν κατὰ μοῖραν ἔπος.
Ὄλβιε γάμβρε κόρη ταχέως σ᾽ ἀνὰ λέκτρα μολήσει
Οἷα ἄρ᾽ οὔτις ἔραν λευκορέοιο πατεῖ.
Οὐ δέμας οὔτε φυὴν οὔτ᾽ ἄρ φρένας ἠδὲ καὶ εἶδος
Ἵλαος οἱ φθονερὴ ὤπασε χειρὶ θεός.
Οὔποθ᾽ οἱ αἱμυλίης αἰδὼς ἀποβαίνει ὀπωπαῖς
Ἑζομένῃ γληνῶν γὰρ βολέῃσι καλαῖς.
Φθεγξομένη σεμνῶς καταβάλλεται ὄσσε χαμᾶζε,
Παῦραν αὐτὰρ ἄγαν γῆρυν ἀφεῖσα λιγῆ.
Ἡδ᾽ ὑποκυσσαμένη κατ᾽ ἔτος σ᾽ ἀριδείκετον οἴσει
Ἐς τὸ φάος τέκνον νόσφι τόκοιο μόγου.
Ὃς φρένας ἠδὲ φυὴν τάδε ἄλλα προσείκελος ἔσται
Ἀρδίω μητροπάπῳ, σοὶ δέ τε πατρὶ σφέῳ,
Καὶ ῥ᾽ ἔτι παιδνὸς ἐὼν ἔτι σοῦ ποτὶ γούνασι τυτθὸς
Παππάζων λέξει ἧς φρενὸς εὐφυΐην.
Αἶψα τε παιδιόθεν ἔτι ἐπ᾽ ἀγκαλίδεσσι τοκῆος
Πάντα τὰ πρῶτα τεχνῶν γνώσεται εὐμαρέως,
Εἶτα δ᾽ ἀνηβήσας ἁπαλοῖς σὺν δ᾽ εἰνὸς ἰούλοις
Εἰσαῦθις σπεύσει πάντα τέλεια φρονεῖν.

Παι-

Παιδομαθὴς δέ τοι ὢν, προγόνων ἀνὰ τ᾽ ἴχνια
Τοὔνομα Τηλεφανὴς ἔσσεται ἐξαπίνα. (βαίνων
Ἐστὶ δὲ καὶ σὺ νυὸς πασῶν περὶ ὀλβίη ἄλλων,
Τοὔνεχ᾽ ὑπὲρ πάσας κτήσαο τόνδε πόσιν.
Οὐχ᾽ ὁ τυχὼν σου προσαπτύξει περικαλλέας ὤμους
Οὔτ᾽ ἄρ νώνυμος σ᾽ ἡδὺ φίλημα ποθεῖ,
Αὐτὰρ ὁ ἐν γενεὴν κλεινὸς, πολλόν τε λελογχὼς
Αὐτὸς γὰρ ἀνθρώποις ἧς πραπίδεσσι κλέος,
Οὐ νόου, οὔτε φυῆς, οὐκ ὄλβου, ἦέ τευ ἄλλου
Δευόμενος, τοῦ χρῆν ὄλβιον ἄνδρα δέον.
Εἶτα καὶ ἡρώων ἢ κλέων αἰὲν ἀοιδῇ
Ἀνδρῶν ἠνορέαν σύν τε νόοιο φρόνιν
Τῷ σφι κυρεῖ φίλος ὢν καί τοι κειμήλια πολλὰ
Αὐτόθεν, δεξόμενος γ᾽ ὅνδε δόμονδε φέρει.
Οὗτος ἄρ ὦ νύμφη σου φίλτατος ἔσσεται ὁμευνος.
Οὗτος σοῦ ἐράσει οἷς φαέεσσιν ἴσον.
Καί τοι σεβρίσας λιπαροῖς πολύολβος ἐέδνοις
Θήσει ἐμμὲν πάσαις ζῆλον ὄαρσι μέγαν.
Εὖτε σε παρθενικὴν περενόχροα κεδνὰ διδάξει
Ἤθεα, σωφροσύνην, ἠδὲ φύλαγμα δόμου.
Εὖ δ᾽ ἀγανοφροσύνην ἐν καὶ πεῖσαν χαρίεσσαν,
Εὖτ᾽ ἄλλας ἀρετὰς, κόσμον ἀριπρεπέα.
Τρισμάκαρες γὰρ ἄμφω σύ τε νύμφη καὶ σύ γε νυμ
Συμβιοτεύσοντες τοίω ἐόντες ἀεί. (φον
Αὐτὰρ ἔπι πλεῖον τοίοις τεχθέντε γονεῦσι
Ἄμφω τρισμάκαρες καὶ περικυδαλίμω.

Πουλὺ δ' ὑπὲρ πάντας δὴ τῶν μακαρτάτω ἄλλους
Σφῶ', ὅτι τυτθὼ ἔτ' ὄντ' οἶκος ἐνέσχεν ὁμός
Νηπιάχω, μόνον οὐκ θείως συνιόντε τόγ' αὐτὸ
Ἐς δῶ, ἔνθεν ἀεὶ σῖτον ἕλεσθον ὁμοῦ.
Αὐτόδιον δὲ καταλλήλοιν ἄρξαντε ἰλεῖσθαι,
Ἐκ τοῦ ἀεξεῖτον φίλτρ' ἐνὶ φρεσσὶν ἀεί,
Ὡς οὐκ αἰφνίδιον τυφλῇ συνελήλυθον ὁρμῇ,
Ἀλλὰ καλῶς ἑτέρου γνῶνθ' ἑκάτερθε νόον. (των
Τῷ ἄρα χ' αὐτῆμαρ μὲν ἀγαλλομένω περὶ πάν-
Χαίροιτον καὶ ἔργαν κραιπνὰ τύποιτε ποσίν.
Καὶ μετόπισθε γάμου οὐκ ἂν παύσαισθον ὁμεύνω
Ἀεὶ σὺν θαλεραῖς ζῶντες εὐφροσύναις.
Ὑμεῖς δ' αὖ νεοὶ, ἠδὲ νέαι, σφ' ἐπίηρα φέροντες,
Καρδιόθεν πολλὴν ἐκχέατ' ἀγλαΐαν.
Καί ῥα περιπλεκέες χερσὶν κατὰ κόσμον ὀρόντες
Ἐς χόρον ἐσσύμενοι σεῦσθε πόδεσσι ψόφον.
Εἶτα καὶ ἐξ ἄλλων ὅσσοι τετυχήκατ' ἐόντες
Συγκλητῶν εὖνοι χαίρετε πάντες ὁμοῦ. (λὰ
Καί τε σφῷϊν πάντες μιγδὴν εὔχοισθε τάδ' ἐσθ
Ὅσσα μενοινώτην, ἐν φρεσὶν ἧσι τυχεῖν.
Ἐξαίτως δὲ ὁμοφροσύνην τῆς λώϊον ἄλλο
Οὐκ ἐν συζυγίᾳ πὰρ θεοῦ ἐστὶ λαβεῖν.
Τὴν καὶ ἐγὼ μὲν σοὶ νύμφον καὶ σοῖο δάμαρτι
Συμβαίνειν πρόφρων εὔχομαι οὐρανόθεν.
Ἐν τῇ δ' οὖν ἄμφω φιλέοντε τε τερπομένω τε,
Σὺν ῥα θεοῦ δείν ζῆτ' ἀεὶ ἀμφιθαλεῖς.

ΕΡΙ·

# EPITHALAMION AVTORE Melchiore Acontio.

GAudia Melpomene noua dū celebramus adesto
Te sine non ullum suscipiemus opus.
Pone supercilij sanctum grauioris honorem,
Vt cythara carmen liberiore canas.
Sume nouas frondes capiti, sic postulat usus:
Impediantq; leues florida serta comas.
Mollia de tenui faciamus carmina filo,
Qualia uel sponsus, uel noua nupta, legat.
Venit enim tempus, quo nata Melanchthone uirgo
Ducitur in thalamos docte Sabine tuos:
Quam toties uotis ardentibus ante petebas,
Vt leuis æstiuo tempore ceruus aquas.
Hanc tibi iam lucem nitido produxit ab axe,
Per cœlum uolucres qui moderatur equos.
Quæq; tui semper casto flagrabat amore,
Iam uenit in thalamos Anna Sabine tuos.
Cur Hymenæe faces assuetaq; munera cessant?
Sume tuos cultus atq; Hymenæe ueni.
Te sine non ulli bene coniunguntur amantes,
Nullus ad extremum te sine perstat amor.
Ille parum felix merito torus esse putatur,
Qui caruit tædis ô Hymenæe tuis.
Quare age, cinge comam sertis, cape flammea tecum
Sume tuas tædas atq; Hymenæe ueni.
Vt noua præsenti connubia numine firmes,
Quam primum ueniens Hesperus ortus erit.

Fallor? an excelsis sub turribus æra dederunt
Tibiaq́; & rauca tympana uoce sonum?
Insonuêre, uocant stantis procul agmina turbæ,
Vtq́; petat sponsus lucida templa monent.
Ite, quid hic statis iuuenes, deducite sponsum?
Et uos longæui turba uerenda senes.
Tu quoq; uirginibus comitantibus Anna sub ædem
Pauca Sacerdotis uoce monenda ueni.
Vt rata sint, coram populo sanctißima fient
Fœdera, consuetæ relligionis opus.
Dextera iam dextræ iungetur, & ante deorum
Ora, sacras uestrum fundet uterq́; preces.
Numine placato feliciter omnia cedent,
Euenit aduerso nil nisi triste Deo.
Est aliquid superis cœpisse fauentibus illud
Stare quod illæsum perpetuumq́; uelis.
Ite igitur quo sacra iubent, superisq́; uocatis
Auspicium fausti sumite coniugij.
Hic etiam uitæ præcepta salubria uobis
Dantur, quos licito iungit amore Deus.
Vt uiridi sese uitis noua subijcit ulmo,
Et quo se teneat, quodq́; sequatur habet,
Sic pia dilectum consuescet amare maritum
Vxor, & illius iussa benigna sequi.
Fidus amor paribus constringat pectora nodis,
Diligat ille suam, diligat illa suum.
Hæc ubi diuino perlegerit ore Sacerdos,
Actaq́; res sacræ relligionis erit,

Linquite

Linquite cum templis superos, iam tecta subire
    Tempus, & instructæ limina celsa domus.
Ordine dispositi longis accumbite mensis,
    Quisq; suo, iuuenis, fœmina, uirgo, loco.
Corpora quid prohibet dapibus recreare cibisq́;
    Dulcibus, & sumpto corda leuare mero.
Quisquis ades, cupide præsentibus utere rebus,
    Vtilis in mensa non solet esse pudor.
Qui sapit, è multis sibi conuenientia sumet,
    Siue Ceres cordi siue Lyæus erit.
Hæc duo si desint, hilares quis sumere uultus,
    Quisue iocis poterit lætitiaq́; frui?
Pocula lætitiam mortalibus addere norunt,
    Cum biberit, tristis desinet esse, Cato.
Nunc igitur, quoniam sunt omnia læta, bibatis
    Si modo Germano uiuere more iuuat.
Ecce quid hoc? surgunt post prandia longa puellæ,
    Forte parant solito ducere more choros.
Tibia iam sonuit, poscuntq́; sonora choreas
    Tympana, de ualidi tergore facta bouis.
Surgite uos contra iuuenes, quibus integer æui
    Sanguis, & in forti corpore robur inest.
Dum licet & tempus sinit, indulgete choreis,
    Nulla puellarum res magis apta gregi.
Vestraq́; non Marti tantummodo conuenit ætas,
    Esse etiam Veneris lusibus apta solet.
Nec tamen iccirco leges soluisse pudoris
    Atq; pudicitiæ uincula sancta uelim.

*Absint nequitiæ, scelerumq́; libido creatrix,*
*Quæq́; solet fines transiliisse Venus.*
*Ite pares animis, cum castis ludite caste,*
*Hoc licitus uester nomine lusus erit.*
*Eligat è medio, quam quisq; probauerit ante,*
*Inter enim multas una placere potest.*
*Non eadem facies est omnibus, aspice, dices*
*In tamen his faciem quamq; decere suam.*
*Colla niuem poterunt, aurum superare capilli,*
*Ora rosas, molles alba ligustra manus.*
*Roma tot ac tales uix educat alta puellas:*
*Ipsa sua quamuis regnat in urbe Venus.*
*Magnificæ uarijs incedunt cultibus omnes,*
*Nec leuis hac formæ iungitur arte decor.*
*Illa niuem Scythicam referentes sumit amictus,*
*Illa rosis similes induit, illa croco.*
*Hæ uirides herbas cultu simulante teguntur:*
*His maris arridet cæruleusue color.*
*Est etiam pullæ non infima gratia uestis,*
*Sæpe tegunt niueum Syrmata pulla latus,*
*Delectant alias alia, & sua cuiq́; probantur:*
*Totaq́; plebs cultu uersicolore nitet.*
*Sic uarij pingunt uiridantia prata colores*
*Frigida cum Zephyro flante recedit hyems.*
*Sponsa tamen reliquis formosior omnibus una*
*Incedit medio conspicienda choro:*
*Cuius & ingenui mores, uultusq; decori*
*Vix possunt numeris, ut meruêre, cani.*

*Aspice*

Aſpice purpurei decus oris, ut æmula certent
 Cum cœli nitidis lumina ſyderibus.
Aſpice lucentum ſit gratia quanta genarum,
 Ac ſi quis niueum ſanguine tingat ebur.
Quantus ineſt mẽbris decor omnibus: aut ego fallor,
 Aut Venus huic cæſton tradidit ipſa ſuum.
Iuppiter hanc Ledæ præponeret, optima quamuis
 Leda puellarum dicta ſit eſſe decus.
Huius in amplexus quam Daphnes mallet Apollo
 Ire, licet Daphnes optima forma fuit.
Redderet Atridæ, quam ſuſtulit ante, Lacenam
 Si præſens huius cerneret ora Paris.
Hanc peteres certe per mille pericula Ponti
 Cui toties nandi cauſa puella fuit.
O quoties aliquis iuuenum ſuſpiria ducit
 Inſcius aſpectu cum ſtupet Anna tuo.
Immotoſq; tenens oculos miratur, & hærens
 Cogitat an ſimilem uiderit ante tibi.
Digna potes certe genitore Melanthone dici,
 Nataq;, qua genitrix eſſe ſuperba queat.
Coniuge præterea digniſſima uate Sabino,
 Quo nihil hic noſter pulchrius Albis habet.
Cui generoſa fauens aſpirat carmina phœbus
 Plenaq; caſtaliæ pocula donat aquæ,
Ante miniſtrauit uel qualia ſæpe Maroni,
 Vel tibi Pelignis orte Poëta iugis.
Huic nuptura uiro, fortunatiſſima iure
 Diceris ô ſummo digna puella Ioue.

Iam prope uesper adest, lætisq; exacta choreis
　Candida festino cedit ab axe dies.
Nox ruit, & toto descendit plurima cœlo
　Inq; polo late splendida signa micant.
Iamq; faces pueri manibus præferre iugales
　Incipiunt, crebro lucet ab igne domus.
Nunc Hymenæe ueni, cupidi iungantur amantes
　Officio præsens indiget hora tuo.
Ecce uenit, date cuncta locum, Deus ecce uocantes
　Audijt, ad munus lætus it ipse suum.
Sydereus natum cœlesti semine splendor
　Et magnum facies arguit esse Deum.
Prima genas signat niueas lanugo, nec illi
　Vlla uetustatis tempora longa nocent.
Semper enim iuuenis, sine barba semper, & idem,
　Qua fieri poßit, nescit ab arte senex.
Sic etiam perhibent te Phœbe senescere nunquàm
　Et tibi perpetuo Bacche iuuenta manet.
Est & in ornatu decor haud uulgaris, habetq;
　Non dubias magni numinis ille notas.
Aurea flauentes innectunt serta capillos
　Quæ digitis Charitum nexa fuere trium.
Dextra facem puro rutilantem concutit igne,
　Leua tenet laxos ueste fluente sinus.
Vocibus ut graditur, quas accipit undiq;, lætus?
　Qua uenit ambrosio spirat odore locus.
Ante Poëtarum thalamos sic iuit ad altos
　Siue tuos Naso, siue Eobane tuos.

Iamq;

Iamq; facem quassans, medium circumspicit agmen,
Virgineos tandem desere sponsa choros.
Non opus est lachrimis. Ah parce tenerrima parce,
Pulchra quid effusis fletibus ora rigas?
Et trepidas, ueluti conspecto territa quondam
Agna lupo, matri quando relicta suæ est.
Quid subito auersans speratæ gaudia noctis
Iam sterili malles uirginitate frui?
Ne tener ah tanti tibi sit pudor, i, pete lectum,
Quo Deus & mater nomina fida uocant.
Ipse toro residens, Ades ô pulcherrima clamat
Sponsus, & ô nostri pectoris ardor ades.
Quid iuuat ardentem multum torquere morando?
Tradite iam sponsam, tradidit ante parens.
En Hymenæus abit, thalamus iam clauditur intus
Molliter amborum pectora iunget Hymen.
At uos legitimo quos fœdere numina iungunt
Egregium, lætæ munus obite deæ.
Soluite primitias Veneri, sic dulcia uobis
Mutuus aßiduo bella mouebit amor.
Nomen ut optatum contingat utriq; parentis,
Non tantum superi crebraq; uota dabunt.
Vester erit potius labor hic. Iam desine plura
Melpomene, castis hæc cecinisse sat est.
Cætera, qui thalamum simul est ingressus, amantes
Omnia præsenti uoce monebit Hymen.
Nunc igitur poteris consueta reuisere Tempe,
Siue ea Parnassus, siue ea Pindus habet.

*Ante tamen, quam diua abeas, optabis utriq;*
*Poßit ut exactis mensibus esse parens.*
*Auspicibusq; Dijs peragendos molliter annos*
*Illa Sibyllinos, Nestoris ille ferat.*

## ALIVD EODEM MELCHIOre Acontio autore.

*NVper ad Aonij loca formosißima montis*
*Diua sub ingenti platano Cytherea sedebat,*
*Hic ubi Dædaleis construxerat artibus illi*
*Lemnius auratis circumdans sæpibus hortum,*
*Coniugis inductus precibus: Syluestria circum*
*Numina nympharum stabant, paßimq; per herbas,*
*Ludebant teneri, grex insidiosus, amores.*
*Mixta quibus comitem se læta uirago iuuentus*
*Addiderat, leuitasq;, & mollis numen Iacchi,*
*Ridiculusq; furor, stultæq; insania mentis,*
*Et plures alij cognati Dijq; Deæq;.*
*Ipsa Venus nitido texebat pollice sertum,*
*Ac niueis uirides miscebat floribus herbas,*
*Quas neq; contigerant immitis frigora brumæ,*
*Feruidus ardenti neq; sol exusserat igne.*
*Dum sedet, & cepto fauet irrequieta labori,*
*Exaudit strepitum nati uenientis, & arcus*
*Agnoscit sonitum, quem dextera gestat amoris,*
*Ille uolans summi per inania nubila cœli*
*Aëra scindebat uibrantibus impiger alis.*

Iamq́; suæ gremio, demissus ab æthere, matris
Factus erat propior: pharetram proiecit & arcum,
Paruaq́; materno circumdans bracchia collo,
Accipe mater ait, quæ iam mihi gloria rursus
Parta sit his ipsis, quibus omnia uincimus, armis.
Illa sui quamuis pueri crudelia norat
Facta, tamen ridens placido sic incipit ore.
Quos iterum referes ô audacißime nobis
Nate dolos, adeo qui te fecêre superbum?
Num meus est iterum genitor conuersus in aurum?
Num faciem tauri rugosaq́; cornua sumpsit?
Num Cybelen, quamuis anus & ueneranda deorum
Sit genitrix, lentis succendis amoribus audax?
Perq́; nemus phrygia discurrere cogis in Ida
Oblitam decoris, Gallis comitantibus ipsam?
Forsan ut es semper nimium temerarius, astu
Ausus es Aonias aliquo turbare sorores,
Quæq́; tuæ semper spreuerunt uulnera dextræ,
Fallor, an has etiam peregrina fraude, doloue
Dura coëgisti sub regna Cupidinis ire?
Quicquid id est, certe metuo uereorq́; Cupido,
Ne male te subito tanta hæc audacia perdat.
Cui puer: Est aliud quod me facit esse superbum
Chara parens, multos deuicimus, hosq́; Poëtas,
Qui mea dicebant frustra sibi tela parari,
Quandoquidem Musas colerent, castosq́; liquores
Pegasei fontis gelida sub ualle bibissent.
Scis puto quale sit hoc hominũ genus, æthera iactant

Ingenijs ſeruire ſuis, innataq́; ſeſe
Semina neſcio quæ diuinæ mentis habere.
Et quia muſarum pulchris operentur in hortis
Meq́; meosq́; arcus & tela potentia ſpernunt,
Turba cupidineo cum nulla ſit aptior igni.
Hos ego iam docui qui ſint, & qualia iactent.
Nam neq; Pierides, neq; ſpiritus ille ſuperbis
Profuit, æthcrea quem ſede uenire ferebant.
Omnibus ardor ineſt idem mea caſtra ſequendi,
De tot adhuc Muſas uix aſpicit unus & alter.
Vtq; ſuis alij domiti nunc ignibus ardent,
Sic decus Aonidum fore quem prædixerat Heſſus,
Non leue uulnus habet transfixo corde Sabinus.
Hunc mihi præ cunctis ſuccumbere glorior unum:
Si qua fides etenim præſtantior omnibus hic eſt,
Vix alius uerſu meliora poemata ſcribit.
Iamq́; licet reges ac fortia dixerit ante
Facta ducum, noſtro meditatur carmina ludo
Digna, ſuamq́; canit non duris uerſibus Annam:
Annam quam genuit celeberrimus ille Melanthon,
Sidereis flagrantem oculis, quæ uincere cignum
Sithoniasq́; niues, & candida lilia poſſet.
Inſuper illius petijt connubia nuper
Impatiens fructumq́; ſui quæſiuit amoris.
Et niſi decipior, cras cum fugientibus aſtris
Sydereus nitido radiabit lumine Titan,
Anna bonis auibus docto nuptura Sabino
Ducetur pompa celebri per amœna deorum

Templa,

Templa Camœnarum chorus undiq; cinget euntem,
Non aberunt Charites: nõ carminis author Apollo:
Tu quoq; deducens Hymenæum, mane per auras
Mater ad hanc uenies cras cum lux alma redibit,
Formosamq; aliquo decorabis munere sponsam.
Sic ait. At genitrix iamdudum certa futuri
Surgit, & ad iuuenem cui sunt sponsalia curæ
Flectit iter: paruis hic mixtus amoribus ibat,
Longaq; fraterno ducebat tempora lusu.
Quem dea compellans, placido simul edocet ore
Quid uelit, & quæ sint uenturæ gaudia lucis.
Non ignarus erat, comes ibo dixit euriti,
Perq; leues illuc tecum dea transferar auras.
Nec tibi fas nec abesse mihi, ueniemus uterq;,
Ipse faces, tu serta gerens cæstumq; potentem.
Postera uix cœlo stellas dimouerat Eos,
Ingrediuntur iter dea Cypria, cumq; Hymenæo
Paruus amor, plenam gestans de more pharetram.
Contigerant Albim, iam non uelut ante ruentem,
Sed uirides placido stringentem flumine ripas.
Sensit adesse deos subito pater Albis, & antro
Extulit os madidum, gelidosq; seniliter artus
Sustentans baculo, uiridantis margine ripæ
Constitit, atq; udo summam pede pressit arenam.
Plurima muscoso de uertice gutta cadebat
Humectans humerosq; Dei, barbamq; senilem.
Vt prope conspexit tria numina, talibus infit.
Cur uos ô superi cœlo meliore relicto

Huc

Huc uenisse putem? uenerunt huc quoq; Musæ,
Fessus heri peteret cum pronior Oceanum sol.
Quo properatis? An est ueniendi causa Sabinus
Ille meus uates, cui nata Melanchthonis Anna
Iam dabitur iungenda toro, lectoq; iugali?
Dicite, nam rutilo uix summos lumine montes
Sol ferit, & pleno nondum caput extulit orbe,
Excipiens superos sic dicitur ille locutus.
Nec tacuit Cytherea diu, sed protinus omnem
Rem docet, & blandis cupido sermonibus astat.
Interea uarijs de montibus undiq; Nymphæ
Conueniunt, secum cœlestia dona ferentes,
Ambrosios succos, gemmas, preciosaq; serta,
Qualia uix alijs dederant mortalibus unquàm.
Pars è Saxoniæ properantes finibus adsunt
Arboreis pariter præcinctæ frondibus omnes.
Ast aliæ linquunt te Marchia, quas uel Hauelus,
Vel Sprea muscosis, aut Odera detinet antris.
His Comites aliæ uicinis saltibus ibant
Longa quibus tergo coma dependebat, ut olim
Virginibus Tyrijs, quæ per nemora alta Dianæ
Exagitare feras patrio de more solebant.
Misit & ipse Salis Duringo rure profectas
Naiades insignes facie, calathosq; tumentes
Floribus addiderat, telluris nobile donum,
Quos sponso sponsæq; ferant: sed uersibus omnes
Enumerare nec est hominis: nec temporis huius
Permittit breuitas: tot conuenêre puellæ,

 

Omnes uisuræ thalamum sponsamq; Sabini.
Et iam protulerat totum sol aureus orbem,
Conspicuoq; diem reuehebat clarior axe.
Quod Cytherea uidẽs: Quid stamus? & ocius inquit
Arripiamus iter, superest breue tempus eundi.
Albi uale: sic fata Deum Dea deserit: illam
Vndiq; Hamadryadum circũ leue panditur agmen,
Et sequitur gressu per agros ad mœnia tendens
Vrbis Leucoreæ, cuius super æthera nomen
Iuit, & extremum terræ penetrauit ad orbem.
At formosa domi tenera cum matre sedebat
Sponsa, pudicitiæ discens exempla priorum,
Multa subinde rogãs genitricem, multa requirens,
Et similem quondam fieri se talibus optat.
Dum rogat admirans præceptaq; discere gaudet,
Fida dat interea nutrix, quos legerat ante,
Ornatus capiti uarios, auroq; reuincit
Sedula flauentes per candida tempora crines.
Quod sit splendidius dubitares crinis an aurum.
Lintea sumpta cutis superaret candida, si non
Tincta rubore foret. Superant tamen omnia cultum,
Et natura potens uix ulla uincitur arte.
His super ingressa est subito Venus alma cubile,
Nec non Naiades: stupuit cum uirgine mater
Ornandiq; simul cecidit labor, ora dearum
Mortales uix ferre queunt, oculosq; remittunt.
Voce metus adimens quibus hæc Dea Cypria fatur.
Chara dijs, hominum generi ueneranda propago,

Perpetuum latura decus, dignißima cœlo,
Sic tibi quo cœpit faueat sors æqua tenore
Semper, in immensum generis sic gloria crescat,
Parua deæ Veneris pro tempore dona benigne
Accipe, quæq; ferunt ex ordine munera nymphæ
Serta, rosas, aurum, distincta monilia gemmis,
Quicquid præterea est. Sed enim meliora dedissem
Si meus ille domi coniunx præsensq; fuisset
Mulciber, in cœlum Ioue sic cogente profectus.
Qui mihi iam toties manibus pulcherrima fecit
Ornamenta suis, quibus & cœlestia sæpe
Numina demerui, Iunonem, Pallada, Musas,
Innumerosq; homines. Nunc hoc tibi sponsa Sabini
Quale uides, sertum Cythereæ munus habeto.
Pro quo, nulla mei nisi gratia numinis hic est,
Vt decet, optatum complectere læta maritum.
Disce thori leges me præcipiente, nec illum
Virgo time, cui te iam despondêre parentes.
Quod uolet ille uelis, placeat mens una duobus:
Sic cito mater eris, sic semper amaberis illi
Cui modo sola places, sic gaudia semper habebis.
Hæc & plura Venus laudantibus omnia nymphis
Fata, coronauit cœlesti munere sponsam.
Afflauitq; nouum membris decus, unde puellas
Inter Leucoreas hac formosißima luce
Sponsa fuit, tantum Venus aspirauit honorem.
Nec minus interea sponsum ornauêre Camœnæ,
Vt iuuenes inter longe pulcherrimus omnes

Illa luce foret, qua uincla iugalia primum
Accipiens, licitos erat amplexurus amores.
Nobile præterea cecinerunt carmen alumno
Vnanimes, ac dulce melos, quod phœbus & ipsæ
Miratæ Charites stupuerunt, quo stetit Albis
Lentus & attoniti repreßit gurgitis undam.
Illius ut possent seri meminisse nepotes
Stigelius, uatum non infima gloria, fecit.
Qui dictante sacros conscripsit Apolline cantus
Aonidum, paßimq; dedit uolitare per orbem
Perpetua dignum celebrari laude poema.

## IOANNES STIGELIVS Georgio Sabino.

Docte Sabine tuas nuper missurus ad ædes
Veste nouem comptas uersicolore Deas.
Ite Deæ dixi, facundi uatis ad aures,
Vberius per quem Gorgonis unda fluit.
Forte Melanthonidos uobis uenientibus Annæ
Ludet in optato suauiter ille sinu,
Aut bene compositos meditans ad tympana motus
Concinet in medijs iubila festa choris.
Quidquid aget, cum uos à me uenisse uidebit,
Obuius attenta porriget aure manum.
Huic uos optantes tædæ omina læta iugalis
Edite sermonis nuncia uerba mei,
Eius ut ornetis missas uos dicite pompam,
Veste tamen digna non potuisse tegi.

At quam-

At quamuis Tyrio non sitis murice comptæ,
Posse tamen comptas inter habere locum,
Corporis utq; aliæ gestent insignia Nymphæ,
Sic uos solius mentis habere decus,
Hoc etiam exiguum quàm sit uos scire, sed usq;
Corporis externis dignius esse bonis.
Ad tua iam quare uenientes limina musas
Excipe, nec duras claude Sabine fores.
Concelebrare tuæ cupiunt spectacula pompæ
Veste licet trita, uersicolore tamen,
Hoc quoq; non aliqua faciunt ratione carentes,
Vberior pictis gratia rebus inest.
Sic pascunt oculos picti uiridaria campi,
Nec uiridi solum prata colore iuuant.
Sic placet explicitis ales Iunonia pennis
Gratia cum Phœbi nulla uenustet auem.
Forte sed hæc animo lustrans emblemata, dices
Materia ad formam non facit ista suam.
Vtcunq; istud erit, satis esse superq; putarim
Hic aliquid si te quod iuuet esse queat.

## EPITHALAMION, IOANne Stigelio autore.

EST nemus arboreū stagnantis ad Albidos undas
Aspicias, certe numen habere putes,
Non locus irriguum iucundior extat ad Albim
Qua uidet Arctous nostra Lycea polus,

Sæpe

Sæpe meæ hic cecini præconia blanda Philetæ
Peligni uatis dulce secutus opus.
Et uidi hic Nymphas pro sertis texere uersus
Pro uersu Aonidas texere serta Deas.
Hic ego dum tacitis solus secesśibus erro
Securæ meditans carmina mentis opus,
Suauibus insonuit circum concentibus aër:
Gutturis humani non erat iste sonus,
Maius erat quiddam, cœloq; agnatius ipso,
Humana quàm quod posśit ab arte cani.
Lætabar, placidaq; animum dulcedine captus
Ingenio rebar numen adesse meo.
Ecce nouem ducens forma præstante puellas
Nescio quis faciem constitit ante meam,
Os humerosq; Deo similis, cultumq; decorum
Qualem credideris posse decere Iouem.
Arcum humeris, læuaq; chelyn, dextraq; sagittas,
Pectore sed pharetram dulce ferebat onus.
Integra formoso uernabat in ore iuuentus,
Ornabant flauas laurea serta comas.
At qualis fuerit facies, quæ forma puellis
Vix elegis uideor dicere posse meis,
Ibat odoratos hederis innexa capillos
Quælibet, & nudo conspicienda sinu.
Non sum iudicium Paridis qui credere nolim,
Sed tamen has illis præposuisse uelim.
Ibant & decuit ueneranda modestia gressum,
Lux præit & sequitur qua chorus iste uenit.

Obstupui & rigidi stabant horrore capilli,
Vera loquor, mecum uix satis ipse fui.
At non sic toto riguit mihi pectore sanguis
Vt nollem uultu quamq; notare meo,
Ah ea qui nequeat pulcherrima spectra uidere
Hunc nihil humani cordis habere putem.
Interea ille gradu propior uestigia torquens
Quos dederat miti sustulit ore metus.
Pone metus inquit Clarij cupidissime fontis,
Aonijs iuuenis non abigende choris,
Sum Deus, & magni soboles generosa tonantis
Patre etiam dicor uix minor esse meo.
Est mihi Mercurius frater, soror aurea Phœbe,
Ambo tenent regno subdita regna meo.
Ipse ego sydereas illustro lumine sedes,
Occultant reliquas lumina nostra faces,
Aurea fecerunt quondam mihi secula nomen
Tempore quo Delphis cultus Apollo fui.
Ingenijs præsum, facundaq; pectora reddo
Omnibus his pure qui mea sacra colunt.
Hinc uos ingenuus laudis mea turba Poëtæ
Ardua Parnaßi per iuga raptat amor,
Hinc Aganippæos cupidi sudatis ad amnes
Vestraq; Gorgoneis ora lauatis aquis.
Iam puto non quæres, audito nomine Phœbi,
Iste puellarum quis sit, & unde chorus.
Si bene me quisquàm nouit, bene nouit & illas,
Diuersum sexum, numen habemus idem.

Liquimus Aonios campos, & Phocydis amnes,
Vestraq; Leucoreæ uenimus arua plagæ.
Vt pia facundi testemur uota Philippi
Ante suum placidos pondus habere Deos,
Dum spondet uati connubia sancta Sabino
Et socer huic natam iungit amore suam.
Testis eris, nostras Albim resonasse camœnas,
Sic tibi non duro carmine uersus eat.
Dixit, & ad Cytharæ iungens modulamina linguam
Edidit Heroo talia uerba sono.

## APOLLO.

VT quando Oceano roseis Tritonia bigis
Surgit ouans, mundumq; nouo splendore saluta(tans
Obuelat radijs stellas per inane micantes,
Sic quemcunq; abeat tua fama Melanthon in orbem
Virtutis propriæ, propriæ sibi conscia lucis
Regnat, & exuperat reliquorum nomina uatum
Quotquot habent meritæ non ultima præmia laudis.
Huc ades ô summi dijs acceptißime cœli
Digne sed in terris fato meliore morari,
Atq; hæc legitimi dum sancis fœdera lecti
Quæ tibi flauentes resonamus ad Albidos undas
Carmina, non aliquo prius hic audita susurro,
Gratantes nat æq; tuæ generoq; Sabino
Accipe, sincerum non auersatus honorem.

## CALLIOPE.

O annis iuuenis fortis & integer
Fœlix ingenij dotibus, & potens,
Dulcis cura ducum, nobilium fauor,
Virtutumq́; Sabine & decus & uigor.
Qui non exiguum iure tenes locum,
Vates præcipuos inter & optimos,
Quos nostro pariunt sydera seculo.
Cuius Theutonici carmine Cæsares
Orbis nunc iterum regna per ultimi
Victores, hæderas inueniunt suas.
Quem sub Parrhasiæ sydere uirginis
Tellus diues opum, Martigenis potens,
Tollit tergeminis Marchia laudibus,
Cui Nympharum alacres cum Satyris chori
Iampridem ingenij præmia deferunt
Lauros, ac hæderas, sertaq́; florea.
Qua ripas gracili tectus arundine
Hauelus patriæ rura rigat tuæ,
Te factus reliquis uate celebrior.
Qua spumat rapidis Odera fluctibus,
Francfurti celebrem præteriens Scholam.
Hoc credas superum non sine numine
Sed fati fieri legibus, ut tuo
Iungatur thalamo nata Melanchthonis
Quem uatum celebrat nulla satis Chelys
Vobis lanificæ fila neant Deæ

Disrumpi

Disrumpi innumeris nescia seculis.
Vobis diuitias & decus augeat
Mundi mobilibus Diua potens rotis.
Et uos unanimis iungat amor duos,
Dulces sufficiens legitimi thori
Natos, perpetui pignora fœderis.

## CLIO.

ET tu conspicui decus pudoris,
Formosæ genitrix pudica nuptæ,
Matronis alijs parentibusq;
Tanto prosperior, beatiorq;,
Quantum præstiterit tuus maritus
Quotquot sunt facile omnibus maritis
Vita, moribus, eruditione.
Qua te laude feram, sacrum iugalis
Exemplum fidei, fuisse qualem
Castam Sulpitiam probat uetustas
Vxoremq; prioris Africani.
En iam tempus adest ut annuentes
Natam Laurigero tuam Sabino
Materna prece consecres ad aras.
Adsis læticiæ celebriori
Harum quam decet esse nuptiarum
Et sanci genitrix tuæ puellæ
Tædas auspicijs tuis iugales,
Sic seros uideas senex nepotes,

*Seri & te uideant senem nepotes,*
*Et soluant tibi gratias perennes,*
*Et claudant oculos mori uolenti,*
*Ipsi Nestoreæ pares senectæ.*

## THALIA.

*QVale te syluis Helicon sonoris*
*Audijt nuper mihi personantem,*
*Albis ad ripas age tale redde*
*Barbite carmen.*
*Ede concentus fidium canoros,*
*Nos nouem quales deceant sorores,*
*Dum nouæ grator noua pacta nuptæ*
*Fœdera lecti.*
*Inter ô cunctas dominans puellas*
*Gratia, lingua, facie, pudore:*
*O decus, docto patre nata uirgo*
*Anna Philippo.*
*Cuius à forma uolucer Cupido*
*Dulcis accendit faculas amoris,*
*Mille comburens rapidis procorum*
*Pectora flammis.*
*Cui suam donat Venus alma cæston,*
*Cui mouent blandas Charites choreas,*
*Cui loco cedit iaculans in altis*
*Delia syluis.*
*Cui suas ponunt Satyri corollas,*

Et ca-

Et canunt formæ dominantis hymnos,
Dum sub ægroto capiunt edaces
Pectore flammas.
I, subi docti thalamum mariti,
Sic potens certi iubet ordo fati,
Vatis assuescas age nunc uocari
Anna Sabini.
Sera sic uobis ueniat senectus
Nestoris qualis fuit aut Sybillæ,
Multa quæ uobis numeret beati
Pignora lecti.

## EVTERPE.

ERgo ades Albiacæ cultor quicunq; frequentas
Docta Lycea Scholæ.
Cui caput ingenuas cordi est efferre per artes,
Quem pia fama mouet,
Quisquis es ingratis animum te affligere curis
Non sinit ista dies.
Cur ita? sunt docto sua gaudia digna Philippo
Non sine teste coli.
Quo gaudente etiam gaudet natura, dolente
Hæc quoq; mœsta dolet,
Quo sine quid possunt uestræ præstare palestræ
Dignum Helycone satis?
Talem igitur genero socerum gratare Sabino
Dijs genitum superis.

Et talem ſocero generum gratare Philippo
Dulce decus Clarij.
Sic decet, & dignum eſt, ſic uates poſcit uterq;
Dignus honore coli.

## ERATO.

VEnus creatrix gentium,
Dulcis uoluptas coniugum,
Et dulce amoris uinculum,
Terræ potens & ſyderum.
Seu te Gnydos tenet tua,
Seu forte agris in Thracijs
Martem tuo foues ſinu:
Ades pijs his nuptijs.
Non eſt tibi uis neſcia
Potentis efficaciæ,
Fruſtra focos nec ad tuos
Priſci ſacrarunt uictimas.
Tibi namq; ſoluit gratias
Si qua eſt parens fœcundior,
Tuoſq; nutus inuocat
Si qua eſſe mater non poteſt.
Nequicquam amoris uinculo
Duos hymen conſtrinxerit,
Ni dulce tu iuues opus,
Naſcuntur unde liberi.
En coniuges iacent noui
Iam mutuos iuncti ſinus

Stratisq; operti mollibus
Vires uocant ambo tuas,
Hos cæsto amoris inuicem
Sic necte, sic constringito,
Vt una mens fiant duo,
Semper uolens, uolens idem.
Sic regna prouehas tua
Sed castius quàm nunc facis,
Qua sol dator lucis uenit,
Et nocte qua claudit diem.

## POLYMNIA.

Magne coniugij Deus
Coniugator amantium,
Dulce Cyprigenæ genus,
Dexter huc Hymenæe ades
Dexter huc Hymenæe.
Cinge floribus aureas
Myrthi odoriferæ comas,
En tibi uacat hæc dies.
Dexter huc Hymenæe ades
Dexter huc Hymenæe.
Nuptiale refer melos,
Et faces quate flammeas,
Signa coniugij noui.
Dexter huc Hymenæe ades
Dexter huc Hymenæe.

Namq; te ſine nuptias
Eſſe non aliquas ratas
Credimus, Thalamos enim
Prorſus abnuimus, tuæ
Sanctionis egentes.
Tu feros iuuenes domas,
Tu uetas coitus uagos,
Tu pater celebrem ſacra
Lege coniugij modum
Primus inſtituiſti.
Si fuiſſet amantibus
Pyramo & ſociæ, tua
Non ſiniſtra potentia,
Non doleret amans duos
Vno ab enſe peremptos.
Te uocant precibus pijs
Vna mens duo pectora
Et Sabinus, & auſpice
Anna numine iam tuo,
Conſecranda marito.
Huic age ergo puellulæ
Flammeo caput obtege,
Quod pudoris & integri
Signa coniugij bona
Tempore arguat omni.
Serta ſic tibi florea
Nectat Albiadum chorus,
Et canat tua præmia

Dum

ADOPTIVVS.

*Dum nigra Oceani uada*
*Flauus influet Albis.*

## MELPOMENE.

*ADeſte pulchra maximi proles Iouis*
*Reginæ amoris Gratiæ.*
*Quas matris editas ab Eurynomes ſinu*
*Teſtatur unda Tethyos.*
*Pudica quas habet Venus pediſſeqnas,*
*Quas impudica deuouet.*
*Suaues amicorum duces affectuum,*
*Pacis parentes candidæ.*
*Piæ miniſtræ publicæ potentiæ.*
*Legumq; habenæ & urbium.*
*Adeſte ſi quid arctioris fœderis*
*Nos inter eſt, ut eſt quidem,*
*Vacate quæſo à fontibus Bœotiæ,*
*Heræq; adeſte Cypriæ,*
*Dum ſeruiens duobus hic amantibus*
*Dulces adornat nuptias,*
*Et collocans uno duos ponit toro,*
*Nectitq; amoris cingulo.*
*Veſtrum hic opus, nil præter hic quàm gaudium,*
*Luſusq; amoris & ioci.*
*Vincite mutua duos concordia,*
*Vt una mens fiant duo.*
*Vt multa procreent beati pignora*
*Fœlicis ambo lectuli.*

## TERPSICHORE.

Sic te Diua potens Sami
Aris Niliaco thure calentibus,
Et Sparthæ, & Rhodus, & Samos
Ritu quo deceat, perpetuo colant.
Sic & coniugij fidem
Et seruet thalami fœdera Iupiter.
Et nunquam illiciti, ut solet,
Affectet petulans illecebras tori.
Nec posthac fieri uelit
Aut mentitus olor dißimulans Deum.
Aut uirgo simulans Deam.
Aut fallax aries, aut rigor aureus.
Huc huc Iuno ades & tuis
Has sanci auspicijs pronuba nuptias.
Serues incolumem precor
Tam dignam placido sydere coniugem,
Vt fulta auxilio tuo
Asuescat parere, & reddere debitam
Consorti sobolem suo.
Immunisq; mali, atq; integra uirium
Fœlix coniuge cum suo
Longæui senium Nestoris impleat.

## VRANIE.

Aonios inter iuuenis celeberrime uates
Nobis quo charius nihil Marchio clara tulit,

Qui

Qui dictante facis doctißima carmina Phœbo
    Quocunq; mundi triplicis digna sub axe legi.
Et tu natura blande arridentis imago
    Anna omnibus quam præferat, gratia, forma, pudor,
Cuius & ex oculis accendit tela Cupido
    Cui seruientes Gratiæ carmina blanda canunt.
Fœlices animæ, uel supra uota beati
    Si quid peritæ syderum creditis ambo deæ.
Si quid habent, ut habent, cœlestia sydera ueri,
    Promissa uobis est Deæ stantis in orbe fides.
Iampridem unanimi concordes fœdere Parcæ
    Vobis neunt durabili candida pensa colo.
Hæc ego uaticinor taciti Dea conscia fati
    Hæc annuit septemplicis machina tota poli.
Viuite concordes fidi sub fœdere lecti,
    In uos uenena zoilus nullus amara uomat.
Viuere sic sola est fœlix atq; aurea uita
    Qua nil beatius uagans Lunaq; Solq; uidet.
HAec sunt, si memini, Phœbo dictante locutæ
    Aonides tali uerba tenore Deæ.
Quæ mandata breui paucis pro tempore chartis
    Iudicio mitto docte Sabine tuo.
Accipe quæ uestras utcunq; ornantia tædas
    Concinit Aonidum carmina blanda chorus.
Non leuis hæc aliqua uelauit imagine fucus
    Non aliqua his falsi forma coloris inest.
Arctior ut nostri coniunctio fœderis esset,
    Hæc tibi non fictus scribere iußit amor.

Gratulor

Gratulor ergo tibi fœlicem Hymenæa Sabine
Coniugioq; precor prospera fata tuo.
Affluat ambobus largis fortuna quadrigis,
Perstet & ad uotum certa tenaxq; tuum.
Vos inter superi faciant rata fœdera Diui
Lucis ad extremum non soluenda diem.
Vos sacra non dubio conseruet amore Dione,
Prouehat & uestrum pronuba Iuno torum.
Illa suos tecum claudat fœliciter annos
Legitimi custos Anna pudica tori.
Qualis erat uindex Lucretia casta pudoris
Inuito nondum pectore passa scelus,
Et quæ fumantes auido bibit ore fauillas
Coniugis æternum Portia fida decus.
Talis in amplexus patre nata Melanthone uirgo
Sed fato ueniat dexteriore tuos.
Edite securi fœlicia pignora lecti,
Vt uestra crescat prole beata domus.
Ista Deo grata est sociæ coniunctio uitæ,
Vt sint legitimi fœdera certa tori.
Heu nimium facilis qui uincla iugalia temnis,
Vincula si nescis, hæc iubet esse Deus.
Quod Deus instituit non est contemnere tutum
Exitium est huius non timuisse minas.
Huic, ubi de prima fabricasset origine mundum,
Hoc opus ut faceret cura secunda fuit.
Ver erat, & teneri florebat gratia mundi,
Vernabatq; recens undiq; in orbe decor.

Tum

Tum primum zephyri spirabant mollibus auris,
Tunc aliquid factum est quod fuit ante nihil.
Aethere ridebat facies noua Solis ab alto,
Ornabantq; nouum sydera clara polum.
Quæ fuerat non ante, suos spirabat odores
Extendens teneras arbor opaca comas.
Vndiq; odorato ridebant germine flores,
Gaudebatq; suis iam Deus ipse bonis.
In fluuijs pisces, uolucris ludebat in auris,
Et pecus in uiridi luxuriabat humo.
Deerat adhuc animal præstantius omnibus illis
Quod Deus ad faciem condidit ipse suam.
Natus homo est, sed enim non hic suffecerit orbi
Solus, ni socio iunctus amore foret.
Hoc sensit sapiens diuini cura parentis
Auxiliumq; tibi mox faciemus, ait,
Exeruitq; uiro costam, mirabile dictu,
Materia illa tui corporis Eua fuit.
Viuite, & ananimi duo sitis corpora mente,
Perq; suas crescant gaudia uestra uices.
Dixit, at hinc auxit sobolis generatio mundum,
Hinc sua nunc paßim spicula mittit amor.
Ferreus est, durasq; gerit sub pectore cautes,
In quem non aliquis spicula torsit amor.
Quid iuuat artifici cælata toreumata dextra
Et premere indigno uermiculata pede?
Quid prodest ueterum pictos ostendere fastus,
Et generis longum stemma referre tui?

Multa fatigatis quid uertere iugera tauris,
Et pecori numerum uix posuisse suum?
Quid prosunt gēmæ, quid lucida concha, quid aurū
Quæ niger Eoo littore mittit Arabs?
Horum, si desit, cui tecum suppetat usus
Vxor sub socia conditione comes.
Ergo alium grauibus iuuet impallescere curis
Auri cui sedeat pectore sacra fames,
Diuitijs inhient quos urget auara cupido,
Me tener æternum molliter urat amor.
Vrat amor, sed castus amor, te qualis & Annam
Vltra legitimum non sinit ire modum.
Non ego me summis æquari regibus optem
Dum liceat casta coniuge posse frui.
Sint alijs Pario suffultæ marmore sedes,
Mi sat erit parua uiuere posse casa.
Quam uitreus gelida circumdet flumine riuus,
Et uiridem placido murmure pulset humum.
Sit breuis, & domino qui credita reddat agellus,
Ille mihi campi diuitis instar erit.
Dum modo sit simplex sed non male rustica coniunx
Quæ me non dubiæ fœdere mentis amet.
Tyndarides alius medijs imploret in undis
Et uitam dubijs uendat auarus aquis,
Me iuuet in tuto uentos audire cubili,
Et sociam tepido sustinuisse sinu.
Aut reptare sacri per tesqua uirentia luci
Carminaq́; innocuæ condere mentis opus.

Hic

Hic mea cum sacris habeam commertia Musis,
Totius immensas nil moror orbis opes.
Casta domi interea, quicquid Deus offerat ipse
Præparet arguto chara Phileta foco.
Sic me moroso secernant numina uulgo
Otia priuato sub lare tutus agam.
Tale genus uitæ mihi dextera fata ministrent
Hinc cupiam cineres uiuere posse meos.
Ergo uide quantum te fata Sabine bearint
Cui tali oblatum est commoditate frui.
Suauiolum roseis tibi quod ferat Anna labellis
Omnibus hoc regnis si sapis ante feras.
Viuite fœlices, ambo sic uiuere digni,
Et facili uestrum ferte labore iugum.
Dum licet, & locus est, dulci indulgete iuuentæ,
Tempus abit, nec quæ præterit, hora redit.
Et faciem, & uires, anni populantur euntes,
Qui sapit, huic nullum tempus agatur iners.
Nulla Venus tanti est quæ non uicietur ab annis,
Debile forma bonum ceu rosa uerna perit.
Ludite, quos Phœbo superisq; ita ludere uisum est,
Numinibusq; tribus, numinibusq; nouem.
Viue gener magni facunde Sabine Philippi,
Te maneat Pylij iusta senecta ducis.
Viue toro uatis consors facta Anna Sabini,
Aurea Cumææ secula uatis agas.
Viuite concordi iunctißima pectora lecto
Vestra mori nullo tempore fama potest.

## AD GEORGIVM SABINVM ex Borußia in Saxoniam abeuntem Felicis Fidleri propempticon.

ERgo nouenarum decus immortale ſororum,
O & præſidium dulce Sabine meum,
Ergo profecturus, qua uoluitur Albis, ad oras:
Culta Borußiaci deſeris arua ſoli?
Nec uetat à noſtra diſcedere longius urbe
Hæc Schola? quæ primum te duce cœpit iter.
Nec tibi ſunt curæ, qui te didicere magiſtro
Pierio ſacram fonte leuare ſitim?
Nec metuis, brumæ gelida conterritus aura,
Intempeſtiuæ tædia dura uiæ?
Aſpice quæ cœli facies, non inde recedis
Tempore propoſito conueniente tuo,
Africus inſano commixtus turbine uentus
In terram largas præcipitauit aquas,
Commaduere uiæ pluuijs, nymboſus & imber
Fluminibus liquidis mollia rura tegit.
Vix etiam, ſic ſtrata iacent turbata uiarum,
Cernitur in uaſto ſemita uera luto.
Adde quòd indomiti nondum fera bella Gradiui
Illic, quo properas, conticuiſſe ferunt.
Tu tamen ire paras, ſobolemq; per inuia tecum
Compita, ſub Martis ſigna cruenta uehis,
Dic mihi ne fiant ſcelerati præda latronis,
Quo pacto ceptum continuabis iter?

Si te

Si te bellorum nil sæua pericula terrent,
Siq; tibi nolis parcere, parce tuis.
O pueri caro date basia grata parenti,
Vtq; suæ maneat, quiq; rogate, domi,
Istud iter uobis non conuenit, horrida sæuit
Aura procellosis humida facta notis,
Nondum ferre graues didicistis frigoris æstus,
Corporibus teneris uentus & aura nocent.
Si tamen ad sedes hinc ire uoletis auitas,
Hoc fieri cœlo commodiore potest.
Nunc quoq;, si nescitis, adhuc fera bella geruntur
In quo uos miseros uult pater esse loco.
Vos retinete patrem quoniam retinere potestis,
Instituit uestro nomine iussus iter,
Ni uos Leucoream secum deducat ad urbem
Propositam malit deseruisse uiam,
Anna tuas ora paruo cum fratre sorores
Inueniant causas quo minus ire uelint.
Dicite, care pater, non possumus esse quod optas
Pondera tam duræ qualiacunq; uiæ,
Et facile inuenies quibus ille mouebitur artes,
Docta foues animo dona paterna tuo.
Et discessuro blandire Sabina parenti:
Martha tuas uerbis, si potes, adde preces.
At uos absentis tangit pia cura sororis,
Neue suam uitam salua, timetis, agat,
Vestra soror Catharina ualet, deponite curas,
In gremio cari nempe fouetur aui.

Tu quoq; qui nondum cunas Alberte relinquis,
Effice ne ceptum conficiatur iter,
Aspera lædit hyems robustis corpora neruis,
Tu puer incolumis frigora dura feres?
Parue puer sæua brumæ læderis ab aura,
Forsitan ad nostros uix rediturus agros.
Nondum care manes, proprijsq; pericula natis
Extruis, & uitæ cura molesta tuæ est?
Care Sabine mane, nostraq; moratus in urbe
Temporis expecta commodioris iter.
Sed quid inutilibus consumo tempora uerbis?
Effectum superi, quod uoluere, iubent.
Quid? nisi stultitia est aduersis cedere fatis
Nolle, & cum magnis bella mouere Deis?
Disce pati, casusq; graues euince ferendo,
Non aliter ludi sors inimica potest.
Fata regunt homines, his care Sabine coactus
Tam graue cum natis ingredieris iter.
Quando igitur fatis cogentibus inde recedis,
Et desiderij uana querela mei est:
Quid superest, nisi fausta tibi de more precemur?
In patrium poßis sospes ut ire solum.
Vade bonis auibus, ueteres uisurus amicos,
Quos tibi Thesæo pectore iunxit amor.
Di faciant, soceri cum docta Melanthonis ora
Conspicies, uideat saluus uterq; suos.
Huic uarios forsan narrare iubeberis actus,
Deq; statu nostræ multa loquere Scholæ,

Siq; roget, quibus hic Helicon habitetur alumnis,
Quæue sodalitio dedita turba tuo est:
Cum referes illi cuiuslibet ordine nomen,
Felicem reliquis annumerare uelis,
Forsitan ad nomen Felicis plura requiret,
Quodq; tibi de me dicere poßit, erit.
Ille meam facili quondam tulit aure Thaliam,
Cum colerem Albiacæ docta Lycea Scholæ,
Et solitus limam iuuenilibus addere scriptis
Insignis studij dux fuit ille mei.
Vade, nec arma feri metuas inuisa latronis,
Cinctus Apollineo numine tutus eris.
Aeole claude notos, uentosq; reconde furentes,
Spiret ab Eoa lenior aura plaga,
Vos quoq; Pierides uestrum deducite uatem,
Integra quo saluo gloria uestra manet.
I felix, & habe nostri monimenta doloris,
Vtq; queas felix ire, Sabine uale.

## DE EIVSDEM REDITV, Carmen gratulatorium scriptum à Felice Fidlero.

QVando Borußiacis à finibus ire Sabinus
Et patrij uoluit rura uidere soli,
Cumq; uiæ certus mœstis loqueretur amicis,
Tristeq; pallenti diceret ore uale;
Lucida complebit cum bis sua cornua Phœbe,
Rursus in his terræ finibus, inquit, ero.

Cornibus impleuit iam bis crescentibus orbem
 Vecta uolubilibus menstrua Luna rotis,
Ex quo Prußiaca digressus ab urbe Sabinus
 Vidit arenosi Marchica rura soli.
Nec tamen inde redit, tristesq; relinquit amicos,
 Qui dubitant faustos uiuat an ille dies,
Multa timent, causasq́; moræ mirantur, & optant
 Vt leuet aduentu tristia corda suo,
Fallor, an oblitus promißi fœdera pacti
 Mandauit rapidis uerba fidemq́; notis?
Quodq́; sit à caro semotus corpore cœtu,
 Mens ideo nostri non meminisse potest?
Di melius, fucus non conuenit iste Camœnis,
 Candidus in sacris uatibus extat amor.
Degeneres animos decet inconstantia linguæ,
 Hic seruat stabili fœdera pacta fide,
Aut ueniet, nostramq́; petet mox impiger urbem,
 Aut suberit iustæ maxima causa moræ.
Dum loquor, optatus reficit mihi nuncius aures,
 Atq́; refert grata uoce Sabinus adest,
Dumq́; rogo dubius uelit ut mihi uera fateri,
 Iuratus meruit per sacra uerba fidem,
Accipio calamos quibus exultantia dicam
 Gaudia, de reditu docte Sabine tuo.
Ergo quod incolumis natalibus hospes ab oris
 Redditus es, lætum turba nouena canit.
Dulichius patrijs errabat ab ædibus Heros
 Annorum spacio per loca uasta decem,

*Ipsa domi coniunx lachrymas absente marito*
*Fudit, in ingrato sola relicta toro,*
*Te sic Aonides fleuerunt, quando trahebas*
*Diuersa longas in regione moras.*
*Nec minus ingenuo tibi dedita turba fauore*
*Est desiderio languida facta tui,*
*Et me, qui fidis sum connumerandus amicis,*
*Cura tui multos torsit amara dies.*
*Musa mihi nullum dictauit amabile carmen,*
*Si quid in hoc scripsi tempore, triste fuit.*
*Scis bene Pierides non pectoris esse seueri,*
*Tristibus ingenijs Musa negabit opem,*
*Nunc quoq; de saluo reditu gaudere uolenti*
*Occurrunt animo tristia uerba meo.*
*Nec sunt exiguæ, quibus occupor undiq; causæ,*
*Impedit ingenium cura molesta meum.*
*Nauita felici quoties secat æquora uento,*
*Et uolat optato panda carina mari,*
*Lætus ouat, cantumq; leues modulatur in auras,*
*Nec sinit in tacita gaudia mente premi:*
*Me quoq; cantantem placida Neptunus in unda*
*Audijt, ut uentis uela secunda dedi,*
*Nunc ubi deserui uasti caua littora ponti,*
*Ac uehor in medijs pene relictus aquis:*
*Aeolus aduersis laxato carcere uentis*
*Carbasa quassatæ concutit uda ratis.*
*Diffugere procul quibus hæc autoribus ire*
*Coepit in immensum concaua cymba salum,*

Inde reluctantem Musam, uersusq; coactos
Temporis aduersi pro ratione, uides.
Non tamen à nobis adeo fortuna receßit,
Mersa sit insanis ut mea puppis aquis.
Sunt quibus est curæ, ualido qui remige portum
Monstrabunt pauidæ per uada cœca rati.
At qui desertam generose Sabine uolebat
Fluctibus è medijs ducere, primus eras.
Et facies, tumidi subsidunt æquoris æstus,
Aspice, sedatis motibus unda fluit.
Ipse ratem uideo pacata per æquora ferri,
Hic, nisi me fallunt omina, portus erit.
Gratulor hinc reduci, pectusq; resumo uirile,
Fortunæ cum sis anchora fida meæ.
Expectatus ades, promissaq; tempora seruas,
Ipse graui affectum meq; dolore leuas.
Languit hic animus, sed te præsente uigere
Cœpit, & ex magna parte dolore uacat.
Cum fueras absens, ut care Sabine ualeres,
Non semel ad Diuos uota precesq; tuli.
Sæpe requisiui, qua nunc regione moratur?
Et timui uitæ non metuenda tuæ.
Sæpe tibi cupido felix iter ore precatus
Hoc, inquam, seruent prospera fata caput.
Di faciant redeat, nostramq; reuersus in urbem
Exhilaret uultu pectora mœsta suo.
Vota placent superis, seruarunt fata Sabinum,
Et saluus faciem sistitur ante meam.

Musa

Musa metum posuit uestesq; dolentibus aptas:
Mæonij gaudet tota corona chori.
Qui crucis à patribus nomen deducit auitis
Gratatur reduci, docte Sabine, tibi.
Et frontem explicuit, cum te redijsse ferebant,
Brismannus, uerbi præcoq; duxq; sacri.
Quando tui aduentus Erhardo nuncia uenit
A sibi finitimis litera missa locis:
Gratia sit superis, sæuo quia tutus ab hoste
Hoc iter absoluit corpore saluus, ait,
Ipse Borußiacæ Princeps clarißimus oræ
(O Princeps populi Duxq; Paterq; tui)
Dicitur, ut fueras nostram uenturus in urbem
Dulcia de reditu signa dedisse tuo.
Hæc mea Musa dedit tibi docte Sabine reuerso,
Et sua, quo potuit, gaudia teste probat.
Vtq; minus iustum dictandi tempus habebat,
Sic rogat, hæc æqui consuluisse uelis.

## AD GEORGIVM SABInum ex Germania reuersum Valerius Fidlerus.

IAMNE meus uates ad nos redijsse Sabinus
Dicitur? o animo nuncia grata meo.
An tandem superi nostro sunt carmine uicti?
Hos lætor precibus succubuisse meis.
Quid cesso dextram charæ mihi iungere dextræ?
Ad reducis notos protinus ibo lares.

Vidimus incolumem, superis sit gratia, uatem.
    Amplius hoc saluo nil mea uota petunt.
O bene quòd sospes nostra spectaris in urbe
    Altera pars animæ chare Sabine meæ.
Ocyus es nostra cur non tellure receptus,
    Absentem tantæ quæ tenuere moræ?
Non hoc pacta fides, non hoc promissa uolebant,
    Vox mea sollicito cum daret ore uale.
His bene te memini nostrum lenire dolorem,
    Pectore quæ semper fixa fuere meo.
Hac ego, uix binos ubi Cynthia fecerit orbes,
    Auxiliaturo sistar in urbe Deo.
At bis completis apparuit orbibus, & iam
    Lumina de Phœbo uix habet ulla suo.
Tempore cur tanto me passus uiuere solum?
    Vita per hos menses omnis acerba fuit.
Et augusta domus, sacrisq; dicata Camœnis,
    Palladis attingens limine templa suo.
Pregela iucundo uestitus gramine ripas
    Leniter humentes hanc prope uoluit aquas.
Pons stat in opposito fulcris porrectus in urbem,
    Hæc in Marchiacos te uia duxit agros.
Non tamen extructo domus est contermina ponti,
    Separat à tectis fluminis unda uiam.
Hinc ego spectabam tristis, si forte uenires,
    Hac discedebas, hac rediturus eras.
Iunctaq; iam fuerat fratri bis Cynthia Phœbo,
    Regius ex quo non mons tibi uisus erat.

Tristia

Tristia tum complens lugubribus ora querelis
 Deprecor inuisæ tædia longa moræ.
Quando tuos repetes dilecte Sabine penates,
 Exhilarans reditu pectora nostra tuo?
Cur non, ut decuit, respondent tempora pactis?
 Non mihi seruatam conqueror esse fidem.
Ad superos tandem confugi carmine supplex,
 Illi te precibus restituere meis.
Num te magnarum tardarunt pondera rerum?
 Num te difficiles impediere uiæ?
Forsitan es soceri detentus ab ore Philippi,
 Forsitan es patrij tactus amore soli.
Desino quærendis consumere tempora causis,
 Finibus in nostris dummodo saluus ades.
Hanc prius in lachrymis uitam luctuq; trahebam,
 Nunc mihi mens hilaris te redeunte redit.
Si meus hac alio migraret ab urbe Sabinus,
 Nulla dies nobis hoc sine grata foret.
Hic quis me teneat? non te comitatus euntem
 Perfruerer uitæ commoditate tuæ?
Plurima tu præbes animo solatia nostro,
 Sæpe tuam tristis sors mea sensit opem.
Tu mihi uiue diu, siquidem tu uiuere dignus,
 Multa tuo faciam nomine uota Deo.
Quicquid agis sincerus agis, nec fallere nosti,
 Consulis occulta tu sine fraude tuis.
Totus es humanus (cur non tibi uera fatere r)
 Nec tua uentosus pectora fastus agit.

Hinc quotquot fausto sectantur Apolline Musas
Præ reliquis uatem te coluere suum,
Absentemq; procul mœsto sunt carmine questi,
Inter quos & ego pars aliquanta fui.
Ergo diu uiuat toto meus orbe Sabinus,
Perpetuus tanti uatis alumnus ero.

## AD GEORGIVM SABI-num de morte Petri Bembi Alexander Such-tenus.

ECquid ut audisti Petri de funere Bembi,
Cor tibi propterea triste Sabine fuit?
Et te credibile est sacros lacerasse capillos,
Et nihil attonitum tunc potuisse loqui.
At non dißimulas, & te fecisse fateris,
Facturusq; mihi uisus es esse diu.
Mollicies sacros non dedecet ista poëtas,
Quos studium tales, quod coluere, facit.
Turba sumus mitis, lachrymisq; obnoxia uates,
Cum quid amicorum flebile rebus inest.
Occidit Ausoniæ Bembus facundia linguæ,
Bembus amicorum qui tibi summus erat.
Huius habes similes ueris in imagine uultus,
Perpetuum uestræ pignus amicitiæ.
Hos quoties spectas, non ut spectare solebas,
Obluitur lachrymis picta tabella tuis.

Ergo

Ergo nihil læti nerunt tibi fila sororum,
Fila nimis docto perniciosa choro.
Parcere diuinis nescit fortuna poëtis,
Hos uult arbitrio sed quoq; stare suo.
Ante suos annos media florente iuuenta,
Dimidium uitæ concidit Anna tuæ.
Ille dolor multos tibi sufficiebat in annos,
Vulneribusq; nouis non agitandus eras.
Sed quia sic rerum statuit suprema uoluntas,
Sic illam uanum est constituisse queri.
Fata pati maior laus est quam fata dolere,
Vt doleas quid te post doluisse iuuat?
Fortiter ergo feras quicquid mutabile non est,
Nos memores nostri nominis esse decet.
Ille tamen fuerat luctu dignißimus omni,
Horum, qui sacræ Phocidos arua colunt.
Ergo tuas reprimam lachrymas? ah possumus omnes
Fortia in alterius uerba dolore loqui.
Causa grauis te flere facit, tibi iunctior illo,
Italus Ausonio nullus in orbe fuit.
Ipse Lycaoniam longe submotus ad Arcton,
Quo potes extincti nomen honore colis:
Solus & extremi facis hoc in finibus orbis,
Namq; tibi soli cognitus ille fuit.
At quod in Ausonia sublati funera Bembi
Vberibus lachrymis semianimesq; gemunt?
Et decet, & meruit, iuuenes lugete senesq;
Gloria Romani concidit eloquij.

Tullius

Tullius ante sua fuerat quod Marcus in urbe,
Hoc Venetus nostro tempore Bembus erat.
Et non in toto facundior extitit orbe,
Et, nisi me fallunt omnia, nullus erit.
Purpureum Romæ meruit uirtute galerum,
Et poterat princeps ordinis esse sui.
Et decet, & meruit iuuenes lugete senesq;
Hoc iacet extincto Pontificale decus.
Turpe sit, esse aliquem gelida sub Parrhasis Arcto
Qui doleat, siccas uos & habere genas.
At uos uestra docent certe monumenta dolere,
Auxeruntq; suas Tybris & Arnus aquas.
Nec tamen hi soli lugent, lugemus & ipsi,
A Latio positos quos procul orbis habet.
Ipse ego cum fueram certus de funere Bembi,
Pallidus, & longo tempore tristis eram.
Nam quoq; speraui quondam te Bembe uidere,
Sed quam, me miserum, spes ea uana fuit.
Ergo consortem me docte Sabine doloris
Hic, ubi spectatur Mænalis Arctos, habes.
Quodq; tibi scripsi me Bembi morte dolere
Ista mei luctus littera testis erit.

## DE PEGASO EQVO AVRORAE, & Georgio Sabino Brandeburgense, Petrus Lotichius.

ADmonitrix operum tenebris aurora fugatis
Vecta Meduseo præpete mane rubet.

Hunc

Hunc prior alati pedis ictibus edidit ætas
 Fontis equum uenas elicuisse noui.
Virgineas Helicon laurus ubi, præmia uatum
 Educat, Aonius templaq; cœtus habet.
Pandite Pegasides, cur huius origo liquoris
 Dicitur Auroræ Pegasus ales equus?
Tempus (ait Clio) matris sub Memnonis ortum
 Aonijs gratum uatibus esse solet.
Tunc uigor intus agit maior, tunc pectora cœlo
 Ingenijs prima luce fauente, calent.
Inde fluunt sacri latices, studioq; perennes
 Fons matutino fundit apertus aquas.
Cur tamen acer equus radiantibus additus astris
 Et quæ fodit aquas ungula, clara micat?
Conspicui fulgent (dixit dea) syderis instar
 Ingeniosa mori quos monumenta uetant.
Vatis at in clypeo cur nunc uolat ille Sabini?
 Sic ego, sic Clio protinus orsa loqui.
Pegasus ut cunctis pernicibus ocyor alis,
 Impariter iunctis sic prior ille modis.

## IDEM AD GEORGIVM SABInum. De Patauij celebritate, & studijs suis.

TV licet in patria, post bella grauesq; labores,
 Mollia securis otia rebus agas.
Eloquioq; potens, & opum successibus auctus,
 Illustres scriptis Cæsaris acta tuis.

Et

Et Viadrus, riguos dum præterlabitur hortos,
Ad tua mirantes carmina sistat aquas.
Non tamen (ut credo) memori tibi corde tot annis
Excidit Euganei cura Sabine soli.
Sed desiderium superest, ueterumq; locorum
Dulcis adhuc oculis hæret imago tuis.
Et modo Medoacum, celeri modo puppe uideris
Adriacum solito carpere more fretum.
Nunc subeunt Aponi fumantes sulphure lymphæ
Inq; Antenoreis proxima templa iugis.
Et zephyro gaudens Arquatum molle salubri,
Quæq; rigat liquidis arua Pluicus aquis.
Adde tot egregias animas, tot candida uatum
Pectora, constanti quæ tibi mente uigent.
Iam tibi se Bembus, iam se Dijs proximus offert
Frastorius, Bembo par in honore suo.
Et cum Flaminio puri Naugerius oris,
Arbiter intactæ cultus uterq; lyræ.
Molsaq; præcinctus Myrtho, quem sede piorum,
Almus in exhausto nectare pascit amor.
Atq; alij, quibus hic olim comes ire solebas,
Aonas in montes, Castaliumq; nemus.
Forsan & hæc inter nostri tibi mutua cura est,
Quidq; sedens Veneto littore, quæris, agam.
Scilicet hic obitus rerum contemplor, & ortus,
Et quibus è causis ordine cuncta fluant.
Et disco, quidquid medicos mare gignit ad usus,
Quicquid & omnifero terra benigna sinu.

Sæpe

Sæpe iuuat Solem gelida uitare ſub umbra,
Multaq́; de plantis, arboribusq́; loqui.
At me præcipue fœlix delectat Hyacus,
Et Platanus, manibus conſita Bembe tuis.
Nam Platanum Bembus patriæ non immemor olim,
Tranſtulit è campis Sicelis Enna tuis.
Sæpè leui remo Venetas luſtrare paludes,
Sæpè libet totos ducere rure dies.
Solariq́; æſtus in gramine, ſicubi forſan
Laurus odoratas explicat alta comas.
Illic Arquatum, quacunq́; è rupe, ſaluto,
Et ueneror cineres culte Petrarcha tuos.
Tunc ſimul ad calidas Aponi deſcendimus undas,
Nec piget Aſphodelum ueſpere ferre domum.
Hinc traho (quam longa eſt) abeuntē carmine noctē,
Dum ſopor occluſas excubat ante fores.
Carminibus ſolor caſus patriæq́;, meoſq́;,
Abſtergens mœſta lumina ſæpe manu.
Sic mihi flos æui, ſic dulcis carpitur ætas,
Labitur, & tacito clam fugit illa pede.
Interea tamen inſtat Amor, nec pulſa receßit
Oßibus hæc peſtis perniciesq́; meis.
Nec ratio ualuit ſæuas euincere flammas,
In ſumma quamuis legerit arce locum.
Ergo ego ſuſtinui primo ſub flore iuuentæ
Horrida difficili tempore caſtra ſequi.
Oceani metas uidi, littuſq́; remotum,
Qua Lybiam noſtro ſeparat orbe fretum,

Mille fatigatus rerum discrimina uici,
Sæpe graues æstus, frigora sæpe tuli.
Vnius haud possum superare Cupidinis ignes,
Nec desiderijs fortior esse meis.
Ite procul Musæ, Lauriq; Hederæq; ualete,
Huttenus patriæ quas tulit ante meæ.
Carmina nil prosunt, non si mihi talia Phœbus
Præscribat moriens qualia cantat Olor.
Nec medicæ curant Aponi mea uulnera lymphæ,
Vlla nec Euganeis quæ uiret herba iugis.
Hæc satis est tenera Myrthi cecinisse sub umbra,
Desine nunc Erato plura, Sabine uale.

## IN PEGASVM GEORGII Sabini Iohannes Schosserus.

MArtia fœcundum quæ protulit ungula fontẽ,
Qua iuga Parnasus clara bicornis habet.
Hæc eadem gelidis uenam produxit in oris,
Mons Odoacrinæ qua tenet urbis opes.
Pegasus huc postq̃ ueloces transtulit alas,
A liquidis Viadri, quas habitabat, aquis:
Fluminis in sacrum conuersa est unda liquorem,
Regia quod largo mœnia fonte rigat.
Græcia dum regni deplorat mœsta ruinam,
Templaq; uirginei Mars Heliconis habet:
Gorgoneus nostris in finibus elicit ales,
Ora quibus uatum culta rigantur, aquas.

EPI.

EPITHALAMIVM DE NVptijs Georgij Sabini, & Annæ, filiæ Christophori Cromeri Regiomontani. Autore Felice Fidlero.

Cincte uolalitibus scelerate Cupido sagittis,
Qui genus obscœni turpe parentis habes,
Quiq; pudore cares, uetitoq; libidinis igni
Subijcis illicitas, matre iubente, faces:
Quæ tibi cum sancto res intercedit amore?
Ad pia cum non sis festa rogatus, abi,
Exerceq́; tuas uires, ubi noxia regnat
Mater, & est facibus perniciosa suis:
Turpiter impuros ibi torreat ignis amantes,
Vrit ut accensos Trinacris Aetna globos.
Hic sacra legitimi panguntur fœdera lecti:
Non facit ad castos improba flamma toros.
Sancte pudicitiæ custos, diuine Cupido
Ad pia coniugij festa rogatus, ades.
Tu monitore Deo flexos moderaberis arcus,
Tradita diuina sunt tibi tela manu.
Tu facis, ut socio cum iuncta puella marito est,
Castus in amborum pectore crescat amor.
Sancte Cupido ueni paucos subiture labores,
Hic tua non longum dextera præstet opus,
Sponte secuturus ducetur uterq;, nec acres
Est opus alterutri supposuisse faces.

Nec tantum, castos quia sis aucturus amores,
  Ad sacra coniugij concelebranda ueni:
Forsan & hic aliquid, quod te uidisse iuuabit,
  Quoq; tuas aures afficiemus, erit.
Prome fides, citharamq; puer, diuina canemus
  Pacta, maritalis sanctaq; iura tori.
Fœdus init sacrum uates hac luce Sabinus,
  Sponsa petit thalamos Anna puella nouos.
Res sacra coniugium: quid te diuina potestas
  Sanctius in terris quod statuisset erat?
Quando Deus cœlum, stellas elementa crearat,
  Et solidam medio disposuisset humum,
Inq; globi speciem totum formauerat orbem,
  Cunctaq; sub certa condita lege forent:
Mox ita subiectis dominantem rebus Adamum
  Dicitur ex uili composuisse luto.
Iam quid agat, solumne uirum sine coniuge fingat?
  Vir sine coniugio non bene uiuet, ait.
Nec mora, Somne ueni dixit, lentoq; sopore
  Membra quiescentis corripiantur Adæ.
Iussa facit Somnus, uirgaq; humectat Adami
  Tempora, Lethæis illa madebat aquis.
Mox quasi defessos altus sopor occupat artus,
  Clausaq; securus lumina torpor habet.
Iam ceruice caput nutat, casumq; minatur,
  Et caret officio pesq; manusq; suo.
Ponit humi corpus, prætensaq; bracchia mento
  Subdit, & ignauum reddit ab ore sonum.

Non

Non illum litui, non ſiſtra canora, tubæq;
  Commoueant: ſomno membra ſepulta iacent.
Tunc opifex coſtam lateri ſtertentis ademit,
  Carneq; ſuppleuit, ſumpſerat unde, locum,
Suſtinuitq; manu, dixitq; potentia uerba,
  Verba quibus mundi grande creauit opus.
Fit mulier, ſecumq; trahit ſpiracula uitæ,
  Cui nullam uidit poſtera turba parem,
Flaua comas, rubicunda genas, & amabilis ore,
  Quæ nihil in toto corpore turpe gerat.
Si ſpectes animum, nihil eſt præſtantius illo,
  Puraq; diuinæ ſemina mentis habet.
Interea Somnus, domino mandante, recedit,
  Excitus à mento bracchia ducit Adam,
Diſtenditq; pigros lento curuamine neruos,
  Et ſedet in uiridi ſemiſopitus humo.
Vt ſurgit, facieq; noua præſtante puellam
  Spectat: ab amplexu uix tenet ille manus,
Agnoſcitq; genus, uitæq; iuuamen: & inquit,
  Nuper an hæc noſtræ portio carnis erat?
Hæc de carne mea certe deſumpta uirago
  Dicetur thalami fida marita mei.
Grata deo pietas non deſeruiſſe parentes,
  Gratior, uxorem non repuliſſe ſuam.
Vna caro uir & uxor erunt, & ſorte fruentur
  Compare, ut exactam præſtet uterq; fidem.
Conditor his actis cœleſti numine rebus:
  Fertur eis ſacras impoſuiſſe manus,

Et dixisse: nouos ut germinat uua racemos,
Cultaq; formoso gramine uernat humus:
Vos ita fœcundis implete cubilia natis,
Duret ad extremos uestra propago dies.
Tanta creatori, post prima exordia mundi,
Fœdera coniugij pangere cura fuit.
Nec pepigit tantum, studio conseruat eodem:
Vultq; coli uera cum pietate torum.
Ipse sub humana specie, qui morte perempta
Traxit ab æterno corpora nostra chao,
Ipse Palestinis ut erat regionibus hospes,
Intrauitq; tuas Cana uetusta domos:
Esse sibi docuit socialia uincula curæ,
Iuuit & officio talia pacta suo,
Adiecitq; sacris munus laudabile tædis,
Vinaq; de liquidis dulcia fecit aquis.
Nunquid & istius nobis conuiua diei,
Humani generis Christe redemptor eris?
Non aberis certe, potior tibi nulla uoluptas,
Quam Patre quod fieri præcipiente uides,
Tuq;, Paterq; tuus, consolatorq; piorum
Hæc (scio) promissa festa iuuabit ope.
Et tu fæde puer, casti uiolator amoris,
Hic tua fax aliquid iuris habere potest?
Coniugij Deus autor adest, turbamq; prophanam
Inde iubet nocuos abstinuisse pedes.
At tu uirginei cum sis decus Anna pudoris,
Sponsaq; iam thalamos ingrediare nouos:

Quid

Quid facias nosti: uix te studiosior extat,
    Quæ relegit sacros ulla puella libros.
Scis bene, iungaris qua conditione marito,
    Scis, nil legitimo sanctius esse toro.
Hunc studiosa coles, & charo dedita sponso
    Mutua coniunctæ gaudia pacis ales.
Quamq; uir excipiet, sortem patieris eandem,
    Pars eris illius corporis, ille tui.
Quid magis humanum? quam si communia ducant
    Fata, quibus iuncti corporis una caro est,
Consortem reuerenter habe, caput ille maritæ
    Dicitur, & iusto debet honore coli.
Cur tamen hæc moneo? uiridantibus adfero pratis
    Gramen, & in rapidas congero flumen aquas:
Ipsa legis sacri quid agant oracula uerbi.
    Suspicor hic monitis non opus esse meis.
Te quoq; chara parens summæ pietatis amatrix
    Hæc, nisi legisses, admonitura fuit,
Si tamen ignoras quo coniuge nupta frueris:
    Pars tibi fortunæ cognita parua tuæ est.
Ille decus patriæ, quo Teutonis ora superbit,
    Cuius in extinctum gloria nomen habet,
Quē procul hinc positæ gentes mirantur, & optant,
    Ne sub hyperborea contumuletur humo,
Et qui Principibus meruit uirtute probari,
    Summus in imperio quos penes ordo fuit,
Quo consorte tori decus indelebile famæ
    Inuenies: thalamos hic petit Anna tuos,

*Quam multas credis, quod habes, optare puellas?*
*In quibus æterni nominis extat amor.*
*Non semel, ô tali felicem coniuge dicent,*
*Inuidiam secum uox tamen illa trahet.*
*Quo magis ad nutus tanti uixisse mariti*
*Te decet, & mores composuisse tuos.*
*Nec rude pectus habes, edocta parente cauebis,*
*Fiat ab offensa tristior ille tua.*
*Quos magis affirmes, generose Sabine, beatos,*
*Quam quibus est tali prædita nupta fide?*
*Quicquid in ingenua thalami consorte probatur*
*Hæc habet, ô tanto digna reperta uiro.*
*Mœstus eras, ut prima tibi decesserat uxor,*
*Et sonuit uitæ longa querela tuæ,*
*Inq; domo uidua te tristia signa gerentem*
*Ter circumductis Sol repetiuit equis.*
*Hoc deus ut uidit, similem tibi largiar, inquit:*
*Euentu sequitur res stabilita suo.*
*Nomen idem rediјt, facies cognata priori,*
*Hæc tibi diuina contigit uxor ope.*
*Huius eris dominus, non ut muliebria tentes*
*Corpora sub pedibus pressa ferire tuis:*
*Hæc decet immites uis imperiosa tyrannos,*
*Quos iuuat in proprium bella mouere latus.*
*Illa tui pars est, potes hanc odisse figuram?*
*Hanc quoq; seruari uult in honore deus.*
*Forsan ob id costam medio de corpore sumpsit,*
*Ne sit in abiecto fœmina spreta loco.*

Dum

Dum meditor, uersumq; breuem subnecto priori,
Ecce sonant celeri tympana pulsa manu,
Conuiuasq; uocant: quis me remoratur iturum?
Nunc ego me potero continuisse domi?
Et faciam uersus? & mens distracta uagetur?
Ad thalami propero festa, Sabine, tui.
Quanta puellarum sacram procedit ad ædem
Copia, quot iuuenes? uix numerare queas.
At lasciue puer, num te prius unde remoui?
O scelus, & iaculis insidiose tuis.
Aspice, ponè legit tardo uestigia passu:
Cui struis insidias? hinc fuge, crimen habes,
Hem formose caue iuuenis, tibi tela minatur,
Iam leuis accensa stridet arundo face,
Lentus es ah nimium, celeri male saucius arcu
Incustodito pectore uulnus habes.
Si tamen hic aliquid tibi dat uia publica iuris,
O scelus, ad templi limina siste gradum.
Sancte Pudor teneras obducte rubedine malas,
Cui premit ornatas candida uitta comas,
Tu uigilans templi custos, tu ianitor aulæ,
Coniugio sacer est hic locus, esse uelis.
Accedat Pietas, si non bene sufficis unus,
Vitabit castas, iussus abire, fores.
At ueniet summum cœlesti Numen ab arce,
Et secum comites ad pia festa uehet.
Tunc aperi posito clausas munimine portas,
Tunc pateat moto cardine tota domus,

Fausta precabuntur socialibus omina tædis,
Et uerbis addet munera quisq; suis.
Candida pax aderit, Concordia mitis, Amorq;
Sanctus, & his socio pectore iuncta Fides.
Quæq; iuuat grauidas utero Lucina puellas
Obsequio ueniet grata futura suo.
Di faciant adsint, & connubialia seruent
Gaudia, muneribus promoueantq; suis.
Vos socialis amor, uos mutua gratia firmet
O iungenda sacro corpora bina toro.
Reddite fœcundi communia pignora lecti,
Vt soboles uestræ sit numerosa domi,
Vos pia fata regant, uos nescia uita doloris,
Longaq; felici tempora sorte iuuent.

## ALIVD EPITHALAMION DE ijsdem nuptijs, Authore Dauide Milesio Nissæno.

Diua soporiferas quæ lumine discutis umbras,
Aethereiq; moues præuia Solis equos:
Ecquid agis? nondum nocturna silentia cantu
Rupit purpureæ nuncia lucis auis.
Tu tamen humentes super æquora scandis in auras,
Claraq; fulgenti sydera luce fugas.
Aut properas ueteris pertæsa cubile mariti,
Aut cupis hanc pulsa nocte iuuare diem.
Sed non odisti ueteris connubia lecti,
Alterius causa tam citò carpis iter.

Spectatura sacri properas noua gaudia uatis,
Tempora iam thalami festa Sabinus aget.
Cincta caput myrto, niueisq; inuecta columbis
Huc quoq; suscepit mater amoris iter.
Iam reserata tenet spaciosi limina cœli,
Quà patet obliquo cardine prima domus.
Cum Ioue Phœbe sacer positu consistis eodem,
Gorgoneus comitem se quoq; præbet equus.
Labere ueloci per nubila labere cursu
Pegase, nunc alis promoueare tuis:
Nunc meminisse uelis quo te dignatus honore,
Sacra tui fontis numina sponsus amet.
At tibi coniugium felix faustumq; precamur,
Et bene sit ceptis docte Sabine tuis.
Iam tandem ueteres animi dediscere luctus,
Et mala tristitiæ spernere iussa potes.
Tertia lugentem quæ te conspexerat æstas,
Est tibi lætitiæ caussa futura nouæ.
Nam uariata suis uicibus uelut omnia pergunt,
Sic subeunt certas tempora certa uices.
Ac uelut obscuro lampas Phœbeia cœlo
Quando sub aëria nube retenta latet:
Exerit auricomum tandem iubar, atq; serenum
Exornat radio splendidiore caput:
Sic ubi uenerunt optatæ tempora lucis,
Tristitiæ finem quæ statuere tuæ:
Exultans animis uates clarissime lætos
Quos tibi concedunt numina, sume dies.

Induito faciles gaudenti pectore uultus,
Exhilarent animum gaudia mille tuum.
Et uos ô uolucres curas diffundite uenti,
Ferte per extremas tristia cuncta plagas.
At iam solennes procul en longo ordine pompas
Ducit, & in medijs en Hymenæus adest.
O quales memorem cœtus, quo splendida luxu
Talia uix oculis agmina uisa meis?
En ut eat lepidis circumdata sponsa cateruis,
En ut eant faciles ære nitente chori.
Si propius spectas cultus uultusq; decoros,
Nympharum certè creditur esse genus.
Cui sensus meritò non talia spectra mouerent?
Durius hunc saxo pectus habere putem.
Sis hymenæe bonus, sint tædæ læta iugalis
Omina, sint socij fœdera fausta tori.
Hosq; dies læti mecum celebrate fauentes,
Omnes qui Musis dedita turba sumus.
Nam decet hæc nostro gratari gaudia uati,
Si modo quem grati nomen habere iuuat.
Tu quoq; Phœbe pater uatum, cui talia curæ,
Altior in media quando uehere die,
Cum propior nostris fundes tua lumina terris,
Quas uidet aduerso Caßiopea sinu,
Quæ dea uirginibus formæ placidißima nostris
Munera ab æthereis mittit in ora plagis:
Huc oculos (inquam) uultusq; referre serenos
Cultoresq; tuos exhilarare uelis.

At tua mox sponsi soror inuisura cubile
Approperat niueis Cynthia uecta rotis.
Vos quoq; Castaliæ lepidißima turba sorores,
Ad sacra coniugij gaudia ferte pedem.
Ferte animos hilares, noua carmina ferte Camœnæ,
Plectraq; cum citharis ferte sonora deæ.
Tuq; Erato leuibus choreis quæ iungis amores,
Officio fac sis non aliena tuo.
Iam dudum blandæ Charites uiridantia lauro
Mixtaq; cum myrto frondea serta parant.
Inter Hamadryadas pulcherrimus ora Cupido,
Iam puer hinc rixas, iam mouet inde iocos,
E calathis uiolas dum uertit & aurea paßim
Turbat & è sertis fila reuulsa trahit.
Vos & in occultis nemorum quæ uallibus æuum
Fallitis, huc faciles approperate deæ.
Numina uestra uoco Dryades properate puellæ
Cingite flauentes fronde uirente comas.
Non hic cornigeri celebrabunt orgia Fauni,
Nullaq; ductabit rustica turba choros.
Nec uestræ Satyri tendent sua retia formæ,
Cuncta sed ingenui plena pudoris erunt.
Et uos ad liquidos fontes quæ ducitis annos,
Quarum cum fama forma uenusta manet:
Vna omnes niueæ uos huc conferte Napeæ,
Ad pia non uacua festa uenite manu:
Sed sponso plenis date munera uestra canistris,
Florea diuersis dona parate modis.

Cana

*Cana papaueribus distinguite lilia rubris,*
*Mixtaq; purpureis alba ligustra rosis.*
*Iungite pubenti molles uiolas hyacintho,*
*Gaudentem duplici iungite flore crocum.*
*Et decus exculti non desit amaracus horti,*
*Nec florum quicquid mollia prata fouent.*
*Vos quoq; mulcentes uos Oceanitides auræ,*
*Regna quibus mundi peruia cuncta patent:*
*Aspirate leues Syriæ fragrantis odores,*
*Assyrius Cyprio certet honore uapor.*
*Copia cum nardo non cesset olentis amomi,*
*Spiret odorati quicquid Eous habet.*
*Iamq; procul cano glomerantur in æquore nymphæ*
*Cernitur in medijs fluctibus ire Tethis.*
*Nereides circum Panopæaq; Cymothoeq;,*
*Cum Pholoë claudunt flaua Thalia latus.*
*Intonat & concha Triton, Hymenæaq; cantat,*
*Sed chorus alternis subijcit ista modis:*
*Sis felix longa uates dignißime uita,*
*Sit bene coniugio magne Sabine tuo.*

## MORTVAE INFANTI FILIAE *Georgij Sabini, nepti Melanthonis,* Ioach. Camerarius.

Τοῦδε μικροῦ κεῖτ' ἀρτίτοκος παῖς ἠρίου ἐντός,
  Ρεῖ πόλιν ἧχ' ὀδίερας μαρχίδ' ἀμοιβόμενος.
Τὴν φραγκῶν καλέουσι πόρον, μουσῶν ἕδος ἱε-
  Σάξονος ἐν κόλπῳ τηλεθάοντι χθονός. (ρόν.
Τὴν δὲ μελαγχθονίη θυγατὴρ τέκε παῖδα ποτ'
  ὄντος ἐπ' ἐκφύλου δανοβίοιο ῥοαῖς. (ἀνδρός.
Οὗ κάρολος σφετέρης ποιήσας σύλλογον ἀρχῆς
  Ἦλθ' ἀπὸ ῥηνέων αὐτοκράτωρ ῥεέθρων.
Κεῖσ' ἄρα καὶ τόθ' ἅμ' ἕσπεθ' ἑῷ ἄρχοντι σαβῖνος
  Κὰμ τοῦ δ' οἴκ' ἄλοχος γείνατο παῖδα φίλη.
Γείνατο, μηδ' ἀπόνητο, πάρος δὲ νεογνὸν ἐκεῖνο
  Ἐκδήμου, τέκνον μοῖρα καθεῖλε πατρός.
Τῷ πρὶν δ' ἄγγελος ἦκε τεκούσης οἷο γυναικός,
  Ἦκε πρὶν βρέφεος σὺν δ' ἅμ' ἀπολλυμένου.
Φεῦ βροτέης ἀπατηλὰ τύχης καὶ νεύματ' ἄπιστα
  Ἧσπερ ὃ δῶκε μία χείρ, τόδ' ἀφεῖλ' ἑτέρη.

## DE CAESARIBVS A SABINO *descriptis*, Ioachimi Camerarij.

Οὐ μόνον ἆρα θεοῖς ὕμνησεν πρόσθεν ὁμοίους
  Ἄνδρας ἀφ' ἱμερτῆς χῖος ἀοιδὸς ὄπος.

Οὐ μόνον ἀνδραγάθημαῖ' ἐνὶ θηβαΐδος ἔργοις,
　Οὐ δέγε ναυτιλίῃ νηὸς ἰησονίης.
Ἀλλὰ τὸ ἡγεμόνων ἀρετὰς ἄεισε σαβῖνος,
　Γερμανῶν ῥώμης οἷς παρ' ἔγεντο κράτος.
Οὔνοματ' οὖν παρέγεντο, τὸ δ' αὖ ἱερεῦσιν ἀλη=
　Δούλευσεν σειραῖς δέσμια ἀεικελίης. (θὲς
Καὶ τόγε δὴ βασιλήων, ἄλλατε πολλὰ σαβῖνος
　Ἤεισεν γλυκερῷ καλλιόπης στόματι.

## VITI AMERBACHII.

Ἡμιθέους λαῶν τιμῆσαι δεῖ βασιλῆας,
　Οὕνεκα τοῖς κρατερὸς σκῆπτρα ἔδωκε θεός.
Δεῖ καὶ μουσάων τιμᾶν ἱερῆας ἀοιδοὺς,
　Οἵμας γὰρ γλυκερὰς τοὺς δ' ἐδίδαξε θεός.
Ἔξοχα δ' ὦ βασιλεῖς ὑμᾶς τιμῶσιν ἀοιδοί,
　Ἄδειν ἡρώων ὅττι φιλοῦσι κλέα.
Ταύτης οὖν χάριτος βουσιλεῦς ἀπαμείβετ' ἀοιδοὺς
　Οἳ καλῶν ἔργων ἐξέδοσαν καλ' ἔπη.

## EPITAPHIVM IOANNIS CA= *rionis, authore Matthia Illyrico.*

Ἥρπασε φεῦ ἡμῖν σ' ὦ κάριον ὦκα πρὸ μοίρας,
　Ἡ τάγε τῶν ἄστρων ἀμφιέπουσα θεά.

Τοῦνε

Τοὔνεκα σ' ἐσσομένων ἡμῖν βάσκηνε προφήτην,
Ἢ ὅτι ταρπῆναι σοι παρεόντι θέλε.
Νῦν ἄρα νιν παρεὼν τέρπεις σὺν πατέρι ἐρευνῶν,
Ἡμᾶς δ' αὖτε πόθος σεῦ ἀπεόντος ἔχει.

## EPITAPHIVM BARBARAE
*filiæ Georgij Sabini ſcriptum à Iohanne Cheſſelio.*

Αἲ αἲ τῆς κακόνυκτος, γὰρ ἀνδράσιν ὡς βραχὺς αἰών,
ὥστε τὸ ἀρτίτοκον πολλάκις εὐθὺ θανεῖν.
Ἠνίδε νῦν σκληρῷ θανάτου δεδμημένη ὕπνῳ.
Ἐνθάδε κοιμᾶται Βαρβάρα ὠκύμορος,
Βαρβάρα ὠκύμορος, τὴν μήτηρ τίκτε Σαβίνῳ,
Οὗ κλέος ἐκ μουσῶν γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει:
Ἐν θνητοῖσι κόρη μόνον ὀκτωήμορος ἔζη,
Αὐτίκα δὴ τύμβος τῆσδ' ἐκάλυψε δέμας,
Χυχὴ δὲ χριστοῖο ἰαύνετ' ἐν ἀγκαλίδεσσιν,
Ὥγε μέλει τυτθῶν πάντοτε νηπιαχῶν.
Καὶ τόδε κλαίουσιν παραμύθιον ἔστι γονεῦσιν,
Ὅττ' ἴσασιν ἔμεν καιρὸν ἀναστάσεως,
Δὴ τότε καὶ ζωῆς ἀναθοῖσιν ἐλεύσεθ' ἑορτὴ
Οὐρανίου. σύ τε χρίσθ' ἵλαθι, τήνδε δίδου.

FINIS.

# GEORGII SABINI EPISTOLARVM LIBER.

## GEORGIVS SABINVS ARNOLDO BVRENIO DUCIS MEGALBURGENSIS PRÆCEPTORI, S. P. D.

*Mitto tibi Arnolde doctißime, Elegiam ad Principem tuum ſcriptam, ac abs te pro noſtra coniunctione, & amicitia peto, ut illi munus exhibeas noſtro nomine, ac uerbis accurate ornes. Quanquàm enim uirtus illius merebatur maiora Encomia, tamen ſperaui non ingratam ei hanc ſignificationem iudicij noſtri de ipſius ingenio ac ſtudijs futuram eſſe. Si quid in carmine offendet, non tam me, quàm tempora accuſare conuenit. Sunt enim, ut uides, conterritæ muſæ hoc miſero fataliq; tumultu, qui omnium honeſtarum artium ſtudia debilitat. Etenim*

nim nimis quàm uerum est, quod inquit Ouidius:

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Sed si Principi tuo non displicebit munus nostrum, addet nobis animum ad hæc studia colenda: & multos alios nostri ordinis homines eriget in bonam spem, ut polliceri sibi ausint non defuturos esse principes qui suscipiant defensionem rei literariæ contra uulgi amentiam, quod uidetur in perniciem bonarum artium conspirasse. Quamuis autem abundet Princeps tuus alijs ornamentis bono Principe dignis tamen hæc laus non erit inferior cæteris, nec inter postremas numerabitur: si spretas hac tempestate camœnas respexerit, & pro uirili dederit operam ut literas conseruet. Nulla enim alio officio melius isti qui tenent Respublicas de rebus humanis mereri possunt. Itaq; publicam literarum causam, & nosipsos diligenter Principi tuo commendabis.

Vale

Anno M. D. XXX.

## GEORGIVS SABINVS ILLVstrißmo Principi Ioachimo II. Marchioni Brandenburgensi, S. P. D.

DEscripsi paucis uersibus Germanicos Cæsares, ut dißipatas historias nostrorum Principum in breue compendium contraherem. Nemo enim unus ullius Imperatoris integram historiam complexus est: credo, quod in Germania hi qui plurimum ingenio, iudicio, ac doctrina ualuerunt hactenus, impediti occupationibus non potuerunt ea, quæ gerebant, scribere. Interim, dum nemo perpetuam historiam conscribit, alius aliud annotauit, ne maximarum rerum memoria prorsus intercideret. Quare ex uarijs monumentis & seriem nostrorum Principum, & res gestas collegi, idq; non eò tantum feci libenter, quod arbitrabar libellum gratum fore nostris hominibus propter res patrias: Sed quia uere ita iudico, nostros Imperatores fere omnes sapientia, & magnitudine consilij atq; animi, pares fuisse laudatißimis principibus Græcis ac Romanis: iusticia uero, religione, & fide etiam superiores. Enituit enim uirtus eorum in maximis totius Europæ motibus, in dißidijs religionum componendis: in defendenda Italia atq; Germania aduersus barbarorum incursiones: in constituenda perpetua imperij forma, quibus in rebus apparet nullam eis artem defuisse

aut

aut domi aut foris regendæ Reipub. Quare facile se uindicare à conuicio barbariei uarietate & magnitudine rerum gestarum possunt. Neq; uero sine insigni uirtute in hanc nationem hoc Augustum imperij nomen inferre poterãt, quod in terris summum est, & cujus tutelæ præcipua pars orbis Christiani commendata est. Huius operis specimen tibi mitto clarißime Princeps: Nulli enim rectius putaui tantorum Heroum historias dedicari, quam tibi: non solum, quòd in his plæræq; res tuæ, ac maiorum tuorum domesticæ continentur: Sed etiam quia te pro tua sapientia sciebam in primis harum rerum magnitudinem intelligere, & commemoratione earum magnopere affici atq; delectari. Itaq; rogo, ut clementer hunc libellum accipias, quem nunc non edidi integrum, quodam studio declarandi mei terga te officij properans, nimium fortasse: sed tamen habeo quandam mei consilij rationem. Nam si hæc initia boni consules, addes mihi animum, non solum addendi cætera, sed etiam ut meliora efficiam tuo fauore excitatus.

Vale,

Anno M. D. XXXII.

GEORGIVS SABINVS
eidem Ioachimo II.
Marchioni,

S.P.D.

CVm uniuersa patria & tibi & Reipub. uictoriam & felicem reditum hoc tempore merito gratuletur, non potui me in communi omnium læticia continere, quin ego quoq; significationem aliquam mei cum erga te, tum ergo patriam studij ostenderem. Postquam enim quod uotis omnibus expetebant boni omnes, re præclare feliciterq; gesta aduersus Turcas, donis etiam militaribus à Carolo Augusto uirtutis causa ornatus, in patriam & incolumis, & parta immortali gloria, reuersus es: ita lætamur omnes, ut magnitudinem gaudij uix capere animi poßint. Primum enim quid accidere tibi gloriosius in hac ætate potuit, quàm ut in maximo huius Imperij periculo exercitum duceres. Deinde ut tantum consilij, ducum aliorum consensu, tibi tribueretur, ut cum celeritate summa opus esset, ad opprimendam magnam partem Turcici exercitus, quæ ferro igniq; fines Austriacos uastauerat, et multos mortales captos in miserrimam seruitutem abducebat, te potißimum deligerēt, cuius ductu atq; auspicijs res gereretur. Nec fefellit eos iudicium: Etenim non solū nullæ te uoluptates remoratæ sunt, sed ne quidem natu-

rali

rali desiderio cibi somniq; concessisti. Itaq; celeritate maxima consecutus hostes, fauces Noricarum Alpiũ, intra quas hostes se uelut intra uallum tenebant, undiq; obsedisti ac prouidisti, ne aut elabi, aut diu pugnam detrectare possent. Ac postquam ex suis latebris magna ui eruperunt, consilio & diligentia tua inclusos ac uictos, facile reliquus exercitus trucidauit. Eaq; in pugna cum fortiter ipse dimicasti, tum hoc quoq; seu prudentiæ, seu fœlicitatis tuæ fuit, quod cum uidisses Turcas desperata salute iratos & ulciscentes suam uicem, in miseram turbam puerorum ac mulierum quam abduxerant, arma uertere, captiuos recipi ac tegi curasti: qua in re uere ciuicam coronam meritus es, qua nulla fuit ullius generis honestior apud ueteres, propterea quod seruasse ciuem longe pluris faciebãt, quàm hostem interfecisse. Porrò tantum attulit hæc uictoria momenti ad profligandum atq; conficiendũm hoc totum bellum, ut Tyrannus Turcicus amissa illa parte copiarum, fracto ac debilitato animo, non solum ex Austria, sed etiam ex tota Pannonia fugiens, in Thraciam se receperit. Proinde optimus Imperator Carolus Augustus testimonio suo uirtutem tuam ornandam esse duxit, quod tu quidem recte plurimorum triumphis antepones. Nam ut apud Poëtam quendam lætatur Hector se laudari, sed à laudato uiro: ita iure tibi gratulari debes, contigisse tibi tam grauem uirtutis tuæ testem, Imperatorem sanctißimum ac fœlicißimum,

*Quo nihil maius meliusue terris*
*Fata donauêre, boniq; Diui*
*Nec dabunt, quamuis redeant in aurum*
*Tempora priſcum.*

*Deinde quantam uoluptatem ſapientiſsimus princeps pater tuus ex his rebus geſtis, atq; honoribus tuis capit? qui cum pro ſua ſapientia recte intelligat, in quibus rebus uera gloria poſita ſit, haud dubie magnitudine harum rerum mirifice mouetur, ac gaudet hoc decore nobiliſsimam familiam ueſtram cumulari. Poſtremo tota patria, etſi te ſemper amauit plurimum: multa enim præclari ingenij ac uoluntatis optimæ ſigna in te perſpexit antea: tamen poſtq̃ tua uirtus quaſi ex umbra in ſolem, ac uere in aciem producta, multo illuſtrior facta eſt, longe maiore ſtudio te complectitur. Iure igitur et tibi & nobis omnibus gratulamur talem tuum reditum, qui & tibi glorioſus eſt, & cum ſalute totius ditionis tuæ coniunctus. Et oramus Chriſtum ut hanc fœlicitatem tuam in rebus gerendis perpetuam eſſe uelit, teq; patriæ & uniuerſæ Reipublicæ ſeruet incolumen. Hanc meam læticiam, ut & tibi & patriæ declararem, edidi hoc tempore reliquos Cæſares tibi antea promiſſos, in quibus poſteriores, quod res eorum minus celebratæ ſunt, deſcripſi pluribus uerſibus. Et extat in his alicubi nobiliſsimorum maiorum tuorum mentio, & prædicantur tuæ res geſtæ: quod cum propter inſtitutum operis modum breuius fiat, de-*

creui

creui res easdem alio in loco pro mea uirili integras describere. Nam hic honos debetur uirtuti, ne patiamur eam obliuione obrui. Et prodest ad posteros extare huius belli Turcici memoriam, quod initium est, & quasi primus actus inclinatæ tyrannidis Turcicæ: multa enim signa sunt breui regnum Turcicum ruiturum esse. Rogo autem, ut clementer accipias hoc scriptum, ac meum studium pro tua excellenti humanitate boni consulas, in quo uides, me ingenium non ad nocendum, sed ad rerum honestarum cognitionem conferre. Talibus studijs, ut scis, Principes fauere non est alienum ipsorum loco ac munere, cui omnium honestarum artium tutela commissa est. Postremo cum hæc tempora sint iniquißima nostris studijs, oro ut me confugientem ad tuam fidem atq; humanitatem, clementer tueri ac defendere uelis. Vale. Mense Nouembris, Anno M. D. XXXII.

GEORGIVS SABINVS
Christophero Turco
S. P. D.

NON eram grauißimas occupationes tuas interpellaturus, nisi me officij ratio suauißimis tuis literis respondere cogeret. Non obscure cog-

noui antea summa te humanitate præditum esse, sed postquam nunc in tanta mole negociorum non grauatus es rescribere, mirifice confirmasti meam de tua excellenti humanitate opinionem. Quod uero addis etiam præconium meorum uersuum, etsi non adeo sum inepté φιλαυτὸς ut quicquid genui protinus illud amem, libet enim Ouidij uerbis uti, tamen gaudeo studium tibi meum probari. Propemodum decreueram hoc totum genus literarum atq; exercendi ingenij abijcere, cum hæc tempora adeo iniqua sint his artibus, sed rursus erigor tua authoritate atq; iudicio, ut hoc mihi studium nullo modo deponendũ esse statuam, in quo si quid ualiturus uideor, referent olim ipsæ tibi Musæ gratiam, qui me in hoc genere artium retinueris. Illud etiam in beneficij loco pono, quod illustrißimo Principi exhibuisti legendos meos uersiculos, in quibus etsi nullo modo expreßi ipsius uirtutes: quis enim hoc poßit? tamen uoluntatem meam probari optimo Principi ualde opto. Nihil enim ipsius beneuolentia maius, nihil duco antiquius. Quare te oro ut quod facis pergas mea studia & tua authoritate tueri, & illustrißimo Principi per occasionem commendare: qua de re scriberem pluribus uerbis, nisi scirem te hominem doctißimum atq; humanißimum ultro bona ingenia complecti, & summa fide iuuare ac prouehere. Vale.

GEOR.

## GEORGIVS SABINVS ILLVstrißimo Principi Alberto, Cardinali, Electori, Archiepiscopo Moguntino, Madeburgensi, Primati Germaniæ &c. S. P. D.

QVanquam nulli iustius dedicant sua scripta clarißime Princeps studiosi omnes, quàm tibi: quia uix quisquam alius principum melius intelligit studia aut benignius fouet eruditos, quàm tu: Tamen ego præter hanc causam, & aliam quandam in hoc opere tibi dedicando propriam sequutus sum. Exhibeo enim tibi orationem Isocratis, in qua uir illis temporibus autoritatis summæ in uniuersa Græcia, & concordiæ publicæ cupidißimus, hortatur Philippum Regem Macedonum, qui ad id tempus bellum cum Atheniensibus gesserat, ut pacem cum Græcis ciuitatibus omnibus faciat, & constituta domi concordia bellum in Asiam cum socijs transferat: & non modo Græcos, sed etiam patriam metu seruitutis liberet. Imperabant enim eo tempore in Asia Persæ, qui colonias Græcorum crudeli seruitute oppressas tenebant, quiq; sæpe in Europam traiecerant, & Græcos maximis cladibus affecerant, & quotidie bellum uicinis gentibus in Europa denunciabant. Itaq; grauißime commemorat Isocrates hanc futuram esse rem maximo Rege, ac fœlicißimo Imperatore dignam, si constituta

stituta domestica concordia ciuibus ac socijs parcat, & pro patria aduersus exteros ac barbaros bellum gerat. Ac profecto diuinitus admonet Isocrates, se, si quid boni dixerit, non esse autorem existimandum, quia confectus senio propter ætatis imbecillitatem res tantas perspicere non potuerit: sed Deum subiecisse, sollicitum de Græciæ salute, & uolentem Græcos præsentibus malis tandem liberare, & Macedonum gloriam augere. Nam hac oratione ceu fatali uoce Persicum regnum concidit. Philippus enim autoritate huius orationis excitatus omnia ad tantum bellum necessaria comparare cœpit: sed morte impeditus succeßionem huius gloriæ filio Alexandro reliquit. Quem Græci scribunt, & si domesticis bellis implicitus erat, tamen hac oratione lecta accensum esse, ut rebus domi compositis, citius in Asiam traiecerit. Hanc orationem cum his proximis diebus legerem, & illorum temporum motus cum præsentibus conferrem: non inuitus latinam feci, sperans multos bonos uiros de repub. cogitantes, libenter eam lecturos esse. Tibi autem præcipue dedicaui, quod uidere mihi quandam in ea imaginem tuorum consiliorum uidebar. Nam ut Isocrates Philippo, ita tu Philippi filio Carolo Cæsari, qui & imperij fastigio, & fœlicitate par est illius Philippi filio Alexandro, autor esse soles, ut constituta domi concordia pium & necessarium aduersus externos hostes bellum suscipiat. Cumq; alij nonnulli incitent optimum princi-

*principem aduersus patriam, non obscure cognoui=mus te autoritatem tuam omnem ad pacem tranquillitatemq; Germaniæ conferre. Quod quidem hoc tuo loco dignißimum est, & Deo gratißimum: & à bonis ac prudentibus uiris ad omnem posteritatem amplißimis laudibus uehetur. Nam hoc tuum beneficium latißime patet. Cum enim tales extiterint in hac natione controuersiæ, ut sine summo periculo Ecclesiæ, dijudicari armis non poßint, si res non agetur ciuiliter, sed uiolentis consilijs: nulla ad posteros Ecclesia, imo ne posteritas quidem futura uidetur ulla. Proinde omnium in te bonorum uirorum oculi in uniuersa Germania coniecti sunt. A te secundum deum pacem atq; salutem expetunt. Quid autem tibi inter homines maius atq; gloriosius his iudicijs bonorum contingere queat? quibus tibi tribuitur tantum, ut in summo periculo plurimum reipub. præsidij in tua uirtute ac sapientia positum esse credatur. Ego igitur, ut hanc de te nostri ordinis opinionem cognosceres, Isocratem ad te misi, qui uidelicet hac ipsa de re interdum pro nobis tecum quasi colloqueretur, & nostra studia ac salutem nostram tibi commendaret. Cuius orationem ut spero, cum intelliges cum tua sententia congruere, non aspernaberis. Porro quemadmodum ipse Isocrates inquit, Deum sibi consilij autorem fuisse, qui Græciæ calamitatibus afficiatur, eamq; præsentibus malis liberare cupiat, ita speramus te quoq; diuinitus ad pacis*

consilia duci, & precamur ut Christus ea gubernet ac fortunet. Vale.
Anno M. D. XXXII.

GEORGIUS SABINUS
Christophoro Turco,
S. P. D.

QVum uiderem hoc Hutteni carmen ubiq; desiderari, dedi typographis recudendum, ne studiosis exempla deessent. Cum autem huius mei consilij rationem extare uellem, duxi potißimum ad te scribendum esse, quod arbitrabar te ualde hoc poëmate delectari: non solum, quia Principis tui laudes continet, quas & si Huttenus adumbrauit tantum, non expreßit, propterea quod primos tantum aditus illius ad summos honores, & ad res gerendas, descripsit. Postea uero Principis tui sapientia in maximis huius Imperij periculis ita enituit, ut longe uicerit hæc præconia: tamen dicas poëtam prorsus uaticinatum esse, qui cecinit hunc Principem aliquando salutem allaturum esse, uniuersæ Germaniæ. Sic enim inquit:

Quos reget hic, pacem populis dabit, omnia tuta
Reddet, & è medijs bellorum faucibus urbes
Eriget.

Sed

Sed ut omittam argumentum: delectari te ingenio Poëtæ & operis forma statuebam. Quis enim omnia eloquientiæ studia melius intelligit, quàm tu, cui abunde adsunt omnia, quæ tum à natura, tum à doctrina ad eloquentiam requiruntur. Et accesit ad hæc non solũ illa forensis exercitatio leuium ac uulgarium negociorũ, sed ingens usus maximarum causarũ in summorũ principum consilijs. Est autem, ut scis, magna Poëticæ cum Oratorum facultate atq; eloquentia cognatio. Quare scio te & prudentissime iudicare de poëmatis, & libenter ea quæ mediocriter scripta sunt legere. Videtur autem mihi Huttenus plurimum ingenio ualuisse, id quod in hoc carmine perspici potest. Miro enim consilio in unius principis pompa, omnes ueterum Germanorum atq; Imperatorum nostrorum res gestas complectitur. Et sicut Homerus in Catalogo nauium, totius Græciæ quasi quandam χωρογραφίαν pingit: Ita Huttenus aptissime describit omnes Germaniæ partes, regiones, gentes, flumina. Hanc rationem explicandi ornatus, & quasi Oeconomiam non sine uoluptate spectari à doctis arbitror. Et addidit sonũ rebus tantis conuenientem, & grande genus uersuum: in quo etsi desiderare aliquid critici fortasse queant, & in ipso quædam ætas suauiora reddidisset: tamen nemo tam iniquus censor fuerit, quin fateri cogatur, multa in hoc carmine egregia lumina esse uerborum ac sententiarum: Sed tibi iudicium de toto scri-

pto

pto permitto. Ego quidem eò tibi dedicaui, ut cum tibi probari existimarent cæteri, tua autoritate commoti auidius legerent & ipsi. Itaq; te etiam atq; etiam oro, ut hanc nostram inscriptionem boni consulas, & fauore tuo hæc nostra studia tuearis. Neq; enim ignoras hanc ætatem in primis ferream esse literis, quibus certe isti præcipue debent opem ferre, qui earum uim ac dignitatem maxime intelligunt. Ac si cognatio est, ut ante dixi, his meis studijs cum illa præstantißima arte, in qua tu uersaris, iure me tibi propter commune fœdus artium commendo: quod quidem sanctißimum esse duces, si cogitabis id quod res est, diuinam quandam his artibus inter se cognationem esse, quia neutra existere in hominum ingenijs potest, sine afflatu aliquo ac motu diuino. Etenim quod Plato inquit de Poëtis, magis eos diuina quadam ui, quàm arte moueri, planeq; deorum interpretes esse, ac deorum ueluti dictata ad homines perferre: idem uere potest de eximia ac perfecta eloquentia affirmari, non posse eam sine aliquo diuino motu constare. Quare cum in utraq; arte quædam insit diuinitas, spero te nostrum hoc genus studij non solum libenter, sed etiam religiose defensurum esse.

Bene uale.

Anno M. D. XXXIII.

EOBA-

EOBANVS HESSVS, IVsto Ionæ Theologo, S. P. D.

GEorgium Sabinum, oro te mi Iona, ut magno in honore habeas, iuuenem & absolutæ iam eruditionis, & maioris in posterum spei: quem & admonebis, ut ad me scribat sæpius:

Qui nunc utilibus cum floreat integer annis
Et mistas clario nectare potet aquas,
Me sacri nemoris iam penè extrema tenentem,
Audaci studeat præterijsse gradu.

Quanq̃ talis est & tam fœcunda istius ingenij felicitas, ut mearum me sordium ad istius mundiciem collatarum, penè suppudeat. Vale. Anno M. D. XXXIII. Norimb.

GEORGIVS SABINVS ILLVstrißimo Principi Ioachimo I. Electori & Sacri Rom. Imperij Archicamerario, Marchioni Brandeburgensi, Duci Pomeraniæ, &c. S. P. D.

ETsi nemini obscurum est, te magnopere fauere literis & bonarum disciplinarum studijs: tamen nondum hactenus ausus sum aliquid ad te scribere,

 cum

cum quidem nulli optarim magis ſtudia mea probari quàm tibi:non ſolum quia in ditione tua natus, Principem diuinitus meritū de patria,omni officij genere colendum mihi eſſe ſtatuo : ſed etiam propter admirationem ſapientiæ ac uirtutis tuæ,quæ ita eminet, ut non ſolum in hoc imperio his laudibus excellere te omnes intelligant,ſed etiam præſtantiſſ. Principibus Græcis ac Romanis comparent. Nam & ſapientiam tuam & animi magnitudinem declaraſti ſtatim initio cum accepto principatu patrio, latrocinijs ditionem purgaſti ſumma cum uirtute:qua in re,quod difficilimum eſt, & domeſticas inſidias conſilio uiciſti, & ſæpe magnas coniuratorum copias,parua manu,acie dimicans ipſe oppreſsiſti. Poſtea ea moderatione ac iuſticia in dicendo iure uſus es,non ſolum ut neminem Imperij tui pœniteret : ſed ut, id quod res eſt, intelligerent te omnes diuinitus his gentibus cōtigiſſe,tanquam patriæ patrem. Poſtquam enim tua diligentia ac iuſticia,pax prouinciæ conſtituta ac munita eſt, incredibile dictu,quàm feliciter bonæ res omnes in patria florere ceperint : mores in ciuitatibus cultiores atq; humaniores facti ſunt, opes publicæ priuatæq; creuerunt : ſtudia etiam cum literarum,tum aliarum artium excitata ſunt. Academiam regijs ſumptibus in qua omnes ingenuæ artes publice traderentur condidiſti : propterea quod iudicares bono principi qui de tota Repub. bene mereri cuperet, præcipue tuenda,& ad omnem poſteritatem propaganda eſſe

*ſtudia literarum, quæ religionis atq; humanitatis, deniq; omnium uirtutum quaſi nutrices atq; cuſtodes ſunt.* Deniq; *nulla pars eſt* Reipublicæ, *quam non ſingulari conſilio ac uirtute ornes, ac meliorem reddas, ut, quod ait* Rex *ſapientiſsimus* Cyrus: *nihil intereſſe inter patrem bonum, ac bonum* Princi-*pem: nuſquam alibi conſpici clarius poßit, quàm in tua adminiſtratione, in qua cum uere patrio animo, conſilia tua omnia ad publicam utilitatem ac ſalutem tuarum gentium referas, uiciſsim ita boni omnes te amant ac uenerantur, ut parentem.* Nulli *autem ſunt honores ueriores, ac uirtute digniores, aut præmia recte factorum gratiora prudentibus, q̃ hæc bonorum iudicia, ſtudia, ac uoluntates:* Etſi *tu quidem pro tua ſapientia atq; animi magnitudine, magis uirtute ad bene merendum de alijs, quàm fructu uirtutis aut præmijs adduceris.* Neq; *uero tantum lucet uirtus tua in domeſtico imperio & in patria: Sed habet aliud theatrum maius ac dignius, totum illũ ſummum* Romani *imperij ſenatum, quem uelut* Neſtor, *magna ex parte conſilio atq; eloquentia tua gubernas.* Quid *enim ille ſummus in terris ſenatus de te iudicet, ex eo exiſtimari poteſt, q̧ cauſas grauißimas omnes dicendas ad te defert: qua in re non ſolum eloquentiam tuam cenſet egregium imperij ornamentum eſſe, ſed etiam tibi prudentiæ ac fidei laudem tribuit.* Porrò *ſicut ait* Cicero *ad* Demoſthe-*nem audiendum magnam multitudinẽ ex tota* Græ-

ciam solitam Athenas confluere, ita uidi ipse in celeberrimo ac frequentißimo conuentu Augustæ παγγερμανικῷ maximos ad te audiendũ concursus fieri, & quidem doctißimorum & disertißimorum hominum, qui cum iudicare de hoc genere possent, prædicabãt omnes uere in orationem tuam competere, id quod Homerus de Nestore suo prædicat, fluxisse de lingua eius orationem melle dulciorem: in quo præconio & copiæ & suauitatis laus est. Nam & fluere orationem dicit, quod non potest accidere, nisi in natura ubere & copiosa: & melle dulciorem esse inquit, quod est suauitatis præconium. Habent autem hæ tuæ uirtutes in eloquentia sine cõtrouersia præcipuam laudem. Vidi eloquentißimos homines attonitos admiratione, cum audirent incredibili facilitate fluentem orationem tuam uelut illaboratam, cum tamen summo consilio dici & diligentißime distribui omnia intelligerent. Sed sunt aliæ tuæ laudes maiores, ac principis propriæ, quod ad tranquillitatẽ imperij tuas rationes, tuaq; consilia accommodas. Cum autem & Heroicæ naturæ præstantia (constat enim te à summis heroibus ortum esse) & domestica maiorum disciplina ad excellentem uirtutem excitatus esses, illud etiam magnæ cuiusdã prudentiæ fuit, quod nunquam studia literarum atq; optimarum artiũ deponenda esse duxisti. Itaq; in præstantißimis artibus omnibus ita uersaris, ut cum doctißimis professoribus certare poßis. Nullum latine dicenti ornamẽtum de-

est.

est. Philosophiam ita tractas, ut ex schola & puluere, ad Rempublicã & ad uitæ usum transferas, quod isti in Scholis professores facere non norunt. Et quidem illi philosophiæ te dedisti, quæ & præcipua est, &, ut ueteres Historiæ testantur, digna regibus: quia & uiros bonos efficit, & ad gubernanda uitæ pericula consilium præbet. Versaris enim in naturæ inquisitione: in cognoscendis motibus sydernm, ac uiribus. Huic doctrinæ addis etiam iuris humani ac diuini studium. Itaq; sæpe mihi uenit in mentem illud quod Plato scripsit, Respub. beatas fore, si aut Philosophi imperent, aut illi qui imperant philosophentur. Id plane accidit in patria, quæ beneficio Principis dediti philosophiæ, rebus bonis omnibus floret. Talem principem iure conferre possumus cum laudatißimis Græcorum ac Romanorum principibus. Itaq; iniuriam Germaniæ faciunt exteri, qui ita sibi arrogant ingenij laudem, ut detrahant nostris omnẽ uirtutis intellectum, omnia honesta studia. Atqui apparet plurimos in hac natione extitisse Heroas, quibus nulla uirtus, digna uiro magno, defuit. Quàm multos numerare possumus in hac una familia tua, ut de alijs in præsentia non dicam. Tanta est ingenij præstantia, tantum consilij in rebus gerendis, tanta in omni officio moderatio, deniq; etiam doctrina tanta rerum maximarum in te & fratre tuo principe Alberto Cardinale, ac Electore, Archiepiscopo Moguntino, ut optimis Græcorum ac Romanorum princi-

pibus iure conferri poßitis. Sed de hac re aliâs dicendum erit copiosius. Non enim institui nunc Panegyricum: tantum hæc dixi, ut causas scribendi ad te commemorarem. Ego itaq; cum & propter admirationem uirtutum tuarum, & propter officium meum diu iam cuperem aliquid ad te scribere, ut meam obedientiam, gratitudinem, ac pietatem tibi debitam declararem: tamen quia mihi conscius sum infirmitatis meæ, pudore impeditus sum hactenus, quo minus id facerem. Neq; adeo ridicule ineptus sum, ut nunc ad te scribam, fiducia doctrinæ: sed malui subire ingenij periculum, quàm diutius differre significationem meæ obediētiæ atq; officij: præsertim cum sciam te non solum ea humanitate esse, ut officia tuorum ciuium quantumuis exigua boni consulas, sed etiam ea sapientia, ut statuas iuuenilia ingenia facilitate ac benignitate tua excitanda esse, ut intelligant sibi spes studiorum suorum in bonis Principibus positas esse. Quæso igitur Princeps clarißime, ut hoc carmen, in quo descripsi reditum filij tui principis Ioachimi in patriam, depulsis summa uirtute Turcis, clementer accipias, tanquam testimonium mei erga te studij atq; obedientiæ. Quod si fauebis nostris studijs, scribam olim ut spero, meliora. Ego etsi uersor in alijs artibus, quæ maiorem usum in Republica habere putantur, tamen hoc quoq; scribendi genus exercendum mihi puto. Et habet fortaßis aliquam publicam utilitatem. Prodest enim extare monumenta rerum præ-

clare

clare gestarum. Et ob hanc causam ueteres Principes aluerunt Poëtas, sicut ille inquit:

Cura Ducum fuerant olim Regumq; poëtæ.

Cum autem tua uirtus dignißima sit memoria posteritatis, non erit alienum humanitate tua fauere huic generi studiorum. Quare me tibi commendo, atq; oro, ut quod facis, me & studia mea clementer tueri uelis. Vale, Calendis Iunij Anno
Anno M. D. XXXIII.

GEORGIVS SABINVS
Christophoro Turco,
S. P. D.

CVm meum consilium de adeunda Italia, quam studiorum causa uidere cupiebam, tibi exposuissem: memini te non solum probare animi mei seu cupiditatem, seu sententiam, eò quod ingeniorum ac doctrinæ principem Italiam esse iudicas: sed etiam studia mea summa diligentia ac fide illustrißimo Principi tuo, commendare, apud quem autoritas tua merito ualet plurimum. Qua in re cum illud mihi iucundum fuit, quod cognoui te cum excellenti doctrinæ laude singularem humanitatem coniunxisse, cum me antea ignotum propter quandam stu-

diorum opinionem tam amanter complecterere: tum uero hoc gratißimum est, quod re ipsa comperi eam in te comitatem minime fucosam esse, sed à uirtute ac uera humanitate proficisci. Postquam enim semel me complexus es, summa fide & constantia tueris. Itaq; & uirtutem tuam amo & admiror, & plurimum me tibi debere libenter profiteor. Et quoniam scio te hæc officia uirtute, non fructu metiri, spero me tibi satisfacturum esse animi gratitudine. Quare cum descripsissem iter meum Italicum, et si argumentum est pertenue, tamen testificandæ uoluntatis meæ causa, tibi dedicandum esse duxi. Sperabam enim tibi & iter illud tuum & Italica studia recordanti, lectionem huius carminis non ingratam fore. Nam cum Italia non solum erudierit te, sed etiam ingenij tui theatrum in illo ætatis tuæ flore fuerit, non potest fieri, quin de ea honorifice sentias. Inclaruit enim ibi primum eloquentia tua, cum te hominem Germanum doctißimi homines in ipsa Italia magna cum admiratione atq; approbatione audirent. Cicero sibi præclarum illud fuisse dicit, cuius ob os Graij ora obuertebant sua. Ferendum igitur & in tuis laudibus hoc, quod illius ingenioßimæ nationis iudicijs ornatus es. Sed habes nunc multo illustrius theatrum, non solum doctrinæ & eloquentiæ, sed excellentis cuiusdam prudentiæ uniuersum hoc imperium Germanicum, in quo omnium ordinum homines magno consensu laudant dexteritatem ingenij tui, fidem, prudentiã, eloquentiam tuam.

tuam. Omnes te φύσει καὶ τέχνῃ καὶ τύχῃ πολιτικὸν esse prædicant: Et habes ingenij tui testem, Illustrißimum Principem, Albertum Cardinalem & Archiepiscopum, qui ingeniorum acutißimus iudex ac censor est: apud quem cum ijs rebus intersis, quas ipse gerit maximas, & huic imperio & ad publicam tranquillitatem utiles, præclare de uniuersa Germania mereris. Nam quod Plato dicit, magnum uirum in Republica omnes actiones, omnia consilia ad hæc duo referre debere, ut ciues & beati sint, & inter se concordes: hoc si quis alius, certe maxime præstat Princeps Albertus, qui toties iam pacis autor in uniuersa Germania fuit. In his rebus, ut modestißime dicam, industria et fides tua cum ipsi Principi, tum cæteris magnis uiris perspecta est. Quid est autem diuinius? quæ laus amplior cogitari potest, quàm ingenij uim & industriam conferre ad res patriæ salutares? Ego igitur, uelut unus de populo, te propter has uirtutes & admiror & amo. Huius meæ uoluntatis si specimen possem illustrius tibi exhibere, facerē. Nunc præter uersiculos nihil possum præstare: quos tamen, cum literis te fauere maxime sciam, spero tibi gratos fore. Quæso igitur, ut hoc qualecunq; carmen accipias, uelut significationem mei erga te studij, atq; officij, & me Principi optimo commendes. Vale, Mense Martio, Anno M. D. XXXV.

## PETRVS BEMBVS ALberto Cardinali & Archiepiscopo Moguntino, S.P.D.

GEorgium Sabinum Germanum Iuris ciuilis addiscendi causa istinc ad nos profectum, in meam beneuolentiam & fidem libentißime recepi, cum mirificum adolescentis ingenium & in literis humanioribus, præsertimq; in poëtices studijs singularem industriam & præclara studia cognouissem: eiusq; consuetudine, perlegendisq; carminibus magnopere sum delectatus, charißimumq; illum habui. Neq; ulla quidam in re tam egregio et prastanti iam poëtæ, cuius artis nomen apud omnes gentes celebre sanctissimumq; semper fuit: si meis uti fortunis uoluisset, Sabino defuissem. Vbi uero is in sermonibus colloquutionibusq; nostris tuas mihi literas ostendit de sese amantißime scriptas, quibus eum Italis hominibus commendas: non maiore quidem illum beneuolentia, uix enim mihi ad pristinum meum erga illum amorem quicquam addi poße uidebatur: sed multo libentius, multoq; diligentius sum complexus, cum uiderem illum abs te tanto uiro, eo splendore, ea dignitate, tot oppidorum & populorum principe honestari ac diligi. In quo uno rem te maxime omnium dignam facis. Nihil est enim præclarius magnis principibus ac regibus, quàm fouere ingenia, quæ ad magnam sint frugem, si excolantur, peruentura:

tura: quæq; memoriam eorum multa sua cum laude in omnem posteritatem proferant. Quod quidem iam uideo in te atq; in tuos Sabinum ipsum splendidis ac duraturis carminibus poëmatibusq; fecisse. Hæc cum ita se habeant, etsi existimem nihil illi apud te mea commendatione opus esse, quia iam tibi per se ipse & optatus sit & gratus: ego autem in tuam familiaritatem nulla ex parte adhuc quidem uenerim, tamen ut meo in illum amori, qui me plane urget, satisfaciam, tibi eum non tam sane commendo (quanquam commendo quidem diligentißime) quàm uolo his literis testatum apud te facere, me de Sabino ita sentire, ut si eum à poetices studijs fortuna, quæ plurimum in humanis rebus potest, non abducet, magnum sis hominem atq; antiquis illis, qui tantopere laudantur, propemodum æquandum habiturus. Neq; enim cognoui ullum pangendis carminibus eruditum his temporibus hominem, quibus omnino temporibus Latinæ literæ prope reuixerunt: aut etiam ullius scripta legi, qui mihi uideretur styli facilitate ac genere ad Ouidianam scriptionem atq; facundiam tam proxime accedere. Sed tenenda illi eadem orbita est, stylusq; ipse aßiduitate diligentiaq; muniendus: neq; tam quantum uiæ fecerit, quàm quo progredi cum potest, tum uero etiam debet, singulis prope horis cogitandum. Neq; enim si aut in Batrachomyomachia Homerus, aut in Culice Virgilius à scribendo se continuissent, eorum nomen

men seculis omnibus clarum celebreq; uiguisset. De me autem sic existimes uelim, tuam à me dignitatem, quæ quidem apud omnes homines amplißima clarißimaq; est, eo pluris fieri, quod optimarum artium studia, quæq; ijs se ingenia cum prouentu dediderunt, tibi amanda fouendaq; duxisti.

Vale, quinto Calendas
Martias,
M. D. XXXIII I. Patauio.

PETRVS BEMBVS IOACHImo I. Romani imperij Electori, Marchioni Brandeburgensi,
S. P. D.

Legi ad Italos literas de Georgio Sabino tuas aliquanto post, quàm eius ingenium in bonarum artium atq; poëtices studijs egregium ac præstans adamauissem. Itaque qui mihi erat per se ipse plane iam perfamiliaris, quemq; pro eius eximia excellentiq; uirtute magnopere diligebam (ualde enim mihi eius carmina probabantur) factus est mihi tua cõmendatione etiam charior: gratulatusq; Sabino sum, qui te tantum hominem eo splendore eaq; dignitate habeat, cui sua studia curæ sint, cuiusq; in patricinio degere securus & beatus poßit. Caue enim putes claros illos poematibus conscribendis uiros, quorum nunc

nunc libros tam libenter in manibus habemus, quiq; Romæ Octauiani Augusti tempore floruerunt, ad illud artis culmen euasisse, nisi magni principes extitissent, qui studia eorum coluissent, ingenia fouissent, industriam, diligentiam, laborem, maximis propositis præmijs, adauxissent. Quod quidem de Sabino tuis auspicijs futurum plane uideo. Est enim iam eo cum ingenio, tum studio prouectus, ut si perrexerit, neq; se aliô flecti ac propelli sinet, clarum sit poëtam nostra se ætate præstaturus, tuumq; nomen atq; memoriam unà cum suis scriptis magna cum tua laude & gloria immortalitati commendaturus. Hæc ad te scribenda mihi esse duxi, non eo quidem, ut qualis quantusq; sit Sabinus, tibi ostenderem: quis enim id te uno melius intelligit, qui adolescentem in tuis habes familiaribus, testimonioq; tuo apud exteros ornas homines, commendasq; nobis omnibus? sed ut illud assequerer, ut quàm libenter morem in eo tibi geramus, Sabinumq; tuum beneuolentia & omnibus officijs complectamur, ex meipso cognosceres, simul ut tuam à me amplitudinem præter cæteras tuas uirtutes ob id etiam plurimi maximiq; fieri, quod doctis hominibus faues, meq; tui esse studiosissimum, scire posses. Vale.

Calendis Martijs.

M. D. XXXIIII. Patauio.

BAPTI-

## BAPTISTA EGNATIVS Erasmo Roterodamo, S. P. D.

CVr tibi Sabinum etiam atq; etiam cõmendem meis hisce literis, multæ plane sunt & eædem honestißimæ causæ, uel quia omnes Germanici sanguinis tacita quadã animi inductione diligo, uel quod ille præcipuo quodam amore ac religione, quod quidem apud me plurimum ualet, te colit: uel quod ita bonis artibus instructus, bonisq; moribus ornatus est mihi uisus, ut enixe hoc illi petenti negare non potuerim. Tu uero plane fœlix ac beatus; quem certatim sic omnes boni ac studiosi uiuentem diligunt & obseruant. Hic enim fructus uirtutis eximius atq; excellens est, ut non tam mortuo quàm uiuenti homini tantum studium, tantus debeatur amor. Nam de meo erga te amore, deq; tuo in me uicißim, aliquid uberius dicerem, ni Sabini suscepta me commendatio prohiberet. In hoc igitur iuuene, nisi me mea fallunt præsagia, multa sunt quæ ad illum amandum excitare quemuis poßint. Primum pudor egregius, qui mirifice hanc ætatem commendat. Accedit deinde modestia, quam uultu, quam oratione maxime præfert. Nam de eximio illius literarum omnium & poëticæ in primis studio, nihil amplius dixero, κωμικὸς μάρτυς ipse esse poteris, uel potius ἀττικός. Certe in hoc sic mihi excellere uisus est, ut cum multos

Germa-

Germania tulerit, his annis huiusce laudis auidos, illi penè omnes errare uelut umbræ, hic ueram gloriam assequi posse uideatur. Tu igitur, qui Germanis tuis princeps hanc literarum facem prætulisti, tanto successu, ut omnia tibi polliceri de illis posses, nisi alio fœlicia transtulissent ingenia, hanc saltem scintillam reliquam ita foue, ut tuo excitata atq; animata spiritu, multum splendoris plagæ huic tuæ afferat, ut quando tu tantam primus excitasti gloriam, hoc ueluti altero secundum te sydere illustretur & emicet. Bene uale Erasme mi amantißime. Venetijs. 3. Cal. Septembris. Anno M. D. XXXIIII.

## ERASMVS ROTERODAMVS, Philippo Melanthoni S. P. D.

Literæ tuæ & hospitis tui serius ad me perlatæ sunt iniuria illius cui eas commiseras. Damianus à Goës iam quatriduo hinc discesserat: sed paulo post ex itinere remisit ad nos alterum è famulis qui ceperat ægrotare Thermopoli, unà cum Sabaudo deductore conducto. Per hunc mox recurrentem misi Damiano tuas & hospitis tui literas. Verum hoc uix à nobis digresso, rediijt ipse Damianus, sollicitus de puero

ro suo, cui tradidi tuas ad me literas, ex quibus rem omnem cognouit. Rursus à nobis digressus, Schafhusiæ per dictum Sabaudũ accepit literas tuas, post id temporis nihil ab eo literarum accepi, nisi quod arbitror illum iam esse in Italia. Hunc Georgium Sabinum literis acuratè scriptis adeo prædicauit Baptista Egnatius, ut nunq̃ antehac ulla de re scripserit diligentius: & profecto iuuenis præ se fert eximias & morum & ingenij dotes, ut certa spes sit illum aliquando præcipuum Germaniæ decus futurum.

De Luthero nunc nihil scribam, nisi mirari me quod ad instinctum Amsdorffij, hominis, ut audio, indocti et inepti sic debacchatus sit in me: eaq; obiecerit, quæ etiamsi nihil respondissem, tamen ex meis lucubrationibus liquebat esse uanißima. Non deerant mihi aculei, nec deerant qui me instigarent ad acerrimè respondendum: sed ego id malui, quod à doctis & bonis uiris probari mereretur. Illa epistola non nocuit famæ meæ: quantum ipsius negotio profuerit nescio. Ambrosius Pelargus scripsit aduersus Anabaptistas librum, in quo subinde perstringit Lutherum ac te nominatim satis acriter, ac me nonnunq̃: sed moderatius ac sine nomine. Commentarios tuos in Paulum ter emi, Vnum codicem misi Episcopo Augustano, alterum Sadoleto Episcopo Carpenteractensi, tertium mihi seruaui. De eo quid sentiam, fortaßis aliàs indicabo. Bene uale. Friburgi pridie Nonas Octo. An. M. D. XXXIIII.

VIGLIVS

 233

VIGLIVS ZVICHEMVS
Georgio Sabino,
S. P. D.

QVarto idus Septembris, Sabine doctißime, literæ tuæ quas è Salinis Saxonicis XXIII. die Iulij ad me dedisti, redditæ mihi fuere. Quamobrem si tardius forsitan respondere tibi uidebor, ei, cui ipsas commisisti, imputa. Nam ego profecto qui mutuo semper erga te animo fui, & cui sæpe antea ad te scribere cogitanti idonea tantum occasio & argumentum defuit, minime equidem literis tuis tam amicam erga me uoluntatem præ se ferentibus, quæq; plenũ honoris, clarißimi uiri Christophori Turci de me iudicium continerent, ac de illustrißimi principis Electoris Brandeburgensis beneuolentia & conditione cum primis honesta certiorẽ me facerent, respondere distulissem. Etsi enim conciliandæ amicitiæ breue spatium Patauij habuimus, cum sub idem ferè tempus & tu eò aduenires, & ego sarcinulas colligerẽ, Christophorus tamẽ Carleuitius ãtiqua mihi familiaritate iunctißimus, ea literis suis beneuolentiæ fundamenta iecit, ut cum ego illius amicitiam plurimi semper fecerim, sic me ei chariorem uicißim fore existimarem, si te qui mihi ab eo plurimis nominibus commendatus fueras, aut officio aliquo meo demereri, aut amore deuincire possem: quod quo minus hactenus fecerim, non uoluntas mihi unq̃, sed tantum opportunitas de-

g fuit.

fuit. Tibi uero ad retinendã confirmandamq; amicitiam eo auctore initam præsentißimum philtrum suppetit proprium uidelicet uirtutis & eruditionis: quas quo magis in te incrementum suscipere audiui, eo ad meum animum in tui amorem inflammandum plus uirium habuisse scias. Ac ut etiam, aut temporis intercapedo, aut locorum interuallũ, quo separati seiunctiq; fuimus, aliquid forte isti mutuo affectui detraxisset, id totum tamen proxima tua epistola plenißime restabiliuisset, quæ non tui modo in me animi amantißimum testimoniũ, sed mearum etiam laudum, quas agnoscere nunq̃ audeo, nimis amplum præconium cõtinet. Sed de illis aliâs: nunc ad id tibi respondebo, cuius gratia illa tibi ad me epistola scripta est: quid scilicet animi habeam ad conditionem de qua illustrißimi Principis Electoris Brandeburgensis nomine mecum egisti. Non potest aũt in eo mihi non esse gratißimus tuus affectus, magnamq; uoluptatẽ ex Christophori Turci de me iudicio & prædicatione cepi, qui illustrißimi Principis animum ita erga me inflammauit, ut idoneum esse crederet qui Academiæ suæ (uti scribis) collapsæ instaurator fierem. Ipsorum autem studiorum causa multò maxime gaudeo, tantũ Principẽ literis honestisq; artibus fauere, & eis prouehendis sedulo operam dare. Christophori certe Turci nomen à te olim mihi prædicatum, deinceps etiam magis uenerabor, quod auctoritatem illam qua apud principes uiros pollet, reparãdis literarum studijs,

dijs, quæ nunc miserandum in modum labi uidentur, deesse nō sinat. Faxit Deus optimus Maximus, ut tam honesta principis uoluntas, prudentißimiq; uiri fidelißimum atq; optimum consilium, felicem, et bene fauentibus Musis, optatum habeat successum. Cur ego autem in præsentiarum in oblatam conditionem cōsentire nequeam, coram tibi exponere mallem: sed quando id mi Sabine non licet, faxo ut intelligas non temere tantum honorem me recusare. Fungor in iudicio Cameræ Imperialis assessorio munere, Cæsareæ Maiestatis spontanea clementia eo promotus, unde mihi quotannis amplißimum stipendiū numeratur: facile autem ipse æstimare potes an consultò præsenti fortunæ, conditionem istam ab illustrißimo Principe oblatam præpositurus fuerim: & quanq̄ hoc munus uulgo & dignius & utilius habeatur, ego tamen non grauatè in tuam sententiam concederem, atq; ijs rationibus quas diserte adduxisti, pertrahi me paterer, nisi aliæ essent quæ me magis mouerent. Nā mihi profecto ea semper mens animo sedit, ut si tantum profecissem, ut de meo lumine alijs accendere possem, & ad scholasticam illam docendi tranquillitatē aliquando mihi redire liceret, mediocre honorariū in quieto literarum otio splendidis istis et simul negotiosis cōditionibus haud illubēter prælaturus fuerim. Verum mi Sabine quantum quidem ego intelligo quicunq; iura cū auditorum utilitate docere uoluerit, eaq; siue ad priuatas clientulorum causas defendendas, siue

 publicas

publicas arduasq; res administrandas prudenter feliciterq; accōmodare, & dignitatem olim in otio tueri cogitauerit, ei non satis erit quemlibet magnum in Scholis fecisse iuridicæ scientiæ profectum: Verum in primis necessarium esse, ut iuris scientiam in foro, iudicijs, consilijsq; exercuerit, eaq; ratione motus aliquantisper in foro hærere decreui, quo ad docēdum si quādo idonea deinde conditio oblata fuerit instructior descendere poßim. Cum uero haud ita dudum huc uenerim, necdum tantum quantum constitui didicerim, haud temere ab hoc iudicio discedēdum mihi puto, in quo longe amplißima discendi occasio est quando & hoc supremū Sacri Imperij tribunal censetur, in quo & maximæ causæ controuertuntur: & tot selectißimos habeo collegas, à quibus & in scientia & peritia iuris permulta discere queam. Cuius etiam consilij non illaudatos habeo autores Francischinum Curtium, quo Patauij præceptore usus sum: item zasium, Alciatum, atq; alios non uulgaris notæ uiros, qui aliquando me cohortati, ut animum ad profitendi munus adijcerem: illud tamen ante omnia suaserunt, ut prius per aliquot annos forum & iudicia sequerer: sic quippe me ad docendum longe magis instructum idoneumq; fore. Nam qui nunq̄ in foro uersatus est, etsi forsitan in Iure non infeliciter doctus sit, nequit tamen satis utilia ab inutilibus, & abolita à consuetis discernere, cum eorum quæ alijs traditurus sit usum ipse ignoret. Quæ quidem me causa potissimum

ſimum mi Sabine mouet, ne adhuc è foro ad Scholas redeam, ac tantiſper in eo perſiſtam, quoad me ad profitendum magis idoneum eſſe cognouero, forenſiumq; actionum uſu inſtructus, felicius fortaßis aliquando deſtinatum munus exequi potero. Quod ſi uero hac una in re animo meo ſatisfeciſſem, etſi ipſe ſatis dijudicas pergraue mihi fore deſerta meliore cōditione, in tam longinquam & ignotam regionem abire: attamen cum antea ad nullam rem æque quàm ad literarum profeßionem animum inclinatum habeam, non leuiter me in præſentiarum, tanta illuſtriſſimi Principis Electoris beneuolentia, clarißimiq; uiri, Chriſtophori Turci autoritas, ac tua tam amica exhortatio permouet. Quando itaq; mea conſilia aliter nunc ferunt, te etiam atq; etiam rogo, ut qua fieri poteſt ciuilitate illuſtrißimo Principi renuncies hoc tempore iſthac conditione uti mihi non eſſe integrum. Si qua uero alia in re illuſtrißimæ eius Celſitudini mea opella obſequi potero, id ea me facturum promptitudine, ut concepta erga me ex Turci prædicatione beneuolentia, non omnino indignū eſſe cognoſcat. Bene uale doctißime Sabine, & clarißimo Cancellario Turco, qui tali me apud illuſtrißimum Principem eulogio ornauit, uicißim meum deferto officiū, ſignificatoq; me deinceps inter eos futurum, qui merito ſuo eum uenerantur. D. Chriſtophoro Carleuitio, ſi quando opportunum fuerit ſalutem quoq; à me dicito, quam proprijs illi literis nuntiare

maluissem, si ubi locorum ageret compertum habuissem. Datum Spirae XVII. Septembris. Anno M. D. XXXVI.

PETRVS BEMBVS GEORGIO Sabino Brandeburgensi, S. P. D.

ELegos tuos missos abs te mihi legi non solum libentißime, sed etiam cupidißime pluries: magnamq; ex ijs uoluptatem cepi, cum quia et docti summopere sunt & culti, & omnino eiusmodi, ut delectare mirum in modum ingenia eruditorum hominũ possint: tum propterea, quod te mei memorem ostendũt testesq; sunt & tanquã praedes nostrae necessitudinis, quo nihil mihi potest accidere optatius. De uxore, quam duxisse te scribis Philippi Melanchthonis doctißimi uiri filiam, laetor. Dij tibi matrimonium fortunent. Socerum quidem habes eum, qui tibi in bonarum artium disciplinis magister fuit: ita te mihi dicere solitum uideor recordari: ut tibi etiam eo nomine esse charus & optatus debeat. Reliquum est, ut intelligas id, quod te scire etiam tacente me puto, mihi te charißimũ iucundißimumq; esse, atq; à me propter poëtices, in qua excellis, studia, reliquasq; tuas uirtutes fieri sanè plurimi. Quibus à studijs ne te distrahi permittas ualde te rogo. Vale, septimo Calen. Quintiles. Anno M. D. XXXV. Patauio.

GEORGIVS SABINVS
Petro Bembo,
S. P. D.

Nihil in uita mihi contigit optatius ac iucundius consuetudine atq; amicitia tua, uir clarißime. Quod enim singulari me beneuolentia complexus es quodq; me liberalißime ornasti testimonio tuo ad Principes meos perscripto, imprimis honorificum mihi duco. Ac quemadmodum ille laudari se à laudato uiro lætatur, ita ego mirifice gaudeo, me probari tibi uiro optimo, summa cum eloquentiæ ac prudentiæ, tum grauitatis ac uirtutis laude florenti. Huc accedunt alia non minora beneficia, quod sæpe mihi frui eruditißimis ac sapientißimis sermonibus tuis licuit: teq; audire cum de literis, tum uero de cæteris reipublicæ partibus prudentißime iudicantem. Quos tuos sermones longe omnibus scholis atq; Academijs antepono: quia ijs me & de optimis artibus et de multis alijs rebus ab homine qui nõ in umbra tantum hæc didicisset, sed quem usus iam & Respublica erudijsset præclare moneri sensi. Itaq; cum oratione tua ad uirtutem excitabar, tum uero ad illam formam rationemq; discendi, quam probari tibi intellexi, studia mea quantum in hac ingenij infirmitate possum dirigo. Postremo quandam felicitatis partem esse iudico, uidisse eum uirum, qui ad cæteras excellentes uirtutes hanc laudem adiunxit, ut unus fuerit uniuersæ Ita-

liæ autor ac princeps ueteris eloquētiæ restituendæ. Quare quod me tam amanter complexus es, quodq; officijs omnis generis ornasti, tantum tibi debeo, quā tum mortalium nemini: teq; summa pietate tanq̄ patrem per omnem uitam colendū mihi esse sancte statuo. Hac sum usus commemoratione inepta fortaßis & breuiore quam magnitudo tuorum beneficiorum postulabat: sed tamen cum nihil poßit accidere mihi acerbius, quàm si de meo animo secus sentires, existimabam ad officium meum pertinere ut significationē aliquam gratitudinis meæ ad te perscriberem, quam utinam tibi coram declarare possem. Verum me magno cum dolore meo, subito isthinc auulsit quædā negociatorum perfidia, quibus res meas curandas cōmiseram. Hanc infelicitatem non raro deploro. Mihi tamen semper obuersatur oculis imago tua: semper aures personant tuis doctißimis sermonibus: nec ulla in re magis acquiesco, quàm in recordatione tuarum uirtutum. Cuius rei testes habeo, multos doctos uiros & principes, apud quos de nemine sæpius ac lubentius, quam de te loquor. Quare non solum de studijs tuis, sed fortunis etiam interdum confabulamur. Cumq; nuper uiro præstantißimo Christophoro Turco, Alberti Cardinalis & Archiepiscopi Moguntini Cancellario narrassem, certas pensiones in Pannonijs tibi non solui, quæ sint in potestate regis Ioannis, Cancellarius tui amantißimus, causam illam exponit Principibus nostris Cardinali Alberto &

Marchioni Ioachimo II, qui habet coniugem natam ex ſorore Regis Ioannis. Hi quod præclare de te ſentiunt, ſuum ſtudium multis uerbis ea in re polliciti ſunt, iuſſeruntq; tibi à me ſignificari, ut ad Cardinalem Moguntinum de tota re ſcribas, quo in loco penſiones illæ ſoluendæ ſint. Nam mihi non erat nota integra cauſa. Scribes igitur omnia quæ pro tua excellenti prudentia profutura eſſe exiſtimabis ad hanc rem perficiendam. Hæc tibi de ſententia illuſtrißimi principis Moguntini ſignifico, qui quidem propter excellentem doctrinam & uirtutem tuam oſtendit ſe cauſam tuam diligenter acturum eſſe. Et ualet autoritate hæc familia apud Regem Ioannem propter affinitatem. Tu quid fieri uelis, aut quomodo ſe res habeat, uicißim ſignifica. Poſtremo ut me ames, te etiam atq; etiam oro. Vale. Datæ Lipſiæ Calend. Ianuarijs, Anno M. D. XXXVIII.

GEORGIVS SABINVS
Petro Bembo Cardinali,
S. P. D.

ETſi ijs ornamentis, in quibus uera dignitas poſita eſt: uirtute, conſilio, autoritate, ita cumulate ornatus es, uix ut fortuna ſplendoris aliquid addere tibi poßit: tamen poſtquam audiui te in amplißimum ordinem,

dinem, et summum senatum orbis terrarum lectũ esse multis de causis gauisus sum. Quanquam enim antea noram authoritatem tuam apud summos principes fuisse præcipuam: tamen postquam Romam accersitus es, uidebam te consilijs gubernationis orbis terrarum magis interfuturum esse. Gratulabar igitur toti Christianæ Reipublicæ, te tali sapiẽtia uirum in eo ordine sententias dicere, à cuius consilio tota Europa pendet. Neq; enim dubitabam, quin tua uox atq; autoritas aliquando huic etiam nationi Germanicæ, cõcussæ domesticis discordijs, aliquid opis allatura esset. Deinde eo gaudebam tuæ uirtuti honorem haberi in illo fastigio imperij orbis terrarum: ac bene precabar auspicijs amplissimi honoris. Nec tamen de meo studio ad te scribere audebam. Sed tandem mihi humanissimæ significationes beneuolentiæ erga me tuæ animum addiderũt, ut hanc epistolam ad te mitterem. Ex tuis enim ad Vergerium, & Ludouicum Beccatellum literis intellexi, tibi nondũ excidisse mei nominis memoriam. Porro hanc siue beneuolentiæ, siue iudicij tui significationem erga me, tanti facio, ut me totum tibi debere statuam. Semper uirtutis in te excellentiam admiratus sum: Amaui scripta tua, quæ sola uerum & natiuum decus latinæ linguæ ætati nostræ instaurarunt. Accessit autem erga me priuatim singulare studium tuum. Quare nisi te summa obseruantia colerem, prorsus alienus ab humanitate iudicandus essem. Te igitur oro, ut hanc meam epistolam boni

*boni consulas: meq; semper inter eos numeres, qui te uelut decus huius sæculi præcipuum uenerantur & amant.* Opto autem ut honoris acceßio, quo auctus es: cum cæteris nationibus, tuum uero etiam Germaniæ salutaris sit. Fiet in hoc Ratisponensi conuentu, ut speramus, ad communem concordiam aditus: qua in re multum adiuuare Rempublicam & sapientia & æquitas tua poterit. Vale. Dat. Ratisponæ Idib. Maijs, Anno M. D. XLI.

PETRVS CARDINALIS Bembus, Georgio Sabino, S. P. D.

GRatulatio de Cardinalatu meo, quam tuæ ad me perhumaniter scriptæ literæ attulerūt, sane grata mihi ac iucunda accidit: non propterea, quod mea magnopere aucta est eo magistratu dignitas, quã etiam, quod de tua erga me beneuolentia tam longo utriusq; nostrum silentio nihil detractum esse uideo: quo mihi esse optatius nihil potest. Amaui enim te ab ipso amicitiæ nostræ initio constantißime, teq; mihi in eo parem esse semper uolui. Iudicium autem de me tuum, hominis cum omni doctrina politißimi: tum apud magnum principem claro loco positi: etsi quæ prædicas, in me non agnosco, ac humanitate te tua potius,

potius, amoreq́; erga me singulari in eam de me opinionem duci uideam: est mihi tamen uel propterea quam maxime gratum. Quid enim probo homini gratius, quàm diligi? ab ijs præsertim, quos ipse in primis diligas, faciasq́; plurimi? Spem communis cōcordiæ, quam ex isto Ratisponensi conuentu nobis affers, accepi equidem perinde ac debui, libentißimè. Qua tamen in re Melanthonem socerum tuum rem Christianam multum iuuare & posse scio, et eum factur ū confido, fretus cum excellenti eius uirtute, atq; in omni literarum genere eruditione: tum uero etiam ea, quam cum illo contractam habes, neceßitudine. Erunt igitur tuæ quoq; pietatis partes curare, ut si quid in Melanchthone adhuc fuit, quo nostrorū animi nonnihil offendi potuerint, id temporibus totū potius, quàm ab alienatæ à nobis uoluntati ascribatur. Occasio dari uobis ulla uberior nunquā poterit, unde uel gratiam à Deo opt. max. maiorem ineatis, uel ab hominibus gloriam honestiorem cōsequamini. Illi tu meis uerbis salutem impartias uelim, quæq; à me proficisci possunt omnia pollicearis ac deferas. De carminū tuorum libello elegantißime conscripto, quē ad me perferendum curasti, te multum amo: quē quidem ego maxima cum animi uoluptate perlegi: ingenijq; tui facilitatem, naturæq; probitatem, quam præ se expressam fert, amplexus, deosculatusq; sum.

Vale. VI. Cal. Iun. M. D. XLI.

Romæ.

GEOR.

GEORGIVS SABINVS CARdinali Gaspari Contareno, S. P. D.

CVm Ratisponæ in comitatu Marchionis Electoris essem, & cætera, quæ agi uidebamus, magnum mihi dolorem adferrent: unum hoc erat iucundum, uersari cum doctißimis uiris in familia tua, Ludouico Beccatello, Adamo Tumano, & Philippo Gherio: ad quos etiam eò libentius accedebam, ut de tua excellenti uirtute, deq; tuis studijs aliquid audirē. Gaudebam enim te intuens, ac de te cogitans, non penitus effœtam esse rerum naturam: Sed adhuc gignere uiros magnos, ueterum similes. Cum enim in Veneta republica inter principes locum præcipuum tenueris: deinde uero propter sapientiam, uirtutem & doctrinam, Romā accersitus, & in summū senatum orbis terrarū lectus sis, & maxima negotia Reipub. gubernes: consilio, uitæ instituto, grauitate, dignitate, te cum ueteri illo Lælio, aut Atheniensi Aristide comparabam. Sed eruditione te longe antecellere intelligebam: quo in genere mihi quidem hoc in primis iucundum fuit auditu, te & totum orbem artiū in Philosophia complexum esse: & doctrinam Christianam optime intelligere, ac toto pectore colere. Assentior Platoni, qui ait, Deum gratam de se famam in artibus sparsisse. Itaq; cum uera Philosophia monstret Dei uestigia naturæ rerum impressa, quid magis decet hominem Philosophum cognitione religionis? Hæc ego Ratisponæ cum & audiuissem disserentes

doctiß-

doctiss. uiros, & ipse mecũ exempla similiũ uirorum ex omni antiquitate colligerem, mirifico studio tui in census sum: quod tunc uerecũdia impeditus declarare non audebam. Nunc aũt, ut de absente multo sæpius cogitarem, ea quæ conuentum secuta sunt, me monuerunt. Videbam te acerrimam adhibere contentionẽ, ut discordiæ Germanicæ dirimerentur: & constituta pace, cõmuni consilio atq; animo Turcis in uestibulo Germaniæ grassantibus arma inferremus. Mox ut discessisti, cum tuis consilijs non obtemperaretur, ἀδράσεια secuta est. Amisimus exercitum: Pannonias occupauit barbarus hostis, arcem belli facturus ad reliquam Europam, seu uexandam, seu occupandam. Hic euentus & mihi, & summis uiris in aula nostra, sæpe tuarum actionum memoriam renouat. Quare cum in hoc luctu patriæ sæpe de tuis monitis cogitarem, et desiderio quodam fouendæ noticiæ talis uiri flagrarem: tandem duxi ad te scribẽdum esse. Nec recuso ineptus uideri, dum studium tibi meũ quoquo modo significem: idq; ut auderẽ facere, eò etiam impulsus sum, quod propter Philosophiæ studia arbitrabar te facilius complecti studiosos. Quare & ut meam epistolam boni consulas, te etiam atq; etiã oro: & cum nihil sit boni Principis beneuolentia optabilius, maxime cupio me tibi & Principi optimo, & uiro doctissimo, uere commendatum esse. Vale. Dat. VIII. Cal. Aprilis, Anno M. D. XLII. Francofordiæ ad Oderam.

CARO.

# CAROLVS QVINTVS ROMANORVM

Imperator semper Augustus, Georgio Sabino Brandeburgensi Gratiam Cæsaream, & omne bonū. Etsi antea propter doctrinā et uirtutem non solū clarus, sed etiā equestris ordinis gradu ornatus es ab alijs: tamen & nos extare aliquam significationē nostrę, & uoluntatis & opiniōis de tua uirtute uolumus. Nam illos præcipue dignos honore iudicamus, qui ingenio & doctrina excellunt. Quare cum in omnibus honestarum artium studijs summa cum laude uerseris, nos sponte lubentiq; animo eadem ornamenta nobilitatis tibi decernimus authoritate imperiali: approbante Principum, Comitum, Baronum, aliorumq́; procerū nostrorum, ac sacri Romani imperij senatu. Adhæc liberos utriusq; sexus ex te legitime aut natos aut nascituros, eorundemq́; posteros omnes, creamus uere nobiles: atq; in numerum, nostrorū ac sacri Romani imperij nobilium, cooptamus. Te igitur Sabine, liberosq́; ac posteros tuos omnes, harum literarum testimonio renunciamus uere nobiles, tanquam de domo ac prosapia nobilium à quatuor paternis ac maternis auis procreatos. Tales itidem nobiles ab omnibus, uniuersis ac singulis, cuiuscunq; cōditionis, eminentiæ, status, gradus, aut dignitatis existant, uos dici, nominari, & haberi uolumus. Facimus etiam tibi, liberisq́; tuis, ac posteris omnibus potestatē, nunc et deinceps in

ceps in perpetuum, ubicunq; locorum ac terrarũ in iudicijs et extra, in rebus ſpiritualibus ac temporalibus, Eccleſiaſticis & profanis: Deniq; in quibuſcũq; rebus, quarũ mentio diſerte hic fieri deberet: nec non in omnibus et ſingulis honeſtis exercitijs, negotijs, et actionibus, ut illis honoribus, dignitate, feudis, officijs immunitatibus, libertate, inſignibus, & priuilegijs, gaudere, uti, & frui poßitis: quibus cæteri noſtri, & ſacri Romani imperij uere nobiles, de equeſtri proſapia à quatuor paternis & maternis auis geniti & procreati, utuntur, fruuntur, ac gaudent quoquo modo, uel de conſuetudine, uel de iure. Porro ad hunc equeſtris ordinis gradũ addimus etiam tibi inſignia quibus nobilitas tua latius inclareſcat: uidelicet clypeum cæruleum, & in eo pegaſum candidum, ex nubibus uolantem, alis in altum porrectis. Galeam uero cancellato ore, qualis ſolet eſſe nobilitatis non poſtremæ: Et in Galea alium pegaſum cum nubibus, ſimili figura qua eſt in clypeo. Poſtremo tegumenta clypei & galeæ diſtincta duobus coloribus, cæruleo & albo: quemadmodum hæc omnia exactius pictoris ingenio ac manu depicta, in medio harum literarũ cernuntur. Id uero inſigne apte cõuenit homini, non ignauo, ſed ad gloriam excitato, cui eſt uirtute efficiendum, ut alios omnes tantum poſt ſe relinquat, ante citos quantum pegaſus ibat equos. Nos igitur & illud ipſum inſigne tibi & hæredibus tuis tradimus, perpetuum uirtutum tuarum monumentum, quo ad

uirtutem

uirtutem et gloriam posteri tui incitentur, illud perpetuo in omnibus honestis actionibus & expeditionibus, in serijs uel ludicris certaminibus, in prælijs, duellis, & quibuscunq; pugnis, uexillis, tentorijs, scutis, sigillis, & annulis, monumentis, sepulchris, prædijs, ædificijs, tabulis & picturis, nobilium armigerorum, pro arbitrio ferre ac gestare poteritis & debetis. Cessante omni impedimento: nec obstantibus quibuscunq; consuetudinibus, statutis, priuilegijs, præsentibus, aut futuris, quæ quoquo modo contra huiusmodi nobilium creationem, aut priuilegium nostrum, facere poßint: quibus omnibus diserte per has literas derogamus, & derogatum esse uolumus. Nulli ergo hominum liceat nostrum hoc decretum rescindere. Si quis autem id attentauerit, illum iudicamus, nostram & sacri Romani imperij grauißimam indignationem ipso quidem facto incurrisse. Et mulctam illi dicimus quinquaginta Marcarum auri puri: partem dimidiam, unam fisco nostro Cæsareo, alteram iniuria affectis, adiudicandam. Idq; his publicis literis testatum uolumus: de quarum authoritate ne quis dubitaret, eas nostro tam autographo quàm sigillo muniuimus. Dat. Ratisponæ in urbe nostra imperiali die XIIII. Iulij. Anno M. D. XLI. Imperij nostri XXI. Aliorum regnorum nostrorum XXVI.

## GEORGIVS SABINVS Stanislao Diadusio, Polono S. P. D.

ETsi magna est uitæ humanæ, morumq; confusio: tamen ut pars aliqua generis humani, disciplina regatur: diuinitus nerui disciplinæ hominibus traditi sunt, leges, doctrina de præmijs & pœnis, & legum, præmiorum ac pœnarum exempla. Et ut leges uere à Deo ortas esse constat: ita sentiendum est, exemplorum memoriam diuinitus conseruatam esse. Ac ineptum est disputare, utra res ad excitandos, flectendos, & assuefaciendos animos sit efficatior: leges, an exempla, cum sit una uirtutis doctrina, constans utraq; parte: quæ cum summum uitæ decus sit, semper curæ fuit, magnis et sapientibus gubernatoribus, uetera monumenta, ac res gestas maiorum, & inquirere, & late propagare: ut & suam ætatem erudirent, & posteritatem magna illustrium exemplorum copia instruerent. Ideo primi generis humani duces, caussas maximarum in mundo mutationum, exordia imperiorum, pœnas Tyrannorum, & pleraq; alia, certißimis monumentis posteritati tradiderunt: quæ singulari Dei ope ac beneficio, et conseruata sunt inde usq; ab initio mundi, & mansura sunt usq; ad rerum finem. Græca historia, quæ nunc quidem extat recentior est: sed multa sunt in ea rerum uetustiorum, & antea gestarum uestigia. Etsi enim nunc ex-

tat

tat non aliud carmen Græcum, Homerico uetustius, tamen & antea fuisse monumenta uetustiora non dubium est. Nam & ipse Homerus narrat Achillem, cui præcipuam uirtutem inter Duces tribuit: cum ociosus in tentorio sederet, Heroum res gestas ad citharam cecinisse. Et apparet eo in admiratione & gratia nomen Poëtarum initio fuisse, quod eorum ingenijs & arte, memoria rerum gestarum conseruabatur, ut significat Lucanus cum inquit:

O sacer & magnus uatum labor, omnia fato
Eripis: & donas populis mortalibus æuum.

Sed multa utilia monumenta, partim temporis diuturnitate consumpta perierunt, partim alijs casibus deleta sunt: cum uel in bellis euersæ sunt ciuitates ubi studia colebantur: uel propter migrationes gentium uetus disciplina mutata est. Callimachum Poëtam, qui in familia Ptolomei Philadelphi, & postea Euergetis diu uixit: cum alia multa antiquitatis uestigia inquisita, conscripsisse ferunt: tum etim librum reliquisse de urbium, & gentium originibus & nominum mutationibus: Item de mutatis gentium sedibus. Credibile est autem Callimachum, & bibliotheca Alexandrina, & multis sacerdotum monumentis adiutum esse. Hic thesaurus si extaret, omnibus historijs quantum lucis adderet? Nunc in tanta inscitia antiquitatis, sequimur obscura rerum

*ueſtigia. Sed tamen prudentibus grata eſſe diligentia eorum debet, qui quantum poſſunt, ſtudium conferunt ad hiſtoriæ conſeruationem.* Magnopere *igitur laudandi ſunt ueſtri homines,* Io. Dulogoſius, Mechouius, & Iuſtus Decius, *qui ſuorum regum ſeriem annotarunt: quorum cum res mihi uiderentur magnæ, uariæ, et dignæ cognitione, cum inſtituiſſem* Epithalamion *ſcribere inclyto* Regi Sigiſmundo Augusto, *uiſum eſt intexere eas huic argumento, ut carmine celebratæ magis legerentur.* Et *cum in hac ſolenni pompa, precari omnes fauſta regno debeant: quid auſpicatius dici cogitariue poteſt, quam de regni primordijs, & incrementis? quod cum ſingulari* Dei *ope ad hoc faſtigium euectum, & inter ferociſſimas nationes defenſum eſſe cogitabimus: precemur ut nunc quoq; in tanto uniuerſæ* Europæ *diſcrimine,* Deus *opti. max. hoc domicilium religionis* Chriſtianæ, *uirtutis, diſciplinæ & literarum, diutius protegat, ac tueatur.* Quis *noſtrum cum uel* Aſiæ *urbes, uel* Grecæ *gentis* Reſpublicas *ueteres animo intuetur & reputat, quæ ibi ſtudia doctrinæ fuerint: quantum decus ueræ religionis: cumq; uidet euerſis urbibus, interfectis, & diſsipatis indigenis, deleto* Chriſti *nomine, abolitis omnibus literarum & uirtutis ſtudijs, tantum immanem et ſpurcam barbariem in illis locis uagari, ignaram* Dei, *& uniuerſæ ciuilis conſuetudinis: non deplorat interitum laudatiſsimarum gentiũ? non de reliquo orbe* Chriſtiano *angetur?* Quare *&*

*nota*

uota faciamus omnes pro Republica: & uiri fortes sciant, sibi maiorum exemplo pro patria dimicandum esse: ad quod uos pietas erga Deum, patriæ charitas, amor coniugum, liberorum, ac totius huius legitimi status, quo nunc floret Polonia, & maiorum decora hortantur, qui toties Tartaros & Turcas à Valachia, Pannonia & Polonia depulerunt. Multum enim natura, & disciplina uestræ gentis, differt à uicinis, quod ex multis rebus intelligi potest. Nam & regnum domi legibus et iudicijs, præclare constitutum & ornatum est: & ad bella gerenda copijs equestribus & pedestribus, & omni apparatu, magno consilio instructum est. Descripti sunt ordines, qui omnes unius imperio parent: mores uero, disciplina domestica et ciuili, grauißime reguntur, iuuentus uel ad militiam, uel ad literas instituitur, uel agriculturam exercet, uel alijs se honestis opificijs in ciuitatibus dedit. Hos mores quoties uidi in ciuitatibus uestris, de antiquitate uestra cogitaui. Non enim dubium est Polonos Henetam gentem esse, quæ & in Asia uicina fuit genti omnium laudatißimæ & cultißimæ Ionicæ, et postea duce Antenore in Europam ducta, propinquas Græciæ sedes in Illyrico occupauit, ac tenet etiamnū annos ad hoc tempus post bellum Troianum circiter bis mille sexcentos. Inde progreßi septentrionis oram ad Istulam compleuerunt. Nec de Henetis obscura sequor indicia. Gentium origines præcipue ex appellationibus, et lingua

iudicantur. Quos uero hodie dicunt Venetos seu Venedos: hos esse Henetos ostendunt appellatio & locus. Nam Henetos in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, consedisse affirmat Herodotus. Deinde linguam Polonorum congruere cum Illyrica manifestum est, & multarum urbium appellationes cognationem cum Polonis ostendunt. Cum autem in Asia genti Ionicæ, quæ sine ulla dubitatione, omnibus nationibus toto orbe terrarum omni ciuili cultu antecelluit, admixti fuerint Heneti: & postea in Europa Græcis: consentaneum est eos, & propter cœli ac regionum temperiem, & consuetudinem humanißimæ gentis, & natura ad uirtutem idoneos semper fuisse, ac disciplinam, & ciuilia officia intellexisse atq; coluisse. Potest autem de naturis ingeniorum optime ex doctrinarum studijs iudicari: quorum possessionem magna cum laude tuetur Academia uestra, quæ longo tempore præcipuum uniuersæ Philosophiæ domicilium fuit. Nunc uero postquàm uestri homines latinam eloquentiam admirari cœperunt, adeo pure ac uenuste multi apud uos scribunt, ut uiri doctißimi in Italia, qui hanc ueram scribendi rationem renouarunt, illorum genus dicendi maxime probent. Extant enim scripta Stanislai Hosij, Orichouij, Cromeri, & aliorum: in quibus lineamenta Tullianæ dictionis comparent. Et nuper editis tribus elegiarum libris, Ianitius Poëta præclarum sui specimen dedit. Nec uero barbaræ gentes, quibus

*bus natura repugnat, hanc ſcribendi elegantiam uel intelligere, uel aſſequi poſſunt. Sæpe igitur ſcriptoribus illis ſuccenſeo, qui nec nomen* Henetum, *nec linguam conſiderantes, fingunt recens effuſam eſſe ueſtram gentem, ex horrida aliqua ſeptentrionis regione.* Illud *enim uerius eſt, uos & Ionicæ & Græcæ gentis uicinos, progreſſos ex Illyrico ad Carpathum, bonam Germaniæ partem quondam occupaſſe: repreßis ad ortum & ſeptentrionem alijs barbaris, qui hæc loca mitiora appetebant.* Inde *Venedicus ſinus, in quem* Iſtula *influit, nominatus eſt. Hanc meam de gentis ueſtræ origine narrationem, non tanquàm fabuloſam recenſui: ut* Britanni *ſe ab Hectoris filio ortos fingunt. Sed iudico ueram eſſe, & perſpicuis teſtimonijs confirmari poſſe. Clara eſt igitur antiquitas ueſtræ gentis. Nam* Heneti *celebrantur* Homeri *carmine, &* Herodoti *monimentis: Et regnum uetus in* Illyrico *tenuerunt priusq̃* Roma *in* Illyrico *potiti ſunt.* Polybius *enim mentionem facit* Regis Agronis *& reginæ* Teutæ. *Poſtea regnum in* Polonia *conſtitutum eſt, quod aliquot iam ſæculis reliquæ* Europæ *tanquàm murus & propugnaculum fuit aduerſus* Tartarorum *ac* Turcarum *irruptiones. Pro his honeſtis certaminibus ueſtris, gratia uobis à reliquo* Chriſtiano *orbe debetur: qui utinam tandem, & ueſtro & communi periculo, affici ſe oſtendat, & ſocia arma iungat. Nos quidem grata uoce prædicare merita ueſtra decet. Quare*

libenter huic carmini gratulatorio has res intexui, quod auſpicio tui nominis duxi edendum eſſe: cum quia ſæpe humaniſsimas ſignificationes dediſti tuæ erga me beneuolentiæ, pro qua uiciſsim hoc teſtimonium mei in te ſtudij extare debet: tum propterea, quod unus omnium de literis boniſq; artibus optime mereris. Nam ad excolenda earum ſtudia, non ſolum hortaris ingenuos adoleſcentes, ſed etiam præmijs inuitas, tuaq; liberalitate in publicis gymnaſijs foues: quo nihil poteſt à te fieri præclarius. His de cauſis ſcriptum hoc qualecunq; in tuo nomine apparet: quod ſi ut ſpero, tibi erit gratum, uiriſq; doctis non improbabitur: peto à te, ut inclyto Regi Sigiſmundo Auguſto exhibeas, meq; ei commendes, precantem ex animo, & ipſi, & uniuerſo regno Poloniæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ ſalutarem tranquillitatem.

Vale. Menſe Aprili. Anno
M. D. XLIII.
Francofordiæ ad Oderam.

PETRVS BEMBVS CARDINAlis Georgio Sabino Brandeburgenſi,
S. P. D.

ELegos tuos, quos poſtremo ad me miſiſti, libentiſsime legi, uel potius cupidiſsime. Redolēt enim ut nō ſemel me dixiſſe tibi memini, Ouidianum morem

& leni-

 

& lenitatem illam ſcribendi. Itaq; debeo tibi, quod ea me uoluptate affeceris, addiderisq; ad eos elegos etiam tua carmina, quæ me apprime delectarunt. In quibus illud te præclare aſſecutum eſſe uideo, quod difficillimis rebus non lumen modo, ſed etiam facilitatem ac amabilitatem plurimam contuliſti. Quas ob res ſi te Germani tui non maximi faciunt, non in cœlum ferunt laudibus, non in te honeſtando certatim ſtudia ſua conferunt, indigni ſunt qui te habeant, à quo laudentur, & quorum benefacta labore et ingenio æternitati commendes tuo. Mea carmina quod requiris, facis ex tui erga me amoris abundantia. Ego autem ab eiuſmodi ſcriptis nunc quidem abſum plane longiſsimè: Sed iuſsi ut tibi aliqua tranſcriberentur, & mitterentur, ne à me quicquam fruſtra petiiſſe uideare. Vale & te à me amari magnopere exiſtima. VI. Calend. Maias M. D. XLIIII. Romæ.

GEORGIVS SABINVS
Petro Bembo Cardinali,
S. P. D.

Poſt meum ex Italia diſceſſum, etſi patriam amo, tamen nihil accidit mihi tam iucundum cui conſuetudinem tuam non anteferrem. Et quo plus acce-

dit ætatis, eo magis Italiæ desiderio propter sapientißimorum hominum sermones teneor. Nec uero ulla in re, etsi procul à te absum, sic acquiesco, ut in cogitatione uirtutis & sapientiæ tuæ. Quare si non aut pudore, aut aßiduitate nostrarum operarum impedirer, scriberem ad te sæpius: teq; magnopere oro, ut, quod te toties interpellaui, meas ineptias boni consulas. Nunc autem ad te scribo, adductus non solum amore meo, sed etiam publica literarum causa, quam arbitrabor te, cui uni summam doctrinæ et eloquentiæ laudem merito omnes tribuimus, non grauate suscepturum esse: Breuiter autem exponam negotium. Etsi ueteres Scythæ, ut est in fabulis, gloriati sunt, se hominum omnium longe præstantißimos esse, quod primi essent siue ex aqua, siue ex igni terra exiluisset, dissoluta illa confusanea mole, quam dixere chaos: tamen res ostendit, & magnam esse Scythicæ gentis feritatem, & uix in uicinis regionibus ciuilem uiuendi rationem, legibus, disciplina, et imperijs retineri posse. Multum tamen Principum quorundam diligentia proficitur, ut gentes istæ fiant mansuetiores. Hoc cōsilio Illustrißimus Princeps Albertus Dux Prußiæ, ad literarum studia huius Balthici sinus accolas inuitare conatur: & homines ad docendam latinam linguam & Philosophiam, atq; ad iuris interpretationem idoneos accersit: estq; iam conuentus mediocris docentium & audientium in oppido, quod nostra lingua Regium montem dicimus. Si uidisses has regiones,

 

giones, diceres summa laude dignum esse, quisquis excolere has gentes, & ad Dei agnitionem, & uirtutis intellectum mediocriter traducere conaretur. Vere autem affirmare possum, nulla hunc Ducem priuata cupiditate, nulla alia causa moueri, ut literas hic doceri cupiat, nisi ut semina uirtutum spargat & animos iuuentutis ad rerum uere bonarum intellectum atq; amorem, & ad disciplinam, assuefaciat. Ornare autem & munire hunc conuentum literatorum summa & ordinaria authoritate cupit, ut usitato more gradus in publicis doctrinæ testimonijs decerni poßint. Quare te oro, propter tuum erga literas amorem, ut priuilegium Pontificium Regiomontanæ Scholæ impetres, quo, gradus eo loco decreti comprobentur. Quod si feceris late patebit hoc tuum beneficium, ac multis gentibus profuturũ est, ad quas ex hoc Gymnasio, si confirmabitur, literæ & leges propagabuntur. Nec uero dubito, quin præsertim in isto fastigio rerum humanarum, ad quod diuino consilio euectus es, maxime cupias de multis gentibus benemereri. Nihil opus est me apud te uirum sapientißimum disputare longius, quam utile sit in talibus locis semina literarum spargere: tantum oro ut pro tua excellenti sapientia, & uirtute rem literariam hac in re adiuues, ac priuilegium Scholæ Regiomontanæ impetres: idq; primo quoq; tempore nobis mittendum cures.

Vale. Dat. ex monte Regio Borussorum.

Anno M. D. LV.

PETRVS

PETRVS CARDINALIS BEMBUS, Georgio Sabino, S. P. D.

QVOD serius quam tu fortasse expectabas, & ego certe uoluissem ad tuas literas rescribo: tum negligentia tabellariorum factum est: quas enim IIII. Calend. Ianuarij dedisti, ad VIII. Calend. Maias reddiderunt: tum etiam difficultate temporum, in quæ ipsæ tuæ literæ inciderunt. Nam qui meus est in te amor, animum inducere non facile poteram, ut ad te nisi perfecta re, quicquam rescriberem: uerum cum id longius fieret, malui ut ut se res habeat te certiorem facere, quam officium abs te desiderari meum. Itaq; cum primum de Regiomontana Academia cōstituenda Alberti Marchionis, ad Pontificem maximum, uoluntatem detuli, qua is est mansuetudine & liberalitate præditus, & Marchionis postulata benigne accepit, & consilium laudauit: Sed cum in ipso Pontifice non sit prudentia humanitate minor, perspiciebat inconsulto Carolo Cæsare statuendum sibi nihil esse noui in ea præsertim ciuitate, quæ etsi immunis est à Cæsarum Augustorum iure & imperio, tamen est in illorum patrocinio & quasi tutela, idq; eo tempore cum de Cæsaris à nostra Republica alienatione, nonnulli se suspicandi causas habere dicerent. Factum est deinde, & Pontificis erga illum charitate, & illius erga Pontificem obseruantia, ut

nemo

nemo sit qui neget, nihil esse cur de mutua in eos uoluntate dubitetur. Quam ego occasionem nactus, adij hac de re Pontificem denuo, qui quidem Marchioni tuo satisfacere magnopere uult: sed quā prius causam afferebat, ne scilicet Cæsar offenderetur, si quicq̃ quod ad istam prouinciam spectaret, ipso inscio decretum hic esset: eandem etiam nunc apud se causam residere significauit: Sed ex ea tamen parte faciliorem, quod & Cæsarem admoneri, & suam de ista Academia sententiam subodorari cōmodius possit. Nam non modo ut offensio uitetur, uerū ut gratia quoq; conseruetur, ad Cæsarem deferendum esse iudicat. Adhæc ego ex N. ad me literis Cæsarem suis quoq; decretis rem omnem confirmaturum affirmaui, quod Pontifex libenter arripuit, seq; si ita sit, moram omnino nullam interpositurum, quin eadē omnia rata habeat, ac authoritate confirmet & cohonestet sua: cupere se tamen, etsi illius literis fidem tribuat, Cæsariani decreti exemplum uidere, atq; interim etiam de omni re Cæsarem certiorem fieri. Itaq; ut faceret suo apud illum internuntio mandauit. Habes quo minus Diploma confectum adhuc non sit. Tu si decreti exemplum ad me quam primum miseris, efficiam ut neq; Pontificis liberalitatem, nec officium meum diutius desideres. Ad reliquas epistolæ tuæ partes amoris & suauitatis plenas, & ad eam, quam Albertus Marchio humanīßimam mihiq; gratißimam dedit, tunc satisfaciam, cum Diploma una mittam. Interim

*terim & illi & tibi meo nomine gratias perplures ages, & salutem plurimam dices: meq; & illius erga me uoluntatis, & tuorum in me officiorum, nec ingratum, nec immemorem ullo unq̃ tempore futurum spondebis: dabo enim operam ne pro me dependas.* Vale. VIII. Id. Iul. M. D. XLV.

Romæ.

LVDOVICVS BECATELLVS
Georgio Sabino,
S. P. D.

L*Iteras tuas idibus* Februarij *datas*, Romæ *idibus Nouembris accepi, unà cum elegantißimo poëmate tuo mi suauißime* Sabine, *quibus sum maximopere lætatus, atq; eas sic amplexatus atq; exosculatus ac si te habuissem, quem ego ob elegantißimos mores & doctrinam humanitatemq; singularem summa persequor beneuolentia.* Caue *enim dubites me tui memoriam amoris ac laudũ tuarum cumulatißimam non conseruare.* Sed *ad te si minus fortasse crebras, quàm expectabas, literas dedi, non hoc obliuione aut negligentia aliqua factum existimes uelim: uarij enim casus quadriennio hoc toto, quo à te discesßi me agitarunt.* Amisimus *ut audisti amplißimum atq; præstantißimum* Contarenum, *tibi atq; omnibus bonis ami=*

amicißimum, post cuius mortem ego ueluti scapha sine remige diu fluctuaui, dum uaria munera uarijs ea imperantibus obiui: non enim mihi licuit, ut optabam in patria conquiescere. Sed Regij Lepidi Venetijs, Patauij, Tridenti, diu cum legatis concilij fui: Vnde nuper iussu Pauli Pont. Max. accersitus Romam ueni, ut apud Farnesium designatum Archiepiscopum Neapolitanorum, optimæ indolis adolescentē, essem: Quo factum est ut literas cum libro tuo tarde susceperim. Non enim facile à Bartholomeo tuo conueniri potui, neq; adhuc illum uidi: Nam Patauij, ut ipse ad me scribit, studiorum causa cōmoratur. Dabo tamen operam, ut per amicos meos absenti illi, quando præsens non possum, rem gratam faciam, paratißimus illum iuuare, si quando illi opera mea opportuna fuerit, ut is intelligat & cæteri, quos mihi commendabis te à me plurimum amari atq; obseruari: de cuius secundis rebus atq; optimo statu magnam, ut debui, cepi uoluptatem: Deumq; opt. Max. oro, ut tibi, uxori, ac liberis illa fortunet, uotisq; tuis omnia felicißima annuat. Oro autem te atq; obtestor, mi iucundißime Sabine, te à me fraterne amari ut persuadeas tibi, tāq; recentem apud me tui memoriam uigere, ac si una semper uiueremus. Romæ uel ubicunq; locorum me esse contigerit, semper in ære tuo futurus sum. Bembus tuus ætate quanq̄ ingrauescente, tamen commoda utitur ualetudine, nisi cum illi interdum podagra est molesta: te, ut solet, amat, de teq; mecum multa cum

amoris

*amoris significatione est locutus. Historiam suam in lucem prodere adhuc non patitur: cum primum illius mihi copia fiet, operam dabo ut tibi satisfaciam. Atq; ut aliquid de contubernalibus nostris Ratisponensibus ad te scribam: Adamus Tumanus Veronæ est in patria sua, nec admodum ualet: Philippus Gerius apud Reuerendiß: Cardinalem Moronum, Bononiæ legatum, est à Secretis, is & in rebus agendis & in studijs literarum multum profecit. Triphon Bentius mecum superiori æstate fuit Tridenti, ibiq; stationem seruat à Secretis Reuerendißimi Legati. Vale mi carißime Sabine, nosq; interdum, cum commode id poteris, de toto statu tuo redde certiores. Romæ X. Cal. Decemb. M. D. XLV.*

PHILIPPVS MELANTHON GEORgio Sabino genero suo charißimo, S. P. D.

*MAgnam uim esse paterni amoris erga natos, etiam de tuo animo te existimare non dubito. Quare mihi facile credas affirmanti, ualde me dilexisse filiam meam Annam. Cum autem de te præclare sentirem propter scribendi facultatem eximiam, ut alij multi docti uiri in Italia et Germania, qui de ijs studijs, in quibus uersaris, iudicare possunt: & ex eo iuditio beneuolentia erga te singularis in animo meo nata esset, non inuitus tibi uolenti filiam despondi, & ut tibi & nobis hæc coniunctio fausta & felix esset, optaui.*

*optaui. Sed cum ex doctrina cœlesti causas didicerimus præcipuas humanarum calamitatum, et earũ remedia: feramus ea, quæ acciderunt, sapienter.* Etsi *igitur magno in dolore sum, propterea quod filia extincta est, & quidem procul à parentum complexu, & priusq̃ de rebus necessarijs cum ea colloqui potui: tamen eas consolationes mihi propono, quæ diuinitus traditæ sunt, quarum hæc præcipua est, quod signa ueræ in filia pietatis erga* Deum *& erga te, mortem præcesserunt: propter quæ spero eam iam dulcißima cõsuetudine* Dei et Filij *eius domini nostri* Iesu *Christi frui, cui eam sæpe lachrimans commendaui, & paulo post ibi rursus eam complectar.* Nostram *uero inter nos amicitiam uolo perpetuam esse, & ego fideliter eã si quibus potero officijs tuebor.* Tuos *certe liberos ducã meos esse, ut re uera mei sunt, quos q̃dem non minus diligo q̃ dilexi matrem.* Fuisse *aũt magnum incendiũ amoris mei erga filiam multi norunt, nec id morte ipsius extinctum est, sed dolore & desiderio alitur:* Cumq; *fuisse eam admodũ* φιλότεκνον *sciam, ipsius in me adfectũ deriuare me iã debere iudico.* Quod *igitur de filiabus & de filio deliberas, nõ solũ consilium do, ut ad me mittas puellas seu oẽs seu aliquas, sed etiã te ut id facias, ualde oro.* Educabuntur *enim à me & fideliter & amanter: & ad agnitionẽ* Dei, *& honesta officia sedulo instituentur.* Hæc *de meo animo erga te liberosq; tuos tibi persuadeas uelim.* Bene *ac feliciter uale.* Die VI. Aprilis, *Anno* M. D. XLVII.

PHILIPPVS MELANTHON GEORgio Sabino genero suo, S. P. D.

ETsi non dubito sanis omnibus iucundissimã fore lectionem historiæ Bembi: sic enim scripta est, ut eruditæ antiquitati græcæ & Latinæ opponi possit, & haud dubiè superet omnium scripta in hoc genere quæ inde usq; à Liuiana ætate nata sunt: tamen tu ex ea uoluptatem eò maiorem capies, quia & hãc ipsam orationis formam rectius iudicare potes, quàm alij, & legens recordabere ipsius erga te beneuolentiam, & quasi colloquentem audies. mitto igitur tibi exemplum libri Bembi nitidissime excusum: mihi quoq; aliud emam. Vere in hoc uiro dotes illæ fuerunt, quas in historico esse uolunt, uidelicet, σύνεσις πολιτικὴ, καὶ δύναμις ἑρμηνευτική. Valde te oro, ut mihi scribas, an & Bembi librum, & has literas acceperis. Filia dei beneficio recte ualet, et habet honesta exercitia precum, & œconomica. Tuas literas et flagito & expecto. Deus conditor generis humani seruet te & honestissimam coniugem tuam, & dulcissimas filias, & charissimos filios. Bene & feliciter uale. XV. Octobris, Anno M. D. LI. Vitenbergæ.

PHILIPPVS MELANTHON GEORgio Sabino genero suo, S. P. D.

NIhil dubium est diuinitus insitas esse hominibus στοργὰς erga natos, ut sint commonefactrices de amore

de amore Dei erga filium & erga nos. Hæc & mecũ sæpe cogito in ipsa precatiõe, et alijs sæpe cõmemoro. Itaq; cum uelit deus adfici nos desiderio nostrorũ, & ne poßit quidem natura in homine mediocri non dolere extinctis natis, magnum uulnus accepi cognita morte filij nostri Alberti, quo in luctu me et recordatio matris, & cogitatio de tuo dolore ualde excruciant. Etsi autem difficile est mederi talibus uulneribus, tamen lætis temporibus facilius acquiescit, cũ & nostræ & aliorum familiæ certum & mediocrem sedem habituræ uidentur. Nunc in his ruinis imperiorum quæ potest esse leuatio? Ac te quidem pro tua prudentia scio multa prospicere quæ mœsticiam tuã augent. Cum autem hæ consolationes quæ humana diligentia à doctis collectæ sint, tantis uulneribus exiguam opẽ adferant, intueamur diuinitus propositas. Scimus nos deo curæ esse, quem inuocemus ut regat & protegat superstites: et statuamus eos quos ex hac ærumnosa uita euocauit, frui iam consuetudine cœlestis Ecclesiæ. Plura iam scribere non potui, ac ne quidem sciebã an ad te hæ literæ peruenturæ sint, quas misi Placotomo. Marcellum collegam nostrum, & Bernardum Ciglerum, deus quoq; euocauit ex hac uita. Bene uale, die VII. Ianuarij, Anno M.D.L I. Lipsiæ. Honestißimæ coniugi tuæ & filio Christophoro & filiabus salutem opto: quibus misissem munera, si certos nuncios habuissem.

# GEORGIVS SABINVS Ioanni Sledano, S. P. D.

CVm in hanc nostram ætatem et horribiles bellorum motus, & uariæ mutationes religionis inciderint, laudanda est uoluntas eorum, qui ut posteritati consulant, hæc tanta negocia recte describere student: quam ad rem non illa tantum requiruntur, quæ nominantur à Thucydide, σύνεσις πολιτικὴ, καὶ δύναμις ἑρμηνευτική: sed etiam ueritatis & inquisitio & amor, ne aut odio gentis seu partis alicuius, aut nimio amore, peccemus. Oderat Timæus historicus Agathoclem Siciliæ Regem: ubiq; igitur eum uituperauit, et cum alijs multis malediceret, nominatus est ἐπιτιμαῖος, id est, uituperator. Acerbißime etiam conuiciatus est Theopompus Philippo Macedoni eiusq; exercitui: quapropter cum Alexander Magnus Philippi filius eum ad supplicium dedi posceret, confugit ad aram Dianæ Ephesiæ ritu supplicis. Daphitas cruci affixus, & Caßius proprijs libris ambustus fuit, quorũ uterq; de illustribus uiris detrahendi causa maledice contumelioseq; scripserat. Timagenes Augustum offendit, nescio qua narratione sed sapiens Princeps, tantum familiaritatem ei pristinam interdixit: postea Tiberius eum occidit, cũ quidem eius historia à posteris laudata sit. Hac nostra ætate, Paulus Iouius Nouocomẽsis, Episcopus Nucerinus ut alia omittam, de magna parte gentis Germanicæ

iudicat

 

iudicat iniquius, propterea quod, ut Deũ recte inuocent, falsa monachorum dogmata exploserunt. Detrahit & de laudibus Illustrißimi Principis Electoris Ioachimi, II. Marchionis Brandeburgensis, quo uix alius in Germania præclarius meretur de republica. Huic ascribit attribuitq; ea, quæ cõstat omnino esse falsa: nempe, quod anno M. D. XLII. cum Romani Imperij nomine duceret exercitum in Vngariam, segnitie & inertia transmiserit tempus gerẽdis rebus opportunum: cunq; tandem oppugnaret Pestum, & cuncta armis ac tormentis perstreperent, se ab omni periculo ita subduxerit, ut nusquam conspiceretur. Verum est quidem, segni & inutili mora tempus absumptum esse, non sine detrimento & ignominia reipublicæ: sed inique facit Iouius, quod huius rei culpã transfert in principem innocentißimum, dißimulans difficultates, quibus ille impeditus nõ potuit iusta ratione bellum administrare. Pleræq; enim prouinciæ & ciuitates Imperij, aut nullam contulerunt pecuniam, unde numerarentur stipendia exercitui: aut nullum miserunt militem: aut miserunt quidem, sed tardius & non plene. Id uero factum est artificio Regis Galliæ, qui cum eo tempore nouas res moliretur contra Carolum Imperatorem, quem naufragio ad Algieram perijsse acceperat, prouincias Imperij grauißimo implicuit bello præter expectatiõem. Immisit enim maximos exercitus in Brabantiam, in Atrebates & Morinos, ductoribus Longeuallo & Martino

Rossemio. Ipse diuersa parte bellum mouens, obsedit Parpinianum, oppidum ad pyrenæos montes situm. Ac Aurelianus princeps Regis filius, principatũ Lucelburgensem inuasit. Eodem quoq; tempore, Saxo et Lantgrauius intulerunt arma Henrico Duci Brũsuicensi, eumq; è principatu suo eiecerunt, cum tamen cautum esset decreto imperij, ne arma sub id tempus domi mouerentur. Adhæc defuerunt Marchioni Ioachimo res ad tormenta bellica necessariæ, quas nonnulli se curaturos, & ad castra missuros promiserant. Nec Vngarica auxilia in tempore adfuerunt: difficulter enim pertracti sunt Vngari in societatem belli, postquam cognouerunt ordines Imperij inter se dißidere: terq; euocati fuerunt, antequam se Germanorum copijs adiungerent. Hæc nimirum fuit causa istius moræ & cunctationis. Quis autem ducum nõ factus esset tardus & parum efficax, ad hunc modum auxilijs, pecunijs, & rebus ad tormenta necessarijs, destitutus? Nemo ignorat, pecunias esse neruos belli: hisq; deficientibus recusari Imperium: & absq; Imperio rem militarem administrari non posse, idq; ita esse, re ipsa tunc compertum fuit: nam impedita stipendiorum solutione, miles adeo contumaciter recusauit Imperiũ, tamq; grauiter indignari cepit, ut palàm diceret, se non processurum in pugnam, si uel unica sanguinis gutta uictoriam consequi poßit. Has difficultates Iouius silentio præterit, de quibus extant ipsius Marchionis Electoris literæ, grauißimis querimo-

rimonijs plenæ, ex castris datæ ad Ferdinandum Regem Romanorũ, ordinesq; imperij Norimbergæ congregatos. Tam uero timidum & nullius animi principem hunc esse, ut se extra periculum infami loco abdiderit, magnum & impudens mendatium est. Nam egregia eius uirtus antea in adeundis belli periculis conspecta est, cum Turcæ anno M. D. XXXII. ex Austria profligarentur. Si igitur adferat scriptor & facultatem exponendi, et inquisitionis diligentiã, & in enarrando fidem, et candorẽ, non κακοήθειαν profecto utiliter consulet posteris.

Tuam quidem uoluntatem Sledane ut laudem eo moueor, quia uideo te splendidum genus sermonis ad scribendum attulisse: palàm etiam in religione ueram sententiam probare, tuiq; iuditij de doctrina interdum causas intexere. Itaq; quòd constantiam laudasti Principis antecellentis sapientia & uirtute Ioannis Marchionis Brandeburgensis in repudiandis corruptelis religionis, quibus inepte titulum fecerunt Interim, neq; à te ipso neq; à ueritate dissentis: tibiq; gratiam habeo. Prodest enim ad posteros extare iudicia sapientum principum de tantis controuersijs in Ecclesia. Sed ut talium principum autoritas ad omnem posteritatem maior sit, plurimum refert etiam intelligi cætera eorum consilia in publicis negotijs congruere. Fuit Marchio Ioannes in castris Caroli Imperatoris anno M. D. XLVI. Ea de re scribis accusari eum à fœderatis principibus cum quibus Im

*perator tunc bellum gessit, ac haberi pro ruptore fœderis & uiolatore fidei. Nec addis ipsius responsionem grauissime scriptam. Non existimo consulto omissam esse: sed tamen negligentia reprehendenda est si non inquisiuisti, cum quidem publice edita et typis excusa sit, tamq; grauiter ac modeste scripta, ut omnes prudentes intelligant, Marchionem Ioannem pro sua sapientia dignitati cognatorum singulari consilio parcere. Affirmauerat Imperator se non mutaturum esse doctrinam in his Ecclesijs, sed alias habere belli causas. Non igitur obijci potuit, quòd defensioni doctrinæ deesset. Nec ego nunc de arcanis principum negotijs disputo: tantum admoneo te, ut commentarijs istis tuis, ubi denuo excudentur, simul inseras laudatissimi principis responsionem. Legat integrã causam posteritas, nec tantum ex unius partis narratione iudicet. Non solum in Attica lege in ligneis tabulis, sed in omnium hominum mentibus hoc scriptum est,* ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. *Deus enim iustus, hunc radium suæ lucis indidit omnium mentibus, ut intelligant non pronunciandum esse nisi utraq; parte audita. Non est igitur occultanda defensio, præsertim in re tanta, ubi non solum tanti Principis & nobilissimæ familiæ fama perclitatur, sed etiam autoritas testimonij de religione. Sciat posteritas nequaquam eum uoluisse unquam gerere arma cõtra ueram doctrinam, quam et postea constantissime defendit contra imperatoris uoluntatem. Semper hic sapiens*

Prin-

Princeps hanc diuinam normam consiliorum, quam & uexillo inscriptam tunc habebat, secutus est, DATE DEO QVAE DEI SVNT, QVAE SVNT CAESARIS, CAESARI. Id discrimen & intelligit, & uera pietate & summa grauitate tuetur: ueris officijs Deum colit, & singulari uigilantia in Ecclesijs doctrinæ puritatem, & in populo disciplinam conseruat. Nec deest communi saluti Germaniæ in publicis negotijs. Eius consilio multæ deliberationes publicæ reguntur, & multæ Principum controuersiæ tolluntur. Vita interior casta & modesta est, & non uoluptatibus sordidis agitur. Sed ordine tempora distributa sunt: alia lectioni sacræ & precationi tribuuntur, alia deliberationibus, & cognitioni causarum suæ ditionis, alia peregrinorum principum negotijs. Exiguum superest, quod corporis neceßitati tribuitur. Talem esse hunc Principem & nostræ ætati & posteris scire prodest, ut intelligatur, non timore, non errore, sed grauißimo consilio amplexum esse doctrinam à pontificia consuetudine dissentientem, plurimum enim refert scire, quales sint in Ecclesijs nostris principes: ac uera de eis testimonia posteris trandenda sunt. Hæc ad te scripsi bono studio: teq; hortor, ut (quod iustum est) defensionem Marchionis Ioannis illi parti operis tui inseras, ubi sic scribis: Eo dato responso, illi publicum scriptum edunt, & inter alia, quod de Augustana Confeßione dixerat, refutant: & ipsius

literis docent, eum sibi socijsq; teneri opem ferre, si res in eum casum deueniat, & si quis aliam contra se belli causam obducat atq; simulet. Itaq; diligenter monent omnes, præsertim tribunos, centuriones atq; milites, ne suam operam illi, qui fidem uiolarit, addicant. Huc (inquam) inseras illius defensionem publice editam & grauißime scriptam, qua crimen sibi obiectum uere diluit, atq; ita depulit, ut ea defensione fœderati etiam ipsi acquieuerint. Id omnino intexendum est, ut & integra narratio plus fidei habeat, & non lædatur princeps sapientia & uirtute excellens, quem quidem in parte operis, uera laude ornasti, ubi cōmemoras, eum anno XLVIII tanta animi magnitudine & constantia defendisse causam Euangelij in conuentu post uictoriam Cæsaris acto, ut consternatis ac uacillantibus cæteris, ausus sit solus reclamare decreto isti, quo imperij ordines iubebantur assentiri libro de religione, qui eo in conuentu conscriptus & approbatus est. Nam cum cæteri huic decreto subscripsissent, & ipse quoq; ad subscribendum sine intermißione urgeretur, fecit id, quod pium, cordatum, & constantem in tuenda ueritate Principem decet: Acceßit Cæsarem omnibus imperij ordinibus iam tum formidabilem, eumq; præsente Ferdinando Romanorum Rege admonuit pacti & promißi, quo ante bellum sibi cauisset: estq; intrepide professus, se potius uitam amissurum esse, quàm discessurum ab illa incorrupta

*rupta Euangelij doctrina & religione, quam professus esset ante illius uictoriam. Hæc certe confessio, magni & constantis animi indicium est, satisq; probat, eum falso accusari, quod fefellerit fidem Augustanæ Confeßioni datam, aliaq; ratione addixerit Cæsari operam suam in bello, nisi ut salua religione dignitatem supremi magistratus sui tueretur. Vale.*

*Dat. Cal. Sept. Anno Christi, M. D. LVI.*

*Francofordiæ ad Oderam.*

ALIQVOT

ALIQVOT LOCA IN HIS Poematibus explicata, quæ non facile intelliguntur, à lectore rerum Germanicarum impe-perito, per CRATONEM MYL.

## IN HODOEPORICO.

A Duce, quæ Brenno condita nomen habet.

Brenniburgum. Sic enim à ueteribus appellatur. Sed uulgus Brandeburgum pronunciat. Burgum uero significat propugnaculũ, ἀπὸ τοῦ πύργου. Et Brennus idem est nomen apud Germanos, quod Galeatius, ut ueteres illæ cantiones testantur, quæ in Theodoricum regem Gothorum extant. Significat igitur Brenniburgum, equitum seu Galeatorum urbem.

Nomen ubi paruæ urbi
Campus & asperitas fecit amara loci.

Bitterfeld, πικροπεδίον, oppidum est Saxoniæ.

Pharmaca quo nemo miscente peritius ægris,
Pæonia medicas applicat arte manus.

Philippus Bucchemerus, cuius hic meminit, Alberti Cardinalis Moguntini medicus est, uir eximia doctrina & suauitate ingenij præditus.

Clarus ab antiquo sanguine natus eques,
Inclyta magnanimi quo regia principis ullum,

Vix

*Vix habet ingenio candidiore uirum.*

*Ioannem* Iordanum Hertzhemerum *intelligit*, Alberti Cardinalis *Camerarium*.

*Vrbs uetus à* Drusi *coniuge dicta ducis.*

Agrippina.

*Mauortis habentia nomen mœnia,*

Mersburgum,*oppidum* Misniæ,*ad tertium miliare à* Salinis.

*Aßirij regis gaudentem nomine* Belum,

Baldasaremq; &c. *Ioannes* Belouu, & Baldasar *à* Volde, *equites* Pomerani.

Neopyrgũ,*urbs* Turingiæ,*ad* Salam, Neuuenburg.

*Venimus huc,sacro coniunx ubi diua sepulchro,*

*Coniugis* Henrici *regis humata iacet.*

*Diua* Chunigundis Henrici *Claudi coniunx*, Bombergæ *sita est.*

*Hinc undose tuam* Pegnese *petiuimus urbem.*

Pegnesus Norinbergã *perlabitur,uulgo die* Pegnitz.

*Sunt ubi* Danubij *mœnia iuncta uadis,*

Thunenuuerd,*ciuitas imperialis.*

*Cuius,ubi bello* Veneti *petiêre* Tridentum,

*Perdidit ad flauas signa* Robertus *aquas.*

*Anno Domini* M. cccclxxxvij. *ingenti prælio uictus est ad* Athesin Robertus Sanzeuerinus *Venetorum dux à* Sigismundo *Archiduce* Austriæ.

*Lucas* Bomphius,*clementis* VII.*Pontificis cubicularius,extant epistolæ* Erasmi Roterodami *ad eum scriptæ.*

Cœlius

Cœlius Calcagninus, Ferrariæ bonarum artium professor.

Nec iuuenis, quo se domus Augerspergia iactat,

Volphgangus de Augersperg Baro.

## IN ELEGIA DE REDItu Marchionis.

Vicinaq; gerit præclarum nomen ab arcto,

Berlin, oppidum Marchiæ à minore ursa cognominatum.

## IN ELEGIA DE SPEctro Spirensi.

Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,

Nomen ob id Graium Spira uocata tenet.

σπεῖρα cohors.

## IN CAESARIBVS.

Mogus ubi Rheni cornua miscet aquis,

Mogus prope Moguntiam influit in Rhenum.

Quæ de uirginibus nomen adepta tenet,

Madeburga, quæ & Parthenopolis.

Ascaniæ principibusq; dedit.

Ascania arx est principum ab Anholt, ab ea domini Ascaniæ appellantur.

Qui

256

*Qui duo cum gemino cornua pisce gerit,*
*Ducis Vuirtembergensis insignia sunt cornua ceruina & pisces.*
*A crucis & nomen monte uocata tenet.*
*Creutzberg.*
*Vrbs à Francorum nomen adepta uado.*
*Francofordia.*

IN EPITAPHIO
*Misneri.*

*ATque Ducem nigri qui bouis ora gerit.*
*Taurinum caput, insigne Ducum Megalaburgensium.*

FINIS.

ii hlasem welikým ku pánu bohu swému. P
rzekli lewijtowé Jozue a Czedmihel Won
i:a Serebia. Arebia. Odaya. Hebua Fara
a. Wstaňte chwalte pána boha nasseho
od wieku až naw eky. A dobrorzečte gmé//
nu slawy twé wysokému: we wssem dobro
rzečený a chwále. Ty gsy pane sám: ty gsy
včzynil nebe: y nebe nebes: y wesstken zá//
stup geho: zemi y wsseczko což wnije gest:
morze y wsseczky rzeky se wssemi wieczmi kte
réž wnich gsú: a ty obžywuges ty wsseczky
wieczy: a zástup nebeský tobie se klanije.
Ty gsy pane bože kterýžs wywolil Abráha
ma: a wywedl gsy gey z ohnie Kaldeyského: i.mo
a dal gsy mu gméno Abraham a nalezl gsy
srdcze geho wierné przed tebú: a včzynil gsy
s nijm vmluwu: aby dal gemu zemi Kana
anskú: Etheyskú. Eweyskú. Amoreyskú:
a Ferezeyskú: y Jebuzeyskú: a Gergezey
skú: aby dal gi semeni geho. A naplnil ij.mo
gsy slowa swá neb sprawedliwý gsy. P
widiel gsy traapenije otczuow nassych w
Egiptie: a krzyk gich slyssal gsy v morze rú
dneho: a včzynil gsy diwy a zázraky nad Fa
ra[illegible]: v na[illegible]

To [illegible] zadlaussy [illegible] w [illegible]
[illegible] nadrzijsse [illegible] slowa [illegible]
[illegible] gakz sluzby [illegible]
[illegible] ani nadmyslam na[illegible] bohatost [illegible]